
Gratiani

Episcopi Amerini

Certosa.

N.° 5948:

ANTONII MARIAE GRATIANI *DE* SCRIPTIS INVITA MINERVA.



Florentiae Superiorum Permissu. Ad Insigne Apollinis in Platea Magni Ducis 1746



ANTONII MARIAE GRATIANI

A BVRGO S. SEPVLCRI

EPISCOPI AMERINI

DE SCRIPTIS INVITA MINERVA

AD ALOYSIVM FRATREM

LIBRI XX. NVNC PRIMVM EDITI

CVM ADNOTATIONIBVS

HIERONYMI LAGOMARSINI E SOC. JESV

Volumen I.



FLORENTIAE MDCCXLV.

Ex Typographio ad Insigne Apollinis in Platea Magni Ducis.





HIERON. LAGOMARSINVS
E SOC. JESV
LVDOVICO ANTONIO MVRATORIO
S. D.



Beneficio tuo maximo provocatus edo haec inſcriboque Tibi, Lvdovice Antoni Mvratori: ſed non ex conſuetudine eorum, qui vel ſua vel aliena ſcripta edenda atque inſcribenda ſuſcipiunt. Illi enim, quum ad edendum adgrediuntur, tum de eo, cui edenda inſcribant, cogitare ſolent; ego, antequam quidquam aut ſcriberem aut ede-

edere constituerem, de inscribendo quamprimum Tibi aliquo sive meo sive alieno opere cogitavi: immo non aliam ob causam aliquid mihi scribendum edendumque suscepi, nisi ut ne, quod Tibi inscriberem, non haberem. Nam, quum aditum ad me esset, ut *Antonii Mariae Gratiani*, viri doctissimi atque elegantissimi, libros *De scriptis invita Minerva*, numquam antea vulgatos, recognoscerem, &, si edendos putassem, edi curarem, & nonnullis adnotationibus illustrarem, editionique praeessem: ego, etsi opus vehementer probabam, tamen aliorum quorumdam studiorum, jampridem a me institutorum, ratione atque occupationibus ab omni ejusmodi consilio ac procuratione exclusus, rem totam sive omnino repudiabam, sive in aliud tempus differebam. Ecce autem, in hac maxime deliberatione, sive potius recusatione mea, adfertur ad nos tuus de sacris nostrorum hominum, in Paraquaria Americae regione, expeditionibus commentarius, avidissimeque, quemadmodum caetera tua scripta omnia, a me legitur. Agnovi ubique Ludovicum Antonium Muratorium, scriptorem nempe omnium eruditissimum, prudentissimum, elegantissimum, &, quo maxime adfectus sum, Societatis meae amantissimum. Sic enim res ab nostris hominibus, in illa barbaria, divino numine, feliciter gestas persequebaris, ut & amplissimas iis laudes tribueres, qui gesserunt, & eorum, ubi opus esset, patrocinium, singulari studio ac contentione, adversus obtrectatores, defensionemque susciperes. Non ignorabam equidem, Te, ex quo tempore Societatis hominibus Mutinae in disciplinam adolescens es traditus, susceptum semel erga nos studium numquam aut deposuisse aut vero re-

mi-

misisse; idque & amicitiis plurimorum ex nostris (Paulli potissimum Segneri junioris, viri sanctissimi atque eloquentissimi; cujus etiam Vita atque scripta quaedam edita abs Te sunt) ineundis religiosissimeque colendis, & nostris sive hominibus sive rebus, palam voce scriptisque, omni praeconiorum genere ferendis, saepissime declarasse. Quae quidem hominis, omni laude dignissimi, nec minus boni viri, quam docti, laudatio semper mihi plurimi facienda atque amplissima visa est. Sed Te, in tantis studiorum tuorum occupationibus, in tantaque tot voluminum (quibus legendis, non modo scribendis, vix hominis vita sufficere videatur) in omni litteraturae genere edendorum, tamque assidua cura versantem, res nostras attingere, nedum tam diligenter persequi atque ornare, & proprio volumine complecti atque in hominum vulgus prodere, ut maxime velles, tamen posse non putabam. Itaque tam singulari studii ac benevolentiae erga nos tuae significatione commotus coepi statim non quidem de referenda (id enim

Non opis est nostrae, Antoni, nec quidquid ubique est
Gentis Lojolaeum, magnum quae sparsa per orbem)

sed de profitenda declarandaque Tibi a me gratia cogitare: quumque ejus rei opportunitatem atque occasionem in ipsa Gratiani editione, quae a me flagitabatur, oblatam ac constitutam intelligerem, aliis, quae in manibus adfecta atque inchoata habebam, quaeque absolvere properabam, omissis, rem alacer sine cunctatione suscepi. In qua quidem curanda aliquot menses ita versatus sum, ut nihil, nisi de ea, non mediocres inter labo-

bores atque moleſtias (quales Te quoque in tam multis ſcriptis tuis edendis expertum eſſe neceſſe eſt) ac de tuo nomine cogitarim. At vero ingentes mihi animos atque alacritatem ſodales mei, non modo Florentini hujus, ſed reliquorum etiam per Italiam Collegiorum, alumni, inter aerumnarum pleniſſimum opus, addiderunt; qui, ubi de conſilio meo cognoverunt, cum illud vehementer probare, tum me ſermonibus ac litteris ad perficiendum cohortari non deſtiterunt. Habe igitur primum hoc *Antonii Mariae Gratiani*, meis cum adnotatiunculis, *De ſcriptis invita Minerva*, ipſis hiſce diebus a typographis abſolutum, volumen, Tibi ob ſingularia tua in me meoſque merita debitum, a me ſumma cum mea meorumque voluntate ac benevolentia dedicatum. Alienum quidem opus eſt, ſed meo ſtudio, mea opera diligentiaque vulgatum, meis litterulis auctum, mea denique ſponte libentiſſimoque animo Tibi uni deſtinatum: quod Tu, ut ſcriptoris Italici, de Italiciſque rebus tractationem, in primis praeſertim libris, complexum, inter *Italicarum rerum ſcriptores*, ſi dignum judicaris, repones, magnificamque illam, a Te collectam atque inſtructam, ſupellectilem hac novorum ſcriptorum acceſſione cumulabis. Vale, Vir clariſſime noſtrique amantiſſime,

Italiae atque ingens aevo decus addite noſtro...

D. Florentiae prid. Kal. Sextil. a Chr. N. cIɔIɔCCXXXXV.



HIERONYM. LAGOMARSINVS

E SOCIETATE JESV

L E C T O R I S. D.





Mpliſſimi Viri Joſephus, Pallas, Aloyſius, Antonius Maria, Joannes Baptiſta (nunc quidem Camaldulenſis Monachus, Gregorius nomine) ac Carolus Gratiani Fratres, Joannis Pauli filii, Joannis Baptiſtae nepotes, Caroli pronepotes, Aloyſii abnepotes, exemplar hoc manuſcriptum, quod edendum ſuſcepi, Antonii Mariae Gratiani, Epiſcopi Amerini, qui frater Aloyſii, patruus Caroli fuit, inter haereditaria familiae monumenta, domi ſuae diu Tiferni (qua in urbe, relicto Burgo Sancti

Sepulcri, constitutum genti domicilium est, jam inde ab anno Christi nati 1607. quo Carolus, Aloysii filius, Margaritam Tifernatem, unicam Octavii Pallantis filiam, sibi matrimonio adjunxit) habuerant: quod quum ante aliquot annos apud eos eruditissimus eorumque familiarissimus Michael Angelus Paganellus S. J. forte vidisset, auctor illis vehementer fuit, ut ne diutius egregium praestantissimi Gentilis sui opus in tenebris abditum continerent, sed quamprimum in lucem, augendi litterarum utilitate, litteratorumque hominum gratia ac commendatione, proferendum curarent. Illi primo nonnulla contra afferentes (praesertim quod Auctor vulgari opus, in ipsa operis praefatione, vetuisset, quodque multa in eo de Gratianorum familia commemorarentur, quae in vulgus prolata invidiam atque offensionem habitura viderentur) ad extremum Paganelli, singula egregie vereque refellentis, auctoritati cesserunt. Missum ad me exemplar est, atque, ut illud recognoscerem ederemque, si probassem, negotium datum. Ego, variis gravibusque occupationibus distentus, complures annos rem distuli, quoad eae causae, quas in superioribus ad Cl. V. Ludovicum Antonium Muratorium litteris explicavi, me de operis editione serio cogitare coegerunt: quo nunc de opere pauca praefabor.

Constat libris omnino viginti. Ac primus quidem historiam Burgi Sancti Sepulcri ab ipsa urbis origine ad exitum saeculi XVI. complectitur; quae eo gratior Italis praesertim hominibus accidere debet, quo haec pars Italicae eruditionis vulgo fuit adhuc ignotior. Nam, quae vulgata de rebus Burgensibus circumferuntur, ea & necessariis deficit, & supervacaneis abundare, denique nec satis ubique vere, nec certe satis eleganter descripta existimantur. Exstat in Bibliothecae Medicco-Laurentianae pluteo LXVI. codex chartaceus in fol. min. numero 26. notatus, duabus & triginta paginis constans, inscriptus titulo: Historia Burgi S. Sepulchri. *Continet is quidem nonnulla ad Burgi historiam pertinentia (quae ipsa, delectu habito, Gratianus noster non omisit) sed pleraque etiam prorsus aliena: nec tam historia ea est, quam supplex ad Nicolaum, opinor, quintum, Pontificem Max. Monachorum Camal-*

du-

Iulensium, in Burgensi S. Joannis Evangelistae coenobio degentium, libellus, quo jura quaedam sua adversus Tifernatium Episcopum sive tuentur sive repetunt: horretque totus sententiis ac verbis. [1] *Haec autem, a Gratiano condita, Burgensium historia tam copiosa, tam magnifica, tam nitida, tam elegans est, ut propemodum non magis Achilli Homerum Alexander, quam plurimae Italiae urbes Burgensibus talem rerum suarum scriptorem atque praeconem invidere debuisse vi-*

 2

1 Initium operis tale est: „ Quemadmodum ab antiquioribus majoribusque nostris accepimus, beatissime pater, terra Burgi S Sepulchri divina prorsus miraculosaque dispositione fundata est. Nam Archanus & Egidius. duo ii peregrini .. cum ex Jerusalem, ac ex hinc ex Romana urbe in parriam reproficiscerentur, per luca, quae nunc nostra sunt, & ea nemorosa tunc eraut (Nucleatnoi quippe id nemus appellari solebat) transeuntes, estu fervoris laborantes in siti, pedes eorum apud vivum fontem puteolumve, qui in via exsurgebat, firmaverunt. post autem recreationem, dormientibus illis, visio in somnis Archano visa est jam decrepito &c „ Finis hic: „ Habes ex hoc commentario, beatissime pater, habes enucleata causae nostrae jura: quae si vel titulis vel continuata possessionis & jurisdictionis exercitatione consistunt, ad parturiendum bonae fidei possessorem, ut locus sit exceptioni praescriptae jurisdictionis, sane, beatissime pater, potissima sunt ac meliora, quam Episcopi Castellani Sed luce lucidius esse perspicitur, titulos nostros & monasterii & antistitis nostri imperiali ac etiam pontificali & apostolica auctoritate exortos esse ... hinc est itaque, pater sancte, quod decens est expeditque clementiae tuae; apostolica auctoritate rebus his clementer occurrere, & ex novo indulto tuo apostolico decernere, monasterium ipsum Sancti sepulchri, & abbates ac Burgum nostrum cum pertinentiis suis personisque Burgensibus omnibus utriusque sexus, eo privilegio Alexandri quarti, supra memorato ordini Camaldulensium concesso, legitime & inviolabiliter posse & debere potiri ... Datum ex imperiali pontificalique Burgo Sancti Sepulchri anno incarnationis Dominicae 1452 sub die tertio mensis decembr. pontificatus tui anno 8. „ Sequitur in eodem codice exemplum privilegii Bonifacii noni. Incipit: „ Bonifatius Episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis Abati & conventui monasterii sancti Johannis Evangelistae de Burgo Sancti Sepulchri, Camaldulensium ordinis, Civitatis Castelli dioecesis, salutem & apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus, quem ad nos & romanam ecclesiam gerere comprobamini, merito nos inducunt votis vestris, illis praesertim, per quae quieti & tranquillitati vestrae consulitur, & vestrum monasterium in suis conservatur juribus, favorabiliter annuamus. exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod licet idem vestrum monasterium, & Burgum Sancti Sepolchri, civitatis Castelli dioecesis, in qua ipsum monasterium situatum est, nec non universitas & districtus ejusdem Burgi cum omnibus juribus & pertinentiis suis fuissent, & essent ab omni dominio, jurisdictione & potestate Episcopi civitatis Castelli, pro tempore existentis, & alterius cuiuscumque ... ex spetialibus privilegiis Sedis apostolicae penitus exempti, liberi & immunes; & Abbates ejusdem monasterii ... extitissent ... in pacifica possessione ... audiendi omnes & singulas usurarum, tam matrimonialium, quam alias quascumque causas, ad forum ecclesiasticum pertinentes, & etiam exercendi omnem jurisdictionem ecclesiasticam in Burgo & districtu praedictis: tamen postmodum Episcopus civitatis Castelli, qui tunc fuit, forte sentiens, ejusmodi privilegia casualiter alienata & amissa, Abbatem, qui tunc erat, & Conventum vestri monasterii gravibus super ejusmodi juribus & jurisdictione litibus involvit .... Datum Romae apud Sanctum Petrum, Kalendis aprilis, pontificatus nostri anno duodecimo. „

videantur. Quam quidem historiam perficiendam & ad haec usque tempora deducendam per eruditissimum amicum nostrum Philippum Zagrium curavimus; quem etiam atque etiam monuimus, ut doctissimi viri Thomae Rinaldi Burgensis, ex Augustiniana familia Theologi ac Concionatoris eximii, qui Genuae nunc agit, quemque ad nos allatum est plurima in ejusdem historiae usum monumenta collegisse, sententiam exquireret, &, ut symbolam conferre suam, in patriae decus atque ornamentum, ne gravaretur, rogaret. Historiae Burgensis hoc supplementum in calce hujus operis dabimus, siquidem id secundi voluminis magnitudo patietur, sive primo huic operis libro subnexum seorsum aliquando edemus.

Secundus liber, tertius ac quartus Gratianae familiae originem, domicilium, res domi militiaeque gestas, affinitates, vicissitudines accurate persequitur. Et tenet ipsa narratio lectorem (nam & varia est & suavissime exposita) & de familiis scripturos, qua ratione in eo scribendi genere versari eos oporteat, docet.

Quinto libro reliquisque deinceps, ad XIII. usque, itinera Aloysii fratris peregrinationesque, per Europae, Asiae atque Africae praecipuas regiones, singillatim percensentur. Locorum situs atque intervalla, urbium frequentia, dignitas atque ornamenta, gentium religio, mores, opes, bella cum vetusta tum recentia, omnia denique, quae cognosci ab erudito peregrinatore oportet, tam diligenter ac paene graphice describuntur, ut, qui legit, non tam legere, quam per eadem deduci loca, de rebusque cognitione dignissimis a quodam peregrinationis socio ac comite doceri videatur. Duodecimo, quo Aloysii fratris peregrinatio absolvitur, primum hujus editionis volumen definiri Typographo non insulse placuit.

Sequitur tertiusdecimus, qui voluminis secundi primus futurus est. Hoc septemque consequentibus de se ipso Gratianus agit. Ortum, educationem, studia, Joannis Francisci Commendoni Cardinalis clientelam ac familiaritatem, legationes tum cum eodem, tum per se obitas, consilia, acta, rerum eventus, denique quaecumque per Europam, Pontificibus Max. Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. Urbano VII. Gregorio

XIV.

XIV. Innocentio IX. Clemente VIII. maxime insignia, praesertim ad Religionem catholicam pertinentia, contigerunt, his octo postremis libris diligentissime exsequitur. In anno ab ortu Christi 1598. (*quo Ferrariae, in fidem Romanae Ecclesiae nuper receptae, a Clemente VIII. Margarita Austria Philippo III. Hispaniarum regi, per Albertum, Austriae Archiducem, procuratorem, matrimonio juncta est, mense, ut opinor, novembri*) *consistit; non quod huic tempori non superfuerit* (*nam ad annum* 1611. *vitam propagavit*) *sed fortasse, quod, quum in eundem annum* 1598. *Aloysii fratris* (*qui ad se Venetias, ubi Nuncium Apostolicum agebat, visendi causa, concesserat*) *obitus incidisset* (*ad quem nimirum hos libros scribere instituerat*) *non putavit esse jam sibi illos, eo mortuo, perficiendos.*

Sed gratius vulgo fore existimo, si totius operis argumentum singillatim atque uberius explicaro. Quod equidem minimo labore meo faciam. Allatum est enim ad me nuper Tiferno alterum hujus ejusdem operis exemplar, ab eodem Librario scriptum, sed plurimis lituris & correctionibus, ipsius Gratiani manu inductis, abundans, nec tamen ultra librum XVIII. progrediens: (*ex quo descriptum esse hoc nitidius atque absolutius, quod in hac nostra editione sequuti adhuc sequunturique deinceps sumus, apparet: nosque illud in altero operis volumine edendo, si quando locus suspectus aliquis occurrerit, consulemus, &* primum exemplar *in ejus auctoritatibus allegandis appellabimus.*) *In hoc igitur primo exemplari plenissima librorum decem & octo priorum quaedam Summaria, Italica lingua, praemittuntur: quae ego non tam a Carolo, Auctoris fratris filio, quam ab ipso Auctore patruo, Caroli nomine, esse confecta censeo. Auctoris certe manum in multis correctionibus versatam, & posteriora quattuor Summaria ab ipsomet perscripta esse video.*

SOMMARIO DEL LIB. I.

QUesto Volume fu scritto da Monsig. Antonmaria Gratiani, mio zio, sforzato dalle continue preghiere, & instanze fatteli da mio padre, il quale desiderava, che lasciasse al-

alcuna memoria della vita sua, & de i negotij, ch' erano passati per le sue mani. Monsignore lo recusò lungamente & diceva, che quel di mio padre era un desiderio ridicolo, ma in fine per darli qualche satisfatione scrisse dell' origine del Borgo. Ancora ch' egli non vi stesse mai, e ne fosse poco informato, però fece diligenza d'investigare almeno quelche e ne trova appresso gli autori. E poi scrisse della nostra famiglia, e poi i viaggi del medesimo mio padre: il quale non si contentando di questo lo pregò tanto, che lo sforzò a prometterli di scrivere alcuna cosa anco di se medesimo. A che egli diede principio, ma non seguitò. & perche fece tutto questo molto contra sua voglia, intitolò i libri de scriptis invita Minerva. Nel primo libro adunque si contiene il principio & l' edificatione del Borgo S. Sepolcro nostra patria: i successi d'essa Città; & da quali Principi, & Signori sia stata dominata, & come. Gli homini più celebri, ch' in essa sono stati, tanto nell' armi, quanto nelle lettere, & in altre professioni.

SOMMARIO DEL LIB. II.

NEl secondo libro si narra l' origine della famiglia de Gratiani. In che tempo venne ad habitar nel Borgo, di dove venne, & alcuni huomini segnalati, ch' in essa sono stati, & specialmente si fa mentione di Buono & de carichi, che dal Rè Carlo prima & poi dagli Aretini hebbe in Toscana, & in Arezzo & di Carlo suo figliuolo, come vinse in steccato un Principe Francese, come l' uno & l' altro accrebbe l' arme della famiglia, come Carlo liberò la patria dalla Tirannide d' Uguccione de la Faggiola, & la rimesse nella sua libertà, & ne fu capo & podestà, & come fu eretta in Vescovado.

SOMMARIO DEL LIB. III.

NEl terzo libro si contiene la causa delle dissensioni seguite nel Borgo. Dell' homicidio commesso in persona del Bevagna, & dell' Alessandri, & quel che fu tentato contra il Borgo

gò da' i forofciti di Fiorenza, doppo la morte del Duca Aleſſandro. La Clemenza del Duca Coſmo contra molti ribelli, & due eſempi di Clemenza, un' antico d' Auguſto Imperatore & l' altro de' noſtri tempi del Duca di Guiſa, molto notabili ai Principi. Et quello, che per occaſione delli foroſciti ſeguì nel Borgo in vendetta deli ſudetti Bevagna & Aleſſandri, & del movimento del popolo contra alcune famiglie. Et la pace ſeguita, & ſi riprendono quelli, che i citavano la gioventù all' inimicitie. Et ſi toccano alcuni particolari di Meſs. Leone Gratiani, & quello, che paſsò fra il Capitan Latantio Pichi, & il Capitan Francia Goracci.

SOMMARIO DEL LIB. IIII.

SI tocca nel quarto libro l'eſito della famiglia di Meſs. Leone, la rinovatione delle diſcordie ſotto Silveſtro & Federico, & il ſucceſſo ch' hebbero. il fine di Franceſco, nipote di Meſs. Leone, & per occaſione d eſſo ſi narra il caſo ſeguito in Padova nella perſona di Vittoria Acoramboni, & la pazza temerità di Lodovico Orſino, & la giuſtitia ſeguita contra lui, & contra i ſuoi. La vecchiaia notabile di madonna Livia, moglie di Meſs. Leone. Si parla del Capitan mio Avo, & in tal propoſito di Napolione Orſino, meſſo alla guardia del Borgo al tempo della guerra di Fiorenza, & di certa ſua fattione, & della morte del Ferruccio, & de i figliuoli di detto mio Avo.

SOMMARIO DEL LIB. V.

NEl quinto libro s' eſpongono i viaggi fatti da mio padre, ad iſtanza del quale è ſcritta queſt' opera. Per occaſione del viaggio di Portugallo, ſi tocca con molta breuità, ma con termini hiſtorici & ſuſtantiali, l' impreſa fatta dal Re Don Sebaſtiano in Africa contra l' Emonuco: la morte ſua, & di due altri Rè nella battaglia. La ſucceſſione & morte d' Henrico Cardinale, la Guerra nata per queſta cauſa

ſa fra il Rè di Spagna & D. Antonio di Portugallo. La vittoria del Rè. La battaglia navale ſeguita alle Terzere con la morte di Filippo Strozzi, capo dell' armata Franzeſe. Il fin di Don Antonio. L' oppreſſione d' uno Scarpellino, che ſi finſe il Re Don Sebaſtiano. La deſcrittione di tutti li ſtati, che tiene il Rè di Spagna tanto nel mondo nuovo, quanto nel vecchio, doppo l' acquiſto di Portugallo; che ſono ſi grandi, che dalla creatione del mondo in qua non ſi ha notitia di Re alcuno, che habbia poſſeduto tanta parte della terra.

SOMMARIO DEL LIB. VI.

IL libro ſeſto ha il viaggio del medeſimo mio padre in Hieruſalem. La deſcrittione della Paleſtina, diviſa in quattro provincie, & del fiume Giordano, del mar di Tiberiade, del mar Morto, del monte Libano, & de' popoli, che l' habitano, & delle Città & lochi di tutta terra ſanta. Di Tiro diſtrutta da Aleſſandro magno. De la crudeltà, & morte d' Herode. Del fatto animoſo di Judit. Del parto della Beata Vergine in Bethlem. De l' antica grandezza di Hieruſalem & del tempio. Della preſa, ſacco, & diſtruttion ſua fatta da Tito Veſpaſiano. De diverſi ſucceſſi d' eſſa, & della preſente ſua conditione.

SOMMARIO DEL LIB. VII.

NEl libro ſettimo ſi contiene il viaggio fatto dal medeſimo in Egitto. La deſcritione de l' Egitto. La ſua antica grandezza, & la potenza de i ſuoi Rè. La ſua gran fertilità, & la cagione d' eſſa. La vera origine del Nilo, il corſo ſuo, & le cataratte. Le vere cauſe del ſuo annuale accreſcimento. La grand' Iſola che fa il Nilo detta Meroe, & le qualità e potenza di detta Iſola. Come s' ingannorno gl' antichi circa la zona torrida. I popoli d' Egitto & lo ſtato lor preſente. La deſcritione del Cairo. Le piramide, il laberinto, le ſphingi, gl' obeliſchi, & l' altre fabriche immen-

mense. Il Delta, Alessandria antica & moderna. Il ritorno d' Egitto in Soria, la descrittion d' essa, i popoli Drusi, Damasco, Antiochia, dove nacque il nome christiano, Aleppo. La descrittion de l' Asia, che i Turchi chiamano Natolia, li Regni & Città principali d' essa, con molte historie di cose più notabili antiche & moderne, & l' arrivo suo a Constantinopoli.

SOMMARIO DEL LIB. VIII.

NEll' ottavo libro si narra la transportatione fatta da Constantino de l' Imperio Romano a Bisantio, chiamato poi dal suo nome Constantinopoli; il tempo, che vi durò; l' origine de' Turchi, & i progressi loro: di Ottomanno, da chi cominciò la potenza Turchesca: & d' Orcane suo figliolo, che prese Bursia: & d' Amurate, che fu il primo a passar per l' Helesponto in Europa: & di Baiazzette vinto da Tammerlane: & di Celebino & Mahomette, che recuperò quel che havea perduto Baiazzette: & d' Amurate secondo, che aggrandì l' imperio in Europa, & occise in battaglia Vladislao Rè di Polonia, & d' Vngaria, & morì per non havere potuto disfare Scanderbec: & di Mahomet secondo, che prese Constantinopoli: & di Baiazzette secondo, che contese con Zizimo suo fratello, il quale vinto fuggì in Christianità: & di Selim, che tolse l' imperio al padre & lo fece morire, & occupò la Soria & l' Egitto, con l' historia delle più notabili imprese fatte da ciascheduno delli sudetti dieci Rè de' Turchi.

SOMMARIO DEL LIB. IX.

NEl nono libro si raccontano i fatti & vittorie di Solimano, domator dell' Vngheria, che finalmente essendo morto sotto Seghetto, l' esercito suo, credendo, che vivesse, espugnò la terra: & di Selim secondo, che tolse Cipro a' Venetiani, & la Goletta a' Spagnoli: d' Amurate terzo che guerreggiò quattordici anni con Persiani, & prese Tauris

& tenne nuovo modo di guerreggiare con quella natione & differente da quello, che havevano tenuto i suoi antecessori, & si impatronì di molto paese; & pacificato co' Persiani attaccò la guerra in Vngaria con l' Imperatore Ridolfo, & si raccontano molte notabili cose della detta guerra di Persia.

SOMMARIO DEL LIB. X.

IL decimo libro contiene i molti figli lasciati da Amurate & uccisi da Mahomet suo successore: l' autorità della madre nel governo: la natura & conditione di detto Mahomet: la rotta de l' esercito a Comar: la presa di Ghiavarino da Sinam Bassa per colpa del Conte d' Ardech, che per tal causa fu giustitiato: & la recuperatione d' esso per stratagemma da Suarzemberch: la presa di Strigonia tolta a' Turchi, & una brutta attione degli heretici in detta presa. La venuta in Vngaria di Mahomet in persona, & l' espugnatione d' Agria, & il pericolo suo di perdersi: la perdita di Canisia, fortezza di frontiera, espugnata da Habraim Bassà per colpa del Paradaiser Todesco, che parimente per tal causa fu decapitato: & l' assedio d' essa per recuperarla ma indarno. La presa d' Albareale, fatta dal Duca di Mercurio.

SOMMARIO DEL LIB. XI.

NEll' undecimo libro si descrive la Transilvania, & si racconta, come fù lasciata da Solimano a' Christiani: il caso di frà Giorgio, Vescovo di Varadino & Cardinale ammazzato a tradimento la morte del primo Principe & la successione di Stefano Battori: i fatti di Sigismondo Battori, successo a Stefano, & il gran nome da lui acquistato, & la sua viltà, per la quale abbandonò il regno, & finalmente lo perse: un egregio fat-

fatto di Micale Valaccho contra Turchi: la venuta in Transilvania del Cardinal Battori, & il tradimento orditoli per mezzo di Micale, & la sua morte, & poco appresso la morte del medesimo Micale, pur occiso dalli medesimi.

SOMMARIO DEL LIB. XII.

IL duodecimo contiene una breve descrittione di quanto abbraccia l' Imperio de' Turchi: la prima institutione de' Giannizzeri & Spachi, & la loro antica disciplina & modo di vivere: & la mutatione de' costumi & corruttela degli ordini & primi instituti de' Turchi, cominciata doppo la ruina de' Mamalucchi & degli Vngari, & pervenuta a poco a poco a gran dissolutione & poca obedienza & poco rispetto anco verso il medesimo Signore: & si raccontano due seditioni fatte contra lui, sforzandolo a far morire due intimi ministri, & domandando la morte de la stessa sua madre: & la pompa & le delitie & lusso de' Turchi, nel quale si può mettere maggiore speranza de la destruttion loro, che nell' armi nostre; non trovandosi chi li possa assaltare & far contra loro la guerra offensiva & non defensiva, come fin quì s' è fatto: & si narra di che età & con quanta gente Alessandro Magno assaltò l' Imperio de' Persi. Si descrive la Città & sito commodissimo di Constantinopoli, & la sua abundanza, & grandezza & frequenza sopra tutte l' altre città d' Europa: & il resto del viaggio fin' a Venetia, & alcune private cose.

SOMMARIO DEL LIB. XIII.

NEl decimoterzo, doppo haver dette alcune cose di se medesimo & de' suoi principii, narra il viaggio fatto per il Concilio di Trento alla Corte de l' Imperatore, & di là, passato il Danubio sopra il ghiaccio, in Bohemia, in Sassonia,

nella Marca di Brandeburgh a Bransvic, & a diversi altri Principi, & si toccano varii particolari di quelle nationi: il ritorno al Reno & a Colonia: di un Collegio di Canonichesse di detta città, & alcune cose de' costumi delle donne del paese, differenti da i nostri, & del resto del viaggio sin' a Cleves.

SOMMARIO DEL LIB. XIV.

NEl decimoquarto si continua il viaggio giù per il Reno in Holanda, & Fiandra. Si parla di Traietto, di Dodraco, & de la grandezza & bellezza de gli homini, & de le donne, & degli animali; del sito d' Holanda & de le sue qualità, & de l'industria de gli habitatori nel mare, con la quale non solo abbondano essi, ma danno a gli altri paesi le cose, che non nascono nel loro. In che modo contrastino col mare, più alto del lor terreno, & i danni, che talvolta ne han riceuto. D'una donna, & d'un homo marino, presi in quel paese. Di Brabantia & d' Anversa, & de' costumi & qualità de' Fiamminghi, & de le cose più rare di quei paesi. De le cause & principii de la ribellione di Fiandra. De la venuta del Duca d' Alva con l'essercito: de la prigionia del Conte d'Agamonte, & d' Horno, & de la giustitia fatta di questi dui Principi; & de la guerra fra il Duca & Prencipe d' Orange, & de la troppa severità & pertinacia del Duca, con la quale fece rinascer la guerra, che di poi è sempre durata. De la potenza del Prencipe d'Orange, & de la sua morte: & de la spesa fatta dal Rè in quella guerra di più di cento milioni d'oro: & del paese di Liege: & de la città d' Amsterdamo.

SOMMARIO DEL LIB. XV.

IL quintodecimo libro contiene il periculo d' una tempesta di mare in un gran golfo dell' Oceano. Si parla de la Frisia qual fosse appresso gli antichi, & qual sia hoggi. De la città di Lubeca. La risposta de li due Rè di Danismarca & di Svetia. I mali che nascono da la libera elettione de' Rè: la crudel-

deltà usata in Svetia dal Rè Christierno, & il suo fine. Come pervenne al Regno Gustavo, & l'esito del Re Erico. De la Città d'Hamburgo, & del ritorno in Fiandra. Di Mons, d'Hannult, di Rhens, di Lorena, & de la morte del Duca Carlo di Borgogna: di Metz, di Theouville, dove morì Pietro Strozzi. Del pericolo corso per l'acque andando a Treveri. De la città di Treveri, dove si conserva la tunica inconsutile di nostro Signore. Come fosse concessa l'elettione de l'Imperatore a' Germani, & deputati gli Elettori. De la dignità & ordine di detti Elettori, & del modo d'eleggere: & altri particulari circa l'Imperio. D'Aquisgrano & d'alcune reliquie, che vi si conservano. Di Carlo Magno. Di Francfort, d'Herbipoli, di Bamberga, di Norimberga, di Ratisbona, d'Augusta, di Monaco, & del ritorno in Italia & al Concilio di Trento. Vna breve descrittione de' confini di Germania & de la sua grandezza. Quel che ne scrissero gli antichi, & quali siano i costumi suoi hoggi: & d'un nuovo viaggio in Corte de l'Imperatore Ferdinando.

SOMMARIO DEL LIB. XVI.

NEl sestodecimo libro si contengono due viaggi fatti in Polonia. Si parla de la Carinthia, & d'un mirabil modo, che quei populi hanno d'accettare il Principe loro. De la Stiria, dove si cava molto ferro, & dove per l'acque ferrigne è gran numero di persone col gozzo. De l'Austria, & in proposito d'essa si narra la vera origine de la casa d'Austria, & li suoi principii & progressi. De la Moravia, & de gli Anabaptisti, che vi habitano. De la Slesia, & di Vratislavia, capo d'essa. Si descrivono i confini del regno di Polonia, & poi ciascheduna provincia d'esso. Si ragiona de la Polonia minore, de la Polonia maggiore, de la Masovia, de la Cuiavia, de la Prussia: come fu conquistata a la Religion Christiana, & da quai populi era prima habitata, & come sia venuta sotto la corona di Polonia. Di Dantisco, che nel 1590. soccorse di grano Italia. D'alcuni rari animali, de l'Alce, del Caval salvatico, de l'Vro, del Bisonte, bestie ferocissime, & del modo di cacciarle. Del succino o ambra. De la Livonia

nia & sue qualità. De la Samogizia. De la Lithuania, grandissima provincia, & d'alcuni antichi costumi d'essa: come si fece Christiana col matrimonio di Jagellone in una Regina di Polonia, in competenza di Guglielmo d'Austria. De la Volinia, de la Podolia, fertilissime di terreno, ma poco habitate, & d'una nova navigatione proposta. De la Rossia, de gli Armeni, & Rhuteni che vi habitano. Di un lago, che fà sale. Del modo di pescar sotto il ghiaccio, & d'un quasi miracolo de le Rondine. Del Castoro o Lodra, che ha la coda di pesce; & d'alcuni altri animali di quelle regioni.

SOMMARIO DEL LIB. XVII.

IL decimosettimo libro parla de l'opportunità del regno di Polonia, se incontrasse un Rè bellicoso & di valore. De' costumi & qualità de' Polacchi. Gli homini di bella presenza, & di forte complessione, se non si guastassero con la crapula. S' attaccano volentieri all'amicitie; sono hospitali; parlano assai latino. S' accommodano mirabilmente a i costumi d'altri, quando son fora di casa, ma ripigliano presto i loro. Non usano gran supellettile. De' loro letti. Del vestir pomposo de gli huomini, modesto de le donne. Gente religiosa. Quanto fecero gli antichi loro per prohibir l' heresia de' Bohemi. Quanto fece Sigismondo vecchio per prohibir quella di Luthero. De la discordia fra la Regina Bona, & Augusto suo figliuolo, che aprì la porta a gli heretici nel regno. De la militia di quel regno, & sue forze. De l' autorità del Rè falsamente creduta piccola. De l' intrate del Rè. Si descrive una cava sutterranea di sale, assai maravigliosa. De la morte d' Augusto Rè ultimo de la Casa Jagellona. Del movimento per la nova elettione. De' mali pensieri de gli heretici. Di quanto fù preparato per l' elettione d' un Rè figliolo de l Imperator Massimiliano: & come per questo effetto fu mandato Monsignore al detto Imperatore, & come esso Imperatore guastò il disegno. Come furono ristretti i suoi Ambasciatori. De' suggetti, che concorrevano a quel Regno, & de le qualità & fondamenti di ciascheduno. Di una Dieta

ta

ta tenuta per ſtabilir l' elettione, & quello, che in eſſa ſucceſſe.

SOMMARIO DEL LIB. XVIII.

NEl libro decimottavo ſi narra la Dieta congregata per l' elettione del Rè. La riſolution preſa dal Legato d' aiutar Henrico d' Angiò, dopo che vidde eſcluſa la ſperanza dell' Arciduca Erneſto, acciochè non ſubintraſſe un heretico. L' audienza data a tutti gli Ambaſciatori fuorchè a quello di Spagna, per cauſa pe la precedenza con Francia. Il Decreto fatto, che gli Ambaſciatori dopo l' audienza ſi retiraſſero de la Dieta, dove dal Legato fu laſciato Monſignore. Come dopo haver gli heretici tentato alcune novità, ſi venne a l' elettione. Si narra il modo tenuto, & come ſi retirorno gli heretici, & come col timore furono aſtretti ritornare, & conſentire a l' elettion, & come Henrico fu pronuntiato Rè. L' ambaſciaria mandata in Francia. La partita del Legato per Italia, & come d' ordine del Papa vi reſtò Monſignore. Le difficultà, che nacquero per la tardanza del nuovo Rè. La ſua venuta, & come fu da Monſignore incontrato in Saſſonia, & udito a la preſenza de ſuoi conſeglieri. Come il Rè fù ricevuto ne' confini. La bella moſtra de la Cavallaria Thedeſca & Pollacca, & la differenza, ch' è da l' una a l' altra. La coronatione del Rè. La ſua fuga di Polonia per la morte del Re di Francia, ſuo fratello. La ſua venuta in Italia, & ritorno in Francia.

Universum autem opus inſcripſit: De ſcriptis invita Minerva*: quo titulo quis non decipiatur, putetque, id ſibi eum propoſuiſſe, ut ſcripta eorum, qui invita Minerva, hoc eſt, repugnante natura, maleque ſcripſiſſent, percenſeret ac coargueret? Verum ille, quum non ſua ſponte, ſed rogatu efflagitatuque atque adeo coactu Aloyſii fratris (quod in praefatione teſtatur) ad ſcribendum aggreſſus eſſet, hoc inſcriptione illa voluit intelligi, res eas, de quibus ſcriberet, invita Minerva eſſe a ſe ſcriptas. Tituli igitur haec*

ſen-

sententia est: De rebus a se, non sua, sed aliena voluntate, atque invitissime scriptis. *Sed, quamvis videam, quid dicere ille voluerit, mallem tamen alio modo dixisset. At non propterea ausus sum aut inscriptionem tollere, aut aliquid in ea innovare. Aliena edenti scripta quidquam tale licere non putavi. Eadem religione usus ipsum opus tractavi. Auctoris orthographiam retinui, nisi quod, ubi Librarius ab ea aliquando recesserat, revocavi. In interpunctione, quae valde perversa in MS. exemplari est, meum judicium rationemque sequutus sum. Nonnulla graviora, quae Librario exciderant, nec Auctor sua manu, ut fere solet, correxerat, mutavi quidem, sed ita, ut de mutatione mutandique caussis Lectorem in paginarum calce admonerem. Unum mihi in alio quodam genere sumsi, idque licere omnino volui, ut, si quando aliqua familia earum, quae adhuc supersunt, ita nominaretur, ut aliquod ejus sive turpe facinus sive ignominia notaretur, aut etiam, si graves cum aliis familiis, etiamnum superstitibus, inimicitiae mutuaeque caedes (quae commemoratae commovere posterorum animos atque ad similia inter se odia possent incendere) proferrentur, earum tum familiarum nomina sub litteris NN. occultarim. Qui id factum a me reprehendunt, nae illi videntur existimare, licere scriptoribus alienae famae (quod ego contra sentio) detrahere, statumque civitatum ac quietem civium perturbare; nec certe cogitant, quid, si suae familiae existimatio ageretur, prodi, quidque non prodi ab historicis vellent. Equidem Gratianum existimo ob eam potissimum rem scripta haec sua vulgari noluisse, quod quaedam hujusmodi continerent: quibus sublatis (quod a me factum est) licuit mihi, bona quodammodo Auctoris venia, illa vulgare. Itaque historiam ego illius non corrumpo, qui talia detraho: corrumperem potius, immo prorsus exstinguerem atque abolerem (quum non possem, salvo officio, iis non detractis, non illam, ex Auctoris sententia ac voluntate, supprimere) nisi detraherem. Qui autem hoc queruntur, unum aut alterum familiae nomen esse ex hac longissima historia occultatum, cur questi numquam sunt, totam sibi historiam centum quadraginta amplius annos esse* oc-

occultatam? Cur non iis succensent, a quibus, nihil ex ea edentibus, de tam multis tam diu caelati sunt? Quid me reprehendunt, nihil eos, praeter pauca nomina, in tam multarum rerum editione ac prolatione, caelantem? Denique, si tam sunt curiosi, ut, hujusmodi nominibus non cognitis, vitam sibi injucundam futuram putent, habent autographum, nunc quidem apud me, non multo autem post apud Gratianos, veteres possessores, quibus, uti accepi, ita nulla littera immutatum restituam. Inspiciant, nomina illa cognoscant, gestiant iis cognitis atque exsiliant, eruditos se denique, qui ea cognorint, arbitrentur: mihi negotium facessere desistant.

Autographum *autem solitus sum hoc exemplar appellare, quod, etsi ab alio* [1] *descriptum, recognitum tamen atque emendatum ab ipso auctore est.*

Adnotatiunculas quasdam, non mea voluntate, sed alieno efflagitatu, passus sum mihi inter operis editionem excidere. Eae sane invita Minerva *scriptae dici possunt. Otium certe, in Operarum incredibili festinatione, mihi omne ac perpoliendi augendique facultas defuit. Monumenta tamen* ἀνέκδοτα *quaedam, e Romano quodam locupletissimo tabulario depromta, in libri VII. & XI. adnotationes conjeci, minime illa quidem, quemadmodum spero, legentibus displicitura. Plura, ac fortasse gratiora, volumen alterum exhibebit. Contuli enim me extremo quintili proximo mense Tifernum, atque Antonium Mariam Gratianum fratresque conveni, a quibus libentissimis ingentes monumentorum, quae Auctor noster collegerat, ipsique diligenter servabant, divitias, in hujus editionis usum, abstuli, Florentiamque deportavi.*

Denique, etsi summa adhibita a me diligentia est, ut quamemendatissimum hoc opus prodiret, tamen quaedam, non certe omnino mea culpa, minus emendata exciderunt. Minime

✱†† *me*

1 Dum Gratianorum schedas pervolutarem, incidi in quasdam Auctoris nostri litteras, *Vincentii Mon. ldi Balcongiensis a secretis* subscriptas nomine, quibus Ascanio Clementino, Amerino civi, J. V. doctori, *Vicarii* in Amerina Dioecesi *generalis* munus atque amplissima potestas demandatur, datas *Romae in palatio cancellariae apostolicae die prima Maji an.* 1592 Harum litterarum manus eadem omnino est, atque illa, qua tum hoc, tum reliqua ejusdem auctoris opera (quorum omnium exempla, ab eo emendata, apud me sunt) descripta conspiciuntur. Habemus igitur, quo eis usus, in suis operibus describendis, Librario Gratianus.

me omnium ferenda illa sunt. Pagina hujus voluminis 51. *v.* 14. *pro* magnos *legito* magnas. *Pag.* 68. *v.* 30. *pro* destrusus *leg.* detrusus. *Pag.* 73. *marg. pro* stirp e *leg.* stirpes. *Pag.* 79. *col.* 2. *v.* 1. *pro* 1595. *leg.* 1598. *Pag.* 83. *col.* 2. *vers.* 20. & 21. *pro* die 6..... anno 1738. *leg.* die 26..... anno 1737. [1] *Pag.* 111. *pro* ii *leg.* in. *Pag.* 161. *v.* 8. *pro* Tagello-

1 Hanc correctionem debeo pereruditο Viro Antonio Puccio, equiti S. Stephani, Bartholomaei Episcopi fratris filio: quo (ne item Braccio ac Caesare fratribus Bracciis, Joanne Francisco Sistio, Archangelo Masseio, Petro Bucellio, Josepho Contuccio, Luca Tarosio, aliisque Montis Politiani praestantissimis civibus, sanctissimo praesertim Episcopo Antonio Maria Vantinio, ac Philippo Maria Papinio ex ord. Serv. B Mariae, denique Vitaliano Berretta S. J. viro doctissimo, omnisque antiquitatis peritissimo) sum usus humanissimis, quum ad eam urbem a. d 8. Kal. Sext. Tiferno nuper Cortonaque (ubi Cl. eruditissimumque Virum, Laurentium Guazzesium, Eq. S. Steph. Arretinum, urbis Praefectum, veterem amicum, incredibili cum voluptate longo intervallo revisi, perliberali hospitio ab spectatissimo Eq. S. Steph. Francisco Mancinio exceptus) accessissem, ibique triduum, Bucelliani Musei visendi, & magnis viris atque scriptoribus nobilitatae sedes cognoscendi causa, substitissem. Sequitur non meus neque Operarum, sed fabrilis error corrigendus in Aloysii fratris Epitaphio, quod pag. 367. exhibuimus: ubi certe non VIII. Kal. sed omnino VIIII. notari debuit. Etenim pridie ejus diei VIII. vita jam functum Aloysium intelligimus ex hoc autographo apud me legitimoque monumento. „ In Christi nomine Amen. Anno nativi„ tatis ejusdem millesimo quingentesimo no„ nagesimo octavo, indictione XI. die vero „ vigesima quinta mensis Januarii. Consti„ tutus coram me Notario & testibus infra„ scriptis admodum Reverendus Pater D. „ Michael Venetus Abbas Monasterii S. Geor„ gii majoris Venetiarum, ordinis S. Bene„ dicti congregationis Cassinensis, alias S. Ju„ stinae de Padua, confessus est nomine suo „ & sui Capituli, heri sero, quae fuit 24. „ instantis (*hoc est* VIIII. *Kal. Febr.*) ha„ buisse in depositum corpus admodum illu„ stris Domini Aloysii Gratiani de Burgo „ S. Sepulcri, status magni Ducis Hetruriae, „ hic defuncti, positum in quadam capsa „ lignea, indutum veste ordinis S Francisci, „ & positum in arca Rev. P. Abbatis dicti „ Monasterii, in capella S. Pauli, ab Illu„ striss. & Reverendiss. Domino Antonio „ Maria Gratiano, Episcopo Amerino, Nun„ tio Apostolico in hac civitate, dicti defun„ cti fratre germano. Promittens dictus Do„ minus Abbas nomine suo & dicti Capituli „ dictum cadaver restituere ad omnem requi„ sitionem dicti Illustriss. Domini, & haben„ tis ab eo legitimum mandatum, ac suo„ rum haeredum, & absque ulla contradi„ ctione. Super quibus rogatus fui ego No„ tarius, ut praesens publicum conficerem In„ strumentum. Actum Venetiis in Mona„ sterio supradicto, in camera supradicti Rev. „ P. Abbatis, praesentibus D. Baptista Nan„ ti q. D. Bernardini, mercatore Veneto, & „ Ser Seraphino, filio Ser Joannis Chirurgi de „ Valdaneo, testibus vocatis & rogatis.

„ Ego Marinus Rhenius q D Francisci „ Notarius publicus Imperiali ac Veneta au„ ctoritatibus de praemissis rogatus in fidem „ subscripsi & signavi. „ In cujus monumenti aversa fronte haec auctoris nostri manu perscripta leguntur: „ Deposito del corpo „ di Aluise, che sia in cielo. „

Et quando quid in hoc primo volumine corrigendum sit, monere coepimus, quiddam etiam addendum monebimus Nam pag. 93. ad illa verba *Pelusium, quae nunc urbs Damiata dicitur*, praetermissa est, nescio quo casu, haec adnotatio.

Dissentit a Gratiano Ferrarius in Lex. geogr. „ Pelusium *Belbais*, teste Guillelmo „ Tyrio, seu *Belbes* (non *Damiata*, ut „ plerique indigitant cum Thesauro linguae „ Latinae, cum *Damiata* sit Thamiatis apud „ veteres) urbs Aegypti archiepiscopalis sub „ Patriarcha Alexandrino, apud Pelusiacum „ ostium Nili orientale, a monte Casio 27. „ mill. pass. in austrum, Memphim versus „ 250.

lonii *leg.* Jagellonii. *Ib. v.* 27. *pro* iu *leg.* in. *Pag.* 134. *col.* 2. *v.* 15. *pro* P. Lui. *leg.* Phi. *Pag.* 171. *col.* 1. *v.* 39. *pro* possum *leg.* possum,. *Pag.* 196. *col.* 2. *v.* 23. *pro* Maria *leg.* Xaverio. *Pag.* 265. *v.* 32. *pro* juxerant *leg.* junxerant. *Pag.* 295. *marg. pro* Eathorius *leg.* Bathorius. *Pag.* 297. *col.* 2. *v.* 17. *pro* praeterea *leg.* praeter ea. *Pag.* 305. *col.* 1. *v.* 46. *pro* Cardinale *leg.* Cardinalem. *Pag.* 309. *v.* 24. *pro* animus *leg.* animos, *Pag.* 315. *col.* 1. *v.* 5. *pro* quem admodum *leg.* quemadmodum : *&* *v.* 8. *pro* promptas *leg.* promtas. *Pag.* 316. *col.* 2. *v.* 5. *pro* spectantis *leg.* spectantes. *Et pag.* 317. *in margine pro* Tursellinum *leg.* Possevinum. *Reliqua leviora, quorum pleraque in libros XI. ac XII. qui, me proximam Tifernatem peregrinationem obeunte, sunt editi, irrepserunt, per te ipse, humanissime Lector, emendato. Vale. D. Florentiae nonis sextilibus an. a Christo nato* CIↃIↃCCXXXXV.

*†† 2 AN-

„ 250. ab Alexandria 209. in ortum Hanc „ urbem locat Dionysius Afer apud montem „ Casium ubi ait:

„„ Post urbs sub Casio Pelusi vergit ad or- „ tus „„ Populi Pelusiotae Plinio & aliis. At Baudrandus in eodem Lex geogr. connivet quodammodo in Gratiani sententia: „ Pelusium, vulgo vicus *Belbais* nunc dici- „ tur, testibus Tyrio, Nigro & aliis: & ex „ ejus ruinis crevit Damiata, urbs ei fere „ adjacens, in adversa ripa Nili Pelusiaci: „ sicque saepe Damiata pro Pelusio sumitur, „ & est prope oram littoralem maris medi- „ terranei, 140. milliaribus ab Alexandria „ in ortum, uti 120. a Memphi in Cae- „ ciam.... Hanc olim quoque Aeliopolim „ ab Aelio principe, qui eam triplici muro „ cinxerat, dictam scribit Sabellicus. „ De Damiata autem haec idem Baudrandus in eodem Lex. geogr. scribit: „ Damiata, *Da-* „ *miete*, urbs Archiepiscopalis Aegypti, in „ ora maris mediterranei, & ad ostium ra- „ mi orientalioris Nili fluvii: alias *Pelusium* „ ut multi autumant; seu, & melius, *Tha-* „ *miatis* ex adverso Pelusii, ex cujus rui- „ nis crevit „ De Pelusiaco itinere illa sunt Torquati Tassi in suo Hierosolymorum poemate, cant. XVIII. Gratiani narrationi valde consona;

„ Gaza è Città della Giudea nel fine,
„ Sù quella via, che in ver Pelusio mena,
„ Posta in riva del mare, ed ha vicine
„ Immense solitudini d'arena:
„ Le quai, come austro suol l'onde marine,
„ Mesce il turbo spirante: onde a gran pena
„ Ritrova il Peregrin riparo o scampo
„ Nelle tempeste dell'instabil campo. „



ANTONII MARIAE GRATIANI

VITA

EX PINACOTHECA JANI NICII ERYTHRAEI.





VAM multa saepe ac summa ingenia in occulto latent, quae, si amica cujuspiam opera in apertum proferrentur, maximum sibi, familiae patriaeque suae, atque adeo orbi terrarum, splendorem & ornamentum possent afferre! Nunc autem, cum, tamquam ferrum humi defossum, in tenebris jaceant, sua desidia, tamquam rubigine, exeduntur, & illorum usus nequior efficitur. Atque, ne longius aberret oratio, nisi Antonius Maria de Gratianis, Biturgiae [1], nobili [2] imprimis loco, natus [3], in

[1] *Biturgiam* pro *Burgo S. Sepulcri* posuit Erythraeus, non recte is quidem, si Philippum Ferrarium & Michaelem Ant. Baudrandum in Lexico geographico audimus ,, Biturgia, *inquit Ferrarius*, oppidum Hetruriae, quod quidam per errorem *Borgo* ,, *di San Sepolcro* indigitant; cum haec urbs ,, non in Hetruria, sed in Umbria sit, apud ,, Tiberim fluvium, a Tiferno 8 mil. pass. ,, in Bor. distans. Potius est *Magliano* opp. ,, Seneus ditionis, a Telamone 8. mil. pass. ,, Suanam versus 20. ,, Baudrandus autem, ,, Bi-

in Cardinalem Commendonum incidisset, quicum Aloysio fratri 4 magnus usus, & amicitia intercedebat, vel in castris usu

,, Birurgia, *inquit*, aliis est *Citistella*, op-
,, pidulum Hetruriae, in dominio Florentino
,, 9 milliaribus ab Aretio Seoam versus
,, (qoanquam a Cluverio ponatut ad Tibe-
,, rim fluvium) non longe a Perusia in Bo-
,, ream, ubi nunc forsan *Cerqueto* castrum. ,,

2 De Gratianae familiae nobilitate Cardanus, Vechius, Ciattus atque alii multa eaque magnifica scripserunt. Ego particulam MS. orationis ab Anonymo in funere Simonis Gratiani, Camaldulensis instituti Monachi, qui an 1509 decessit, habitae, eo pertinentem, afferam: quam orationem legisse se etiam Gratianus noster pagina hujus Vul. 51. testatur: licet, quae de origine familiae, a Gratiano Caesare deductae, in ea praedicantur, fabulosa putet ac respuat.
,, Quam virtutum viam Venerabilis Abbas
,, Simon Gratianus sibi perambulandam de-
,, legit, & vitiorum viam poenitus dereli-
,, quit Qui virtutibus omnibos inserviens in
,, hoc saeculo omnibus honestis felicitatibus or-
,, natus vixit: qui primo optima Gratianorum
,, familia genitus dignitatis suae nobilitatem
,, honestis virtutibus decoravit. De cuius fa-
,, miliae primordio, ad eius decorem, ali-
,, quid altius repetemus. Gratianorom gens,
,, ut perhibent, a Gratiano Caesare princi-
,, pium sumpsit, qui sua virtute Germaoos
,, fudit, & praeclare imperium auxit; cuius
,, nobilissimae familiae reliquiae, & Perusiae
,, inter primores, & Cottignolae in Aemilia
,, inter optimates babentur Nam ex ea Gra-
,, tianorum familia, ut alios praetermittam,
,, Magister Rainaldus Gratianus, ordinis Mi-
,, norum Generalis, adhuc gloriosissime vi-
,, vit, vir omni doctrina, religione & huma-
,, nitate apprime decoratus. Ex Gratianis
,, autem, qui Perusiae sunt, hi nostri Gra-
,, tiani profluxere, qoi, quum primum Bur-
,, gom incolere ceperunt, nobilissimas aedes,
,, & turrim in medio foro, quam Torrigia-
,, num dicimos, habitarunt, & forum, quod
,, nunc commune est, privatom & suum pos-
,, sidebant Quae loca Barpholus & Fra-
,, gnius Gratiani haeredes (ut mos est) a-
,, lienaverunt Quibus Dominus Gratianus
,, succedens nobilissimas aedes in Burgo no-
,, vo, in quatrivio, quod hactenus Gratia-
,, norum dicitur, aedificavit. Quas vetustate
,, & incendio factinnom dirutas, praesentes
,, his temporibus Gratiani ornatius refunda-
,, runt. Huic Domino Gratiano, Equiti stre-
,, nuo, tres fuere filii, Rossus & Bonus & Bec-
,, carus, equestri dignitate ornati. Inter quos
,, Bonus sub Carolo, Andegaviae & Provinciae
,, Comite, strenue militavit. qui Carolus, Lu-
,, dovici, Francorum regis, consobrinus, a Cle-
,, mente, quarto eius nominis Pontifice, re-
,, gno Neapolitano donatus est, ut Man-
,, fredum Ecclesiae infestum ex eodem re-
,, gno deiceret, quod celerrime fecit: qui
,, Carolus Francorum primum regno Neapo-
,, litano potitus est, & praedictum Bonum
,, sub eo militantem paulo post in Ethruriam
,, misit, ut Guelphos, Florentia exulantes, in
,, patriam reduceret, & in Aretio et in Ethru-
,, ria praedicti Caroli Legatus & Gubernator
,, remansit.

,, Huic Bono Carolos filios soccessit, qoi
,, sua & parentis virtute in Insubria, quam
,, Lombardiam dicimus, Dux exercitus fuit:
,, et singulari certamine Gallum quemdam
,, strenuissimum docem superavit. Qui idem
,, Carolus, praedicti Boni Gratiani filius,
16 Ital. epit. „ Per mentre il Cardinal „ Commendone una volta stette malato à „ morte, chiamò a se detto Monsignore, „ & gli disse: „„ Tu vedi, ch' io sto ma- „„ lato à morte, e non ti ho mai ricogno- „„ sciuto di cosa alchuna. Però io t' ho „„ fatto questa poliza di sei milia scudi, „„ acciò tu gli pigli dal banco, & te ne „„ possa aiutare nelli tuoi bisogni. „„ „ Monsignore con quella grandezza d' a- „ nimo, ch' è stata sempre sua pro- „ pria, prese quella poliza, e la stracciò „ in presenza di detto Cardinale, dicendo- „ gli: „„ Io servo V. S. Illustriss. per mero „„ amore e affetto, che porto alla sua per- „„ sona, & non per speranza di premio „„ „ Actione degna di un tant' huomo! „ Quod quidem factum multo admirabilius debet videri, si (quod Epitomes auctor narrat, Erythraeus praetermisit) graviter ac periculose aegrotante Commendono, contigit. Nam, si valentis vigentisque munus Gratianus repudiasset, relinquebatur illa tamen suspicio, majorum praemiorum in posterum tempus exspectatione atque spe, magnitudinem illam animi prae se ferre eum voluisse. Cum vero ex gravi morbo decumbentis, jam jamque, ut opinio erat, morituri, liberalitatem adspernatus est, profecto declaravit, neque rem se, neque spem ullam, sed unum officium unamque honestatem sequi. Sed in scutorum numero Epitomes auctor erravit, vera prodidit Erythraeus. Manet in hanc diem, atque adeo in manibus meis est, syngrapha, ipsa illa a Gratiano duas in partes conscissa, Commendoni manu sigilloque consignata. Atque ea quidem digna esset, quae ubique terrarum circumferretur, ostendereturque rarum atque insigne hinc liberalitatis, illhinc magnitudinis animi monumentum. Quod quando fieri non potest, satis nos quidem habeamus illam hoc loco religiose describere, & posterorum etiam memoriae prodere.

„ Nos Joannes Franciscus, tituli Sanctae „ Mariae Angelorum in thermis Presbyter „ Cardinalis Comendonus (sic) sponte & ex „ mera nostra libera potestate, ob multiplicia „ servitia nobis per Antonium Mariam Gra- „ tianum, Secretarium nostrum, iam a pluri- „ bus annis nobis (sic) impensa, & quae eum „ in futurum impendere speramus, remunera- „ tionis alicuius beneficio ipsum complecti „ volentes, in & super omnibus & singulis „ bonis mobilibus & immobilibus, etiam in „ alma urbe ac alias ubilibet existentibus & „ consistentibus, summam scutorum quatuor „ mil-

quo erat perſcriptum, ut ab argentario quatuor ſcutorum millia numerata perciperet: quae vellet eſſe quaſi mercedem laborum, quos pro ipſo ſuſcepiſſet; ſimulque petebat ab eo, ne hanc, quamvis exiguam, ſuae in ipſum voluntatis ſignificationem aſpernaretur, ſed illud, quidquid eſſet, aequi bonique conſuleret. Cui Antonius Maria reſpondiſſe fertur: Quidquid feciſſet, ſe honoris ſui gratia feciſſe, verum, ſi res ad calculum revocaretur, bene inita ſubductaque ratione, non par inveniretur ratio acceptorum atque datorum: nam, ſe multo illi plura debere, profitebatur, quam ipſe ab illo accepiſſet: illum vero dolorem ſe non poſſe diſſimulare, quod cerneret, eorum ſe loco ac numero haberi, qui mercenariam ipſi operam darent: ſe enim, nihili antea hominem, ejus opera atque labore, factum eſſe alicujus precii, ipſique Reipublicae inventum eſſe, in uſu, probiorem: ac, petita ab eo demiſſe & humiliter venia, ſyngraphum conſcidit. Admiratus Cardinalis magnitudinem animi, ſpernentis id, cujus alii cupiditate abrepti fidem jurisjurandi, religionem, juſtitiam, bonam famam exiſtimationemque contemnunt, non ita multo poſt 17 locupletem Saxiferrati Abbatiam, ex qua bis mille ſcuta quotannis redibant, ſibi detractam, eſt illi, quamvis invito ac repugnan-

„ millium eidem Antonio Matiae donamus, „ concedimus & largimur, etiam titulo purae „ & irrevocabilis donationis, ita, ut per ipſum Antonium Mariam ipſa quatuor „ millia ſcuta ex ipſis bonis levari & exigi „ libere poſſint: promittentes, prout per „ praeſentes promittimus, huiuſmodi donationem perpetuo ratam & gratam habere. In quorum fidem praeſentem cedulam „ manu noſtra ſubſcriptam & noſtro parvo „ ſigillo munitam fecimus Romae in aedibus noſtris die 12. menſis Iunii MDLXXXI. Pontificatus Sanctiſs. Domini Noſtri D. Gregorii Papae XIII. anno decimo. Ita donamus Io. fr. Card. Commendonus. „

17. Ingenioſe magis atque concinne, quam vere, hoc dictum eſt ab Erythraeo. Syngrapham Commendonus Gratiano obtulerat, quod vidimus, die 12. menſis Jun. an. 1581. Sanctae Crucis autem apud Saxoferratum Abbatiam, ſibi detractam, eodem menſe ſuperioris anni 1580. illi fuerat elargitus. Habeo plurimas in eam rem Gratiani epiſtolas: unam ad ejusdem Abbatiae Monachos Kal. Julii an. 1580 Roma datam proferam.

„ La conſolatione, che le Paternità voſtre „ hanno de la renuntia, che il Cardinal noſtro „ padrone ha fatto de l' Abbadia di S Croce in „ perſona mia, & la buona voluntà, che mi „ dimoſtrano, mi è ſommamente cara, & „ ne rendo a le Paternità voſtre molte gratie. Et, ſe accaderà coſa, in che io poſſa „ adoperarmi a ſervitio loro in commune „ & in particulare, lo farò ſempre così volentieri, come per proprij & veri fratelli „ miei. Et noſtro ſignor Dio conſervi & „ proſperi le Paternità voſtre tutte ne la ſua „ ſanta gratia. Di Roma al 1. di Luglio „ 1580. „

gnanti, elargitus. Mortuo Cardinali, [18] Sixtus V. [19] usus eo est in latinis litteris scribendis. Quo in munere perquam diligentem ac laudabilem illi operam dedit [20]. Post cujus mortem,

18 De Commendoni morte, quae Patavii contigit, haec Gratianus in ejus vitae lib. IV. cap. 18 ,, Ad VIII Kalendis Januarii, natali die Christi, anno 1584. aetatis suae sexagesimo, Sacris religiose ac pie, ut videbatur, cum interfuisset, peractis iis, capturus cibum consedit, &, repente collapsis omnibus membris, supinus cecidit. Strato illatus, eum diem & noctem insequentem juxta mentis ac sensuum expers, atrocibus motibus & colluctationibus volutatus, postridie ejus diei, eadem ferme hora, qua corripuerat eum morbus, foede miserabiliterque oculis atque ore distorto, ad vitae finem pervenit, genere mortis, quale ipse minime optaverat. ,,

19 Ital Epit ,, Doppo la morte del Commendone e di Papa Gregorio XIII, nella creatione di Papa Sisto subbito fu chiamato al suo servitio, con carico di Segretario: dove hebbe occasione di far cognoscere il valor suo & l' eccellenza del scrivere & del negotiare, non solo dal Papa istesso, ma da tutti i Rè e principi Christiani, dove arrivavano le sue lettere, scritte con quella eccellenza del dire e con quel stile terso e proprio in tutti ij suggetti, che da tutti, che hanno havuto notizia di tal professione, sono state approvate per le più eleganti & più giuditiose, che mai al tempo suo sieno uscite fuori. Nel tempo, che servì Papa Sisto, scrisse in lingua latina la vita del detto Papa con molta eleganza, approvata dal Papa istesso, & reputata per compositione rara da tutta la Corte di Roma ,, Manuscriptum hujus vitae exemplar est in meis manibus, aliquando a nobis vulgandum. Sixti vitam deducit non nisi ad annum Pontificatus ejus primum: quo uno anno tam multae ab eo gestae res sunt, ut plurimorum annorum instar habere possint. Incipit: ,, Sixto quinto, Pontifici Max parentes probi homines atque innocentes fuere: sed humiles adeo atque inopes, ut vitam, quotidianae operae labore, & alieni parvique agri cultura tolerarent, filiumque, primos aetatis ineuntis annos in eadem humilitate habitum, in Franciscanorum familiam tradidisse pro magno fortunae atque domus incremento duxerint. ,, Desinit: ,, Atque haec, quae & numero & genere magna videntur, majora mirabilioraque fuerint, si paucis mensibus patrata atque intra vertentis anni spatium conclusa reputaveris. Multa praeterea & decreta salubriter, & gesta magnifice, & dicta responsaque sapienter ab eo sunt, quae persequi omnia, summas modo rerum percurrenti notantique, mihi necesse non fuerit. Tum dicentur nobis plenius, cum acta ejus majori paratu ordiri & prodere memoriae experiemur. Quod & facturi pro viribus nostris, si vita suppetet, omni conatu sumus, & ipse ingentia animo complexus, nec ulla mediocri contentus gloria, uberem decoris ingeniis materiam praebiturus egregia de se condendi volumina videtur. ,, Absolvendi operis consilium abjecisse eum argumento est, quod inter ejus scripta nihil praeterea de Sixti vita repertum sit. Et aliquam inter utrumque offensionem interpositam, reliqui Pontificatus annis, suspicor: praesertim quum videam libro hujus vol. VII. pag. 215. Sixti pontificis quaedam facta paullo iniquius, &, ut arbitror, minus vere interpretatum esse Gratianum.

20 Non unam scribendarum litterarum operam dedisse Sixto Gratianum, sed in variis honorificisque procurationibus, illius jussu, versatum fuisse ex Italica epitome intelligimus. ,, Papa Sisto diede la legatione di Bologna al Cardinal Montalto, suo nipote: et perchè era giovane, gli diede, che sopratastassero alli negotij di quella legatione importantissima, Monsignor Patriarca di Hyerusalemme, & Monsignor Gratiani, come huomini più atti nella Corte di Roma a sustentare il peso di tanto governo al Cardinal Montalto, quale, occupato in altri negotij importantissimi del Pontificato, lasciò sempre la cura del governo della legatione di Bologna a' detti dua Prelati, huomini intelligentissimi, & che governorno con molta prudentia quella legatione. Papa Sisto l' anno 1580 lo mandò a Milano, per trattare e conchiudere il parentado con la Signora Contessa Domma-

tem, eodem gradu fuit apud Alexandrum Cardinalem Montaltum, eique in quatuor illis conclavibus, quae deinceps consecuta sunt, affuit; in ejusque opera Clementi VIII. ad Pontificatum Maximum adipiscendum, longe maximus usus fuit.

„ maglia, per il' Prineipe Peretto, suo nipote: & con quella destrezza, che era solito trattare tutti li negotii conchiuse detto parentado . . & a nome di detto Principe Peretti la sposò con sua procura. Et permentre commorò per detta causa a Milano, compose e riconciliò alchune differenze, che erano nate fra il Duca di Savoia, & il Duca di Mantova: al'quale Monsignote l'uno et l'altro di dette Altezze timasero molto obligati: havendo conosciuto la destrezza & maniera del' negotiare di detto Prelato, veramente rara e singulare a ij tempi suoi. Permentre stette a Milano a compire i detti negotij, sucesse la morte di Papa Sisto: per il quale aceidente fù sforzato tornarsene a Roma dopoi che fu creato Papa (*prius quidem Vrbanus VII. qui dies modo duodecim in Pontificatu vixit*) „ Gregorio XIIII. e stette in „ Roma tutto il tempo del suo pontefica- „ to. „ Qui tamen Pontificatus novem menses, quemadmodum Innocentii IX. qui proxime consequutus est, duos non excessit. Sed valde vereor, ut ea, quae de controversia inter Serenißs. Sabaudiae ac Mantuae Duces in Epitome significantur, in Christi annum 1589 Sixtique Pontificatum inciderint. Valde etiam vereor, ne compositio inter eos non satis ex sententia Gratiano processerit. Vtriusque Serenißs. Ducis litteras autographas habeo ad illum datas anno 1595. Pontifice Clemente VIII. in quibus de controversia inter eos quadam, minime tum quidem composita, agitur. Consideret eas Lector, videatque, si tamen poterit, quid hae de re sentiendum sit.

„ Illustre & Molto Reverendo. Mi è stato caro intendere dalla lettera di V. S. scritrami alli 28 del passato l' ufficio, che d' ordine di Nostro Signore mi dice haver' ella fatto col Sig. Duca di Savoia, col quale le ragioni mie sono così potenti et chiare, che, bisognando, si saranno buona strada. Con tutto ciò non nego, che non sia per differire assai alla pia mente di S. Santità, per quanto comportarà il giusto & honesto, restando insieme col dovut' obligo a V S. dell' amorevole ministerio, che mi scrive haver in ciò preso: cosa, che con tutto dica haver fatto per ubbidire a commandamenti di S. Santità, mi dà nondimeno certa caparra della sua buona volontà verso le cose mie. Et qui col fine di questa mi raccommando et offero a V. S. con tutto l' animo. Di Mantova li 15. di Luglio 1595.

„ Di V. S.

„ Come fratello
„ Il Duca di Mantova. „

Molto Illustre & Reverendiss. Sig.

„ L' impedimento, che mi è sopravenuto, d' andare all' espugnatione del Forte di Mirabocco, hà fatto ritardare la risposta, ch' io doveva fare à V. S. Reverendiss. dell' uno & l' altro particolare di sua lettione. Hora scrivo a sua Santità, quanto alla benigna sua essortatione & tichiesta di concorrere con gli altri Principi in agiuto per la guerra contra il Turco, capital nemico de' Christiani. Rittovandomi, come già dissi a V. S Reverendiss. cattivato molti anni fà di questa guerra contro heretici, per difesa de' miei stati, anzi per ricuperatione de' molti luoghi, che già erano stati da' Nemici occupati, come la Santità di Nostro Signore ne è informata, non posso, come saria mio desiderio, accorrere al commune pericolo, anzi havrei io bisogno dell' aiuto d' altri, sendo questa guerra non tanto per difesa de' miei stati, che della fede cattolica & Santa Chiesa romana: per la quale, come devotissimo figliuolo, ad imitatione de miei Antecessori, son pronto spendere la vita & stati. Sichè si degnerà Sua Santità havermi per scusato in questa occasione, come per sua benignità spero sarà, dolendomi infinitamente, che per hora io non possa obbedire alla giusta & amorevole sua richiesta.

„ Quan-

fuit[21]. Id quod Clemens non dissimulavit, sed saepe, multis audientibus, dixit, Se Antonii Mariae in agendo dexteritati, prudentiae diligentiaeque Pontificatum referre acceptum. Quapropter ornabat eum officiis beneficiisque pluribus. Nam & Episcopum Ameriae creavit[22], quod superiori Episcopo mor-

„ Quanto poi al patticolate della contro-
„ versia co'l Signote Duca di Mantoa, pec
„ lo stare di Monferrato, V. S. Reverendiss.
„ sarà contenta reserire à Sua Saotità, ch' io
„ son stato sempre prontissimo di rimettet
„ detta controversia all' amicabile terminoa-
„ tione di sua Saotità. & à questo effetto
„ mandai da essa il Bagnasaceo mio patri-
„ moniale già un' anno fà ad informare sua
„ Santità delle mie dimande & pretensioni
„ sopra detto stato & Marrhesato. Et in
„ oltre dal Coote Martinengo fù fatta qoal-
„ che propositione circa l'accommodamento,
„ che ragionevolmeote gli pareva che si po-
„ teisse fare, se ben non nè haveva commis-
„ sione. Sopra di che dalla parte del Sig.
„ Duca di Mantoa mai si è intesa alcuna
„ propositione Et hora non havendo V. S
„ Reverendiss tiportato da esso Serenis. Du-
„ ca alcuna resolutione & buona risposta, ma
„ solamente si stà nei termini generali, mi
„ dà a credere, che in esso Duca non vi sia
„ quella buona volootà & intentione, che
„ sempre si è presuposto. Et perciò alrro pet
„ hora non ho che dite sopra questo, se non
„ aspettare, che si vegga in esso Sig. Duca
„ miglior dispositione & tisolutione, bastan-
„ do intanto, che sua Santità habbia cono-
„ sciuto il desiderio & buona volontà mia
„ in questo particolare, assicurandola, che
„ mi troverà sempre prontissimo ad ob-
„ bedirla: & se ben non ne seguisse altro,
„ non lasciciò però di restar obligatissimo
„ a S. Santità di tanta gratia, che mi ha
„ fatto d' impiegarsi io questa causa, haven-
„ done anco trattato quà con Monsig. Non-
„ tio, conforme à quello, che si risolse con
„ V. S. Reverendiss come credo, che lui ne
„ sctiverà alla Santità sua. Con qual fine
„ a V. S. Reverendiss. offerendomi di cuore,
„ prego il Signore, che la conservi. Di To-
„ rioo li ix. di Luglio 1595.

„ Al commando & piacer di V. S. Molto
„ Illustre, e Revereodiss.
„ Il Duca di Savoia. „

21 Qua de ce illa sunt io Ital. Epit.
„ Dopo la morte di Gregorio (XIII.)
„ menato io conclave dal Cardinal Montal-
„ to, dove dimostrò il valore et l' acortez-
„ za sua del nogotiare, quale era cognosciu-
„ ta arrivare à tal segno da qoelli Illostris-
„ simi, che erano allhora in conclave, che lo
„ dimandavano il Cardinale dalla beretta ne-
„ gra: e faceva più rumore il suo negotiato
„ in conclave, che non faceva quello di die-
„ ci Cardinali insieme: et seppe tanto bene
„ operare, che gli socesse secondo il suo
„ pensiero di far riuscire Papa il Cardinale
„ Aldobrandini, quale per via ordinaria non
„ poteva pretender tal grandezza, essendovi
„ di molti sugetti più vechi, e che poteva-
„ no pretendere più di lui: ma sola la de-
„ strezza et la diligenza di Monsignote
„ Gratiani superò tutte le difficultà, che
„ potevano far ostacolo à tanto negotio, et
„ lo fece rioscir Papa: che permentre ha-
„ veva adultimato il ocgotio, et che ma-
„ gnava seco col detto Cardinale Aldobran-
„ dini in conclave, et ehe gli discorreva
„ della pratica, che haveva fatta pet farlo
„ far Papa, gli disse: „„ Hora verranno gli
„„ tali et tali Cardioali, per menarvi in ca-
„„ pella, a farvi Papa: „„ sicomme poi
„ socesse, avanti, che finissero di magna-
„ re: ehe dopoi il Papa, quando Monsignure
„ gli andò à baciare ij piedi, ehe era stato
„ dua giorni doppo la sua assuntione al Pon-
„ tificato, gli disse: „„ Monsignore, voi
„„ fate ij Papi, et non gli tornate à rivede-
„„ dere: „„ et gli soggiunse: „„ Io ho co-
„„ gnosciuto, quaoto havete operato per me,
„„ pec condurmi a questa grandezza Dovete
„„ sapere, che io son huomo grato, et che
„„ ticognosco li benefitij: però, quando sarà
„„ tempo, vedrete, che noi faremo dimon-
„„ stratione verso la persona vostra, sicom-
„„ me meritano le vostre qualità, et l' af-
„„ fettione, che ci havete sempre mostrata. „„
22 Eadem Epitome: „ Il primo Vescovo,
„ che facesse Clemente, fo il suo Confesso-
„ to; il secondo fù detto Monsignore: al
„ qua-

mortuo esset alter in illius locum subrogandus, & Nuncium ad

„ quale toccò in sorte la vacanza del Vescovado d' Amelia. Che se la fortuna sua voleva, che fusse vacato il maggior Vescovado del mondo, tanto toccava à lui. Andò subbito comme buon pastore alla sua Residenza, dove prese il governo di quella chiesa, con molta diligenza & acortezza facendo molte spese negli adornamenti della sacrestia & della Chiesa; dove fece spese grossissime, & subbito si mise à far edificare l' abitatione del Vescovo, che per prima vi era molto incommoda e stretta: dove spese più di duamilia scudi, di modo, che, frà la fabrica & le spese della chiesa, spese più di tremilia scudi: di modo, avanti gustasse niente dell' intrate di detta Chiesa, vi spese di suo detta somma: attione degna di lui: & non fece comme si sol fare da molti, che si tira l' entrate, & non si pensa al' benefitio della Chiesa et delle fabriche, se bene si vedessero andare à terra. „ Sed de Pontificis Confessario, in Episcopum ante Gratianum adlecto, ipsi potius Gratiano credendum; qui in litteris die 22 Febr. an. 1592 Roma ad Palantidessium datis: „ Debbo bene, *inquit*, restare eternamente obligato a la benignità, che ha dimostrato nostro Signore verso la mia persona, havendomi non solo honorato di questo grado, ma propostolo per se stesso, & con parole piene di humanità, & voluto, ch' io sia il primo parto suo. „ Quod idem in aliis ad alios litteris confirmat. De tempore autem, quo Amerinum Episcopatum Gratianus adeptus est, Vghellus in sua *Italia sacra* illa prodidit: „ Clemens VIII...... Gratianum, de Ecclesia optime meritum, Amerinum adlegit pontificem die 17. Febr. 1592 „ Neque dies neque annus hominem diligentem fefellit. Sunt apud me autographae Gratiani litterae ad Praesulem Cocchium, Roma die 10 Febr. an 1592 datae, quarum particula hujusmodi est. „ Piacque di più a la Santità sua *l'altro hieri* di promovere la persona mia a la Chiesa d' Ameria, & di farlo per se stessa, & con parole più honorifiche assai del merito mio, & par, che si sia anco lasciato intendere di volersene servire &c. „ Qui die 19. Februarii an 1592. scribit, se nudiustertius esse renunciatum Episcopum, is profecto renunciationis diem decimumseptimum ejusdem anni designat. Sed neque dies neque annus adscriptus litteris Ferdinandi Magni Etr D. III. (quas item autographas apud me habeo, quibusque Amerinum Episcopatum Gratiano gratulatur) videtur aut cum anno aut cum die, sive ab Vghello sive etiam ab ipso Gratiano in suis litteris prodito, consentire. Recitabo Ferdinandi litteras.

Don Ferdinando Medici Gran Duca di Toscana.

„ Illustre & Molto Reverendo Monsignore. Havendo inteso da' miei Ministri la continuatione della affettuosa volontà, quale ha mostro nel passato Conclavi verso il servitio mio, hò volsuto con queste quattro righe rendergliene gratie, & insieme rallegrarmi seco, come faccio, della promotion sua al Vescovado di Amelia, offerendomeli di cuore per ogni suo commodo: che Dio la feliciti. Di Pisa el dì 10. di Febbraio 1591.

„ Al Piacere di V. S.
„ Il Gran Duca di Toscana.

Duplex solvendus nobis est nodus, alter de die, alter de anno: oterque primo aspectu difficilis ac permolestus. Nam die 17. Febr. an. 1592. renunciato Episcopo quî potuit Ferdinandus die 10. Febr an 1591. de ejusmodi renunciatione gratulari? De anno facile est respondere: quem quum Florentini non ab Januarii prima die, ut fere reliqui, sed a quinta et vicesima Martii, ex vetusta gentia consuetudine, auspicerentur, intelligimus, Februarium mensem in anni 1592. initia apud alias gentes incurrentem, apud eos in extrema anni 1591. incidere; ut diversa numerandi appellandique ratione unus atque idem annus significetur. De die autem sic mihi res posse expediri videtur. Antequam die 17. Febr. Gratianus Episcopus a Pontifice Max. Romae renunciaretur, potuit Ferdinandus (quod Principes solent) id fore, Pontificis ipsius litteris, Pisis cognoscere, de eaque renunciatione, quae certo futura erat, Gratiano gratu-

ad omnes [23] primum Christianos Principes, foederis causa feriendi contra Turcas, deinde ad Rempublicam Venetam misit [24]. Vbi, maxime duabus in rebus gravissimis, ejus virtus

✠††††† elu-

tulari. Quod quidem ita contigisse, antographae hae designati Episcopi ad eum litterae satis, ut reor, ostendunt.

,, Nel concistaro di lunedì passato piacque
,, a nostro Signore di promovere la persona
,, mia al Vescovado d'Amelia. Di che io
,, ero per dar conto a l'A V. col primo or-
,, dinario, conforme a l'obligo de la de-
,, votissima servitù mia verso lei. Ma la sua
,, benignità hà prevenuto la mia intentione,
,, essendosi degnata significarmi colla lettera
,, sua de' 10. che le sia stato di piacere que-
,, sta dimostratione di S Beatitudine verso
,, di me. Io non solo di questo humanissimo
,, officio rendo gratie a l'A V. ma ancora
,, de lo stesso favore fattomi da S. Santità:
,, perchè conosco molto bene, che tutto mi
,, viene da quella gratia, che à V. A. pia-
,, ce, che io habbia appresso di lei, la qual
,, gratia mi fa anco sperare, che V. A. re-
,, puti capital suo proprio tutto quello, che
,, d'honore o di commodo s'accresce alla
,, persona mia. Al favor, che di più mi fà
,, l'A V. di gradir l'opera & il zelo mio
,, nel prossimo conclave verso il servitio suo,
,, non dirò altro, se non che la supplico ad
,, aspettar da la servitù mia in ogni tempo
,, & in ogni cosa la stessa fede & la stessa
,, devotione. Et con ogni riverenza & som-
,, messione le bacio le mani. Di Roma a li
,, 10 di Febraro 1592

Non omittam, quod me Amerini Episcopatus mentio admonuit, ut commemorarem. Ante Amerinum, de Rosetano in Etruria Episcopatu videtur aliquid cogitasse Gratianus: cujus rei injecta mihi suspicio est, autographis hisce ejusdem Fardinandi litteris lectis.

,, Don Ferdinando Medici Gran-Duca
,, di Toscana.

,, Molto Reverendo nostro Dilettissimo.
,, Il Sig. Cardinal del Monte, ci ha dato
,, di voi minutamente conto de l'affetto con
,, l'quale nel conclavi passato vi sete ado-
,, perato nelli interessi miei. Dal che come
,, serbarò in ogni tempo grata memoria, con
,, renderne gli effetti, cha se li devono, co-
,, sì vi prego a continoare in la presente o-
,, casione, assicurandovi, che nel Vescova-
,, do di Grosseto non mancò in noi buona
,, volontà, ma vi s'interposero rispetti uni-
,, versali, ch'intenderete, & cognoscerete in
,, ogni altro vostro interesse. Dio vi conser-
,, vi. Di Fiorenza li 7. d'Ottobre 1591.

,, Il Gran-Duca di Toscana.

23 In eadem Ital epit. ,, Fra pochi me-
,, si, che fu mandato alla sua Chiesa, Pa-
,, pa Clemente lo fece chiamare, et comme
,, quello che lo cognosceva d'ingegno raro
,, et di molta destrezza nel negotiare, lo
,, mandò Nuntio alli Principi d'Italia, per
,, comporre una lega universale contro il Tur-
,, ca, inimico comone: il qual' negotio trattò
,, con quella destrezza e acortezza di ma-
,, niere, che era solito: et tutti gli Principi,
,, co i quali hebbe da trattare, lo cognob-
,, bero per un' huomo raro et di gran valo-
,, re. Se bene per li nostri peccati non heb-
,, be poi effetto così buon' opera: se bene
,, il Papa restò molto sodisfatto dell' indu-
,, stria et del negoriato suo punto. Tornato
,, da questa carica se ne andò alla sua resi-
,, denza: dove fù visitato dal Cardinale Mon-
,, talto: il quale ricevè con quella spesa et
,, splendore, che sà tutto il Mondo. ,,

24 Aliquanto fusius Ital. epit ea de legatione. ,, E per prima (*hoc est, antequam*
,, *Florentiam Aldobrandina comes adsciitus*
,, *veniret*) era stato mandato Nunzio Apo-
,, stolico dal papa alla Signoria di Venetia:
,, dove fù tanto accetto, che a ij suoi giorni
,, non havevano mai havuto un Prelato di
,, quel valore & bontà & di quella espe-
,, rienza & destrezza nel trattare i negotij,
,, che era lui. ,, Quo tempore missus sit, ex Clementis ad Marinum Grimanum, Venetiarum Ducem, proficiscenti ad legationem Gratiano datis litteris intelligimus.

,, Dilecto filio, nobili viro, Marino
,, Grimano, Duci Venetiarum.
,, Clemens Papa VIII.

,, Dilecte fili, nobilis vir, salutem et A-
,, po-

eluxit. Etenim, cum de jure imperioque quaereretur, quod Veneti in Adriatico mari exercent, pro Sede Apostolica libellum elegantissimum scripsit, qui etiam nunc in Tabulario Vaticani Palatii continetur 25. Neque tamen eo offensi sunt Ve-

,, postolicam benedictionem. Annos jam aliquot nostrum Apostolicum Nuntium apud vos egit multis meritis insignis Praesul, Venerabilis frater Ludovicus Episcopus Laudensis, qui in isto munere obeundo eandem, quam saepe alias, nobis & huic sanctae Sedi praestitit egregiam fidem & diligentiam: & quidem, quemadmodum nobis cumulate satisfecit, ita pariter credimus, Nobilitatem tuam multam in eo prudentiam, multam virtutem agnovisse. Sed quoniam, ut audimus, valetudine minus nunc commoda utitur, de ejus salute solliciti cogimur eum revocare a functione ista, et alterum in ejus locum sufficere, qui eodem officii munere fungatur. Delegimus autem vitae integritate et rerum usu praestantem virum hunc Venerabilem fratrem Antonium Mariam, Episcopum Amerinum, Praelatum nostrum domesticum et Assistentem, qui gravibus negociis gerendis, in hujus Aulae Romanae luce, tanquam in quodam theatro, multa cum laude diutissime est versatus, et cujus fides et prudentia veteri familiaritate nobis nota et probata est. Is igitur apud Nobilitatem tuam et Clariss. Remp. istam geret nostrum et Apostolicae Sedis Nuntium, cum facultate Legati de latere, ut mos est: quem certe confidimus, multis nominibus tibi et Senatui isti gratum fore. Cupimus enim nostram erga vos paternam benevolentiam ubique testatam esse, et omni in re, quae ad vos pertineat, elucere. Cetera uberius exponet idem Nuntius noster; cui in omnibus, quae nostro nomine cum tua Nobilitate et Senatu isto tractabit, petimus, ut plenam fidem habeas, et eandem prorsus, quam nobis ipsis haberes, si tecum praesentes loqueremur. Tibi, fili, divinae gratiae abundantiam a Deo precamur, et tibi paterne benedicimus. Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 23. Feb. 1596. Pontificatus nostri anno V. ,,

Quo vero tempore Venetam hanc legationem absolverit, in eaque quanta se cum fide quamque e re Ecclesiae Romanae publica gesseri, ex ipsius Gratiani ad eundem Clementem datis hisce litteris discimus.

,, Beatissimo Padre.

,, Arrivò Monsignor Vescovo di Malfetta, mio successore. Hieri fece la sua entrata, & dimani si presenterà in Collegio con le solite cerimonie. Io trovandomi già fuor di questo peso, per gratia et benignità di V. Beatitudine, ho giudicato d' esser tenuto a darlene con due righe humilissime gratie, ancora che speri di doverlo far fra poco io medesimo inanti a i suoi SS. piedi. In render conto a V. Santità di questo carico, posso solamente affermare d' havar servito con sincerissima fede & grande attentione & assiduità et con affettuoso zelo del suo servitio, et di non havermi mai proposto altro fine, nè mirato ad altro scopo, che a questo. Et se a l' affetto della volontà fusse stata pari la sufficienza et il sapere, confidarei d' havere intieramente satisfatto a la santa mente di V. Beatitudine ne la trattatione de' negotii, che son cosi in questo tempo, pur molto gravi, et corrisposto a l' opinione, che la s' è degnata mostrar di me. Confido però, che non essendo uscito da queste fatiche alcun frutto, che meriti d' essere accetto a V. S. le saranno almeno accette le medesime fatiche; et che la bontà sua condonerà il mancamento de l' altre conditioni al buon talento de l' animo et de l' intentione, ch' è stato in ogni tempo solo fondamento de la fidele, devota et antica servitù mia verso la Santità V. et di quell' umil luogo, che mi son sempre persuaso d' havere ne la sua gratia, et ch' essa s' è degnata sempre di dimostrarmi. Il qual loco supplicando humilissimamante V. Santità a contentarsi, che mi resti salvo, anche in questi pochi giorni, che restano al corso degli anni miei, con la debita sommessione le bacio i Santissimi piedi. Di Venetia a li 24. di Novembre 1598. ,,

25 Non modo in eo Tabulario fuit aut etiam est is libellus, sed et in armario ,, meo;

Veneti; cumque Alphonso, Ferrariae Duce, vita functo, Caesar Estensis, cognatione illi proximus, Ferrariam sibi deberi contenderet, auctoritate consilioque perfecit, ne Senatus ille Caesaris causam susciperet, eamque armis tueretur; imo ab eodem obtinuit [26], ut Sedi Apostolicae plura armorum genera ad illius belli usum suppeditarentur. Atque constat, Clementem habuisse in animo in Cardinalium Collegium eum cooptare [27], ac non semel, sed, quoties Cardinalium comitia essent habenda, descriptum in illis habuisse, qui eo essent honore cohonestandi; sed semper sententia destitisse, deterritum a Petro Cardinali Aldobrandino [28], fratris filio, cui [29] cum Magno Etruriae Duce, cujus ille in imperio ac ditione erat, (nam Biturgiae, ut diximus, ortus, quae Magnorum Etruriae Ducum paret imperio, cum primis illius civitatis numerabatur) variae, inquam, discordiarum causae intercedebant. Verum, cum jam aetate confectus, & podagrae vehementer obnoxius, re ipsa experiretur, Venetum caelum sibi minus esse salubre, petiit opere maximo [30] a Summo Pontifice, ut ab ea provincia removeretur; ac, venia impetrata, Ameriam se contulit. Quam

inco; quem ego non modo non editurus, sed ne ostensurus quidem cuiquam sum. Nam, ne edam, res ipsa flagitat, & ea conditione commissus mihi est, ut ne ejus quidem legendi copiam cuiquam facerem.

26 Non videtur bonos auctores sequutus Erythraeus; qui talia prodidit, contra quam Gratianus ipse libro hujus operis XX. testificatur „ Militibus, *inquit de Pontificiis*, „ plerisque arma, et maxime sclopi, deerant, „ quos petere e Brixia, ubi frequentissimae „ armorum officinae sunt, cupientibus ap„ pellati a me Veneti, quod Caesari large „ concesserant, nobis negabant, in tanto „ rerum motu armandos suos, & instruen„ das necessario armorum apparatu urbes, „ causantes: ut mihi clam carius ab ipsa„ rum urbium praefectis coempta ad qua„ tuor sclopoium millia furto exportare, i„ psis quoque nautis, quorum utebar navi„ giis, corruptis, necesse fuerit. „ Sed tamen vera prodidisse etiam Erythraeus dici potest. Non enim credibile est, hanc tot sclopoium millium exportationem a Venetis magistratibus ignoratam. Conniv ebant igitur: &, ut fuit semper Romanae Ecclesiae obsequentissima natio, Pontificiae factioni non minus, quam Caesareae, favebant ac gratificabantur.

27 Ead. epit. „ E' stato concetto di tutto il „ Mondo d' esser Cardinale: et gli riusciva, „ se la mala nostra fortuna non l' havesse „ impedito per varij rispetti di emulationi „ di Principi et di Cardinali.

28 Atqui Cardinalis Aldobrandini persamiliarem fuisse Gratianum ex Ital. Epit. intelligimus: „ Dipoi (*nempe postquam, legatione ad Christianos Principes contra Turcas conjungendos obita, Ameriam se receperat*) fu chiamato dal Cardinale Aldobrandino, che gli facesse compagnia, quando andò legato a Fiorenza, per assistere alle nozze della regina Maria, maritata nel „ re Enrigo III. re di Francia. „

29 Scripsisse Erythraeum credo *cui variae*. Sequitur enim ex intervallo *variae, inquam*.

30 Ital. Epit. „ Di dove dimandò licenza „ con molta istanza dal Papa per partirsi, „ e il

Ecclesiam [31] usque ad extremum vitae spiritum, integritatis, prudentiae ac sanctitatis fama administravit, quae sit numquam interitura, sed deinceps omnibus, qui in eumdem locum ac numerum venerint, ad similium virtutum exemplum imitationemque victura. Nemini erat molestus, nemini gravis; sed contra, omnibus jucundus, omnibus comis: numquam animos extulit, sed demisse humiliterque se gessit: nemini petenti aditum conveniendi non dabat, sed omnes ad ipsum aditus cunctis, qui vellent, quibusvis erant horis aperti: nemo se ab eo despectum, nemo contra rem suam injuria aliquid decretum fuisse questus est umquam; sed omnibus jus suum tribuebat, omnes amplectebatur, omnibus se dabat cum magna conversatione: cum tristibus severe, cum remissis jucunde vivebat; atque, ad Apostoli exemplum, ad cujusque ingenium, quo omnes lucrifaceret, versabat suam naturam, huc & illuc torquens ac flectens. Nullum honesti sermonis genus a se umquam alienum duxit, sed de omnibus rebus, quae in sermonem disceptationemque cadunt, copiose eleganterque disserebat; cum militaribus hominibus de officio Imperatoris ac de omni re militari, cum eruditis de omni elegantia litterarum, cum philosophis de rerum natura, cum Theologis de Deo immortali divinisque mysteriis loquebatur. Denique homo erat omnium, ut dicitur, horarum, temporum & hominum. Multa reliquit egregia, quae teruntur hominum manibus; Synodum [32] Ecclesiae Amerinae, de bello Cyprio [33], de casibus ad-

„ e il Papa molte volte gline negò, & „ tistette più d' on anno contro a sua vo„ glia. Vltimamente andò in persona à Fer„ rara a trovare il Papa & a pena con „ molta instanza, che fece, otenne licenza di „ potersi partire dalla detta Nuntiatura „

31 Ital. Epit. „ Dalla Nuntiatura tornò „ alla cura della sua Chiesa, dove fece e „ compose on Sinodo, che è norma & stra„ da a totti gli Vescovi, che vogliono e de„ siderano governar bene le sue Chiese, scrit„ to con una lingua latina tanto tersa, che „ se Cicerone tornasse in vita, non lo potria „ scrivere meglio, nè più elegantemente... „ Attese sempre alla cura dell' anime comes„ se sotto la sua custodia, se bene il più del „ tempo sia stato impedito da varie malatie, „ & da podagra, la quale l' ha tenuto qua„ si sempre per spatio di cinque anni inchiodato in letto, se bene con tutto ciò non „ pretermise mai niente di quello, che si a„ parteneva al debito dell' ofitio suo. „

32 Edita haec Synhodus Venetiis est apud Joannem Antonium Rampazettum an. 1597. & Clementi VIII. ab Auctore nuncupata. Epistolae, qua Pontificem affatur, hoc est initium: „ Quartus agitur annus, Beatissime „ Pater, ex quo, auctoritate tua, ac divino, „ ut reor, instinctu, regendae huic Ecclesiae „ praepositus sum...... Cum igitur mihi an„ ti-

adversis illustrium virorum sui aevi, [34] Cardinalis Commendo-

„ rioniſſima cura fuerit, quamquam varie ac „ diu interpellata, dioecesis hujus Synodum „ habere, quae habita his triginta annis non „ erat, in eaque omnem morum atque Ec- „ clesiasticarum rerum rationem, maxime ex „ Tridentini Concilii praeteriptis, condere „ constituereque, incessit animum cogitatio „ volumen ipsum decretorum prius, quam „ ederem meis, ad te mittendi, tibique di- „ candi .... Ameria x. Cal. Oct. 1595. „ Vnum hoc Auctoris opus in lucem, eo vivente, prodiit. Cum per se praeclarum ac luculentum est, tum doctissimorum sanctissimorumque Scriptorum judiciis ac praedicatione censendum. Quos tamen omnes silere hoc quidem tempore patiemur, ut unius, qui doctrinae ac sanctitatis laude omnibus praestat, vocem atque insigne de Amerino Episcopo testimonium, Amerinaeque Synbodi singulare praeconium audiamus. Benedictus igitur XIV. Pont. Max. in quadam *Notificatione*, ab se, tum S. R. E. Cardinali, atque Episcopo Bononiensium, die 20. Dec. an. 1737. promulgata, quae in secundo Operum suorum volumine pag. 128. Romanae editionis legitur, locum ex Amerina Gratiani Synhodo auctoritatemque allaturus, ita praefatur: „ Il gran „ Vescovo d' Amelia Monsignor Graziani, „ celebre per tante opere scritte, e per la „ sua gran pietà, nel suo Sinodo tenuto l' „ anno 1595. così descrive i giorni del Car- „ nevale &c. „ Huic Synhodo subjiciuntur: „ Vitae Sanctorum, Amerinae Ecclesiae Pa- „ tronorum (*Firminae, Olympiadis, Secun-* „ *di atque Hymerii*) a Reverendiss. in „ Christo Patre Domino Antonio Maria Gra- „ tiano a Burgo S. Sep. Episcopo Amerino „ scriptae. „

33 Hoc egregium opus *de bello Cyprio* vulgavit, post Auctoris mortem, ejus fratris filius Carolus Gratianus, Romae apud Alexandrum Zanetum an. 1624. in 4. Francisco Cardinali Barberino, Vrbani VIII. Pont. Max. fratris filio, dedicatum. Vidi alteram ejusdem operis editionem in 12. sine anni aut loci nota; quam quidem Typographus testificabatur ex Romana ab se expressam. Gallicam ejus interpretationem habuisse se olim, deinde amisisse, in 12. editam, affirmavit mihi Antonius Maria Gratianus. De hoc opere, de operisque Auctore, est illud praeclarum Cardinalis Bentivoli in suarum *Memoriarum* libro I. cap. 8. testimonium. „ Dotato all' incontro di gran de- „ sterità e di gran pieghevolezza, e d' o- „ gni altra parte migliore per trattar ne- „ gozii era Monsignor Graziani, Vescovo „ d' Amelia. Nella segreteria Toscana e „ Latina egli era grandemente stimato. „ In questa seconda lingua haveva compo- „ sto l' historia di Cipro in occasion della „ perdita, che ne haveva fatta la republi- „ ca di Venezia, e con tanta approva- „ zione di tutti i più rigidi censori in tal „ genere di componimenti, che non po- „ teva essere stata maggiore. Non mol- „ to prima egli era tornato dalla Nun- „ tiatura di Venezia, nel quale impiego „ haveva conseguita e per la parte di Ro- „ ma ogni lode, e per quella di Venezia „ ogni applauso. Prelato, che sarebbe stato „ degno di sostenere una segreteria Ponti- „ ficia nelle corrispondenze de' Principi, e „ degno insieme di riportarne poi così il „ premio, come egli nell' essercitarla ne ha- „ verebbe mostrato a pieno il talento. „ Reperi etiam inter Auctoris nostri adversaria perelegans hendecasyllabum MS. quod a Librario *Veronensi Episcopo* tribuitur: qui minime dubitandum est, quin Augustinus Valerius fuerit, vir doctissimus, Gratiani nostri aequalis, Veronensium Antistes. En ipsum carmen.

AD ANTONIVM MARIAM GRATIANVM

DE EJVS HISTORIA DE BELLO CYPRIO

HENDECASYLLABVM.

„ HEri, candide amice Gratiane,
„ Perlegi historiam tuam libenter.
„ Nam placet stylus, et tuum probatur
„ Valde judicium. Nihil profecto

„ Ad-

dor.i Vitam 35; quo libro omnes ab eo legationes obitae, omnes-

,, Addi vel minui tuia disertis
,, Libellis potuit. Polita verba,
,, Elegaos, gravis, ullo et absque fuco
,, Scribendi egregia atque singularis
,, Forma, quae nihil artis aut laboris
,, Ostentat, parient meo sodali
,, Nomen perpetuum. Deus benignus
,, O sic o utinam pater supremus
,, Concedat tibi, Gratiane dulcis,
,, Polito historico, tuo patrono
,, Praeclaro egregioque Cardinali,
,, Atque gentibus omnibus remotis
,, Noto, scribere nobilem, recentem,
,, Et faustam Venetis piaeque matri
,, Communi historiam. Satis satisque
,, Jam nos u miseros ferox tyrannus
,, Afflixit, merito et malum, rebellem,
,, Crudelem populum Deus supremus
,, Evexit, populum suum ut moneret
,, Ingratum, miserum, suaque culpa
,, Afflictum. O utinam brevi stylum tu
,, Exercens variam illius potentis
,, Disjecti Imperii, simul cruentam
,, Et longam et tragicam nimisque nobis
,, Jucundam historiam, diu expecitam,
,, Possia texere. Persa fortis ille
,, Rex tandem indomitum domet tyrannum:
,, Et pulchra insula, nobilis, venusta
,, Cyprus jam redeat, Dei potentis
,, Praesenti auxilio, pios, modestos,
,, Denuo ad veteres suos patronos
,, Magis, quam dominos: tuaeque finis
,, Hic sit historiae recentis atque
,, Illustris, variae, disette amice.
,, Fiunt historici mali poetae
,, Quidam ridiculi: suo labore
,, Acquirunt miseri, parum periti
,, Rerum, nil aliud: movere quippe
,, Dum volunt lacrymis, movent miselli
,, Risum: dum nimium volunt haberi
,, Facundi historici, nimis putantur
,, Vani, atque egregium se celebre nomen
,, Perdunt historici. Tibi est decori
,, Forma cognita, docte Gratiane.,,

Et quando de Carolo Gratiano supra meminimus, quem primum patrui historiam *de bello Cyprio* vulgasse diximus, proferam hoc loco, ne forte nullum postbac aptiorem inveniam, quandam apud me ineditam M. Antonii Benciarii ad eum epistolam, Tifernum datam anno 1613. quam nemo non autographam diceret, nisi de Bonciarii, multo ante id tempus contracta, caecitate cogitaret.

M. Antonius Bonciatius Carolo
,, Gratiano S. D.

,, Jam dudum mihi erat in votis, ut ad
,, meam disciplinam conferret se aliquis
,, gentilium tuorum Vetus erga te studium
,, meum, quod olim tua humanitas in hoc
,, pectore plantarat, et mutua officia riga-
,, runt aluerunque, cum tempore ita creve-
,, rat, ut fructus gignere laboraret, non
,, insuaves tibi futuros Opportune, si quis
,, unquam, Aloysius tuus venit: qui, si quam
,, alacriter studium litterarium ingressus est,
,, tam impigre ac strenue perrexerit, non
,, dubito, quin votis nostris abunde sit re-
,, sponsurus. Ego certe hunc tibi [sicut scri-
,, bis] nepotem sic curabo instituendum,
,, ut liberos quoque cum habiles habueris
,, [atque utinam habeas quam primum] ad
,, me transmittas erudiendos. O me autem,
,, dum tibi gestio inservire, stolida loquen-
,, tem! si me spero, nunc senem, tempori
,, futurum tuis nondum natis. Vale. Pe-
,, rusiae Idibus Feb. CIↃIↃCXIII. *Raptim*.

Cum ex hac epistola, tum ex septima libri XII. Bonciarii Epistolarum, editionis Perusinae anni 1614. Ameriam ad eundem Carolum, prid' Cal. Mart an. 1604 datam, apparet, hunc Carolum, admodum puerum, Bonciario traditum a patre fuisse in grammaticis instituendum. Patre autem anno 1508. e vivis sublato, Antonius Maria patruus, qui, anno insequenti, ex Veneta legatione Ameriam ad Pontificale suum munus redierat, Romam misit adolescentem in reliquis liberalibus disciplinis erudiendum. Qua in re quod nostrorum hominum opera potissimum uti voluerit, quodque egregium praeceptoribus nostris in hisce, quas subjicio, ad Episcopum Cujaviensem, Ameria Romam datis, litteris, testimonium homo cum doctissimus tum sanctissimus dederit, in eo plurimum universam Societatem illi debere profiteor.

,, Carolo, fratris mei filio, has litteras,
,, tibi reddendas, dedi, eique mandavi, ut
,, te conveniret, viseretque meis verbis,
,, se-

mnesque res magnae sua, auctoritate consilioque gestae, narran-

,, seque isthic in tua fide atque auctoritate ,, fore, tibi profiteretur; et quid agas, ut ,, valeas, ut diuturnam molestiam tam len- ,, tae quartanae feras, ut cura ac temperan- ,, tia tua lenias, ad me scriberet. Enim ego ,, Romam, erudiendi gratia, misi, et in ,, contubernium convictumque eorum tradidi, ,, qui ex Jesuitarum disciplina, atque in ,, ipsarum maxime scholis instituuntur. Istis ,, enim praeceptoribus nunc valde plauditur, ,, at sub iis potissimum magistris videntur ,, adolescentes et in litteris optimarumque ,, doctrinarum studiis proficere, et, quod ,, omni doctrina praestantius est, casta et ,, probis moribus ad religionem, ad pieta- ,, tem, sine qua probitas ipsa castitasque ,, nulla est, imbui atque instrui Cupio au- ,, teur, in eo vel ob id eum aetate bonas ,, quoque adolescere artes, ut, quem hae- ,, redem perpetui atque singularis mei erga ,, te amoris atque observantiae relicturus ,, sum, ne te quidem susceptae jam nunc ,, erga illum benevolentiae unquam paeni- ,, teat. Vale prid. Id Decembr. 1599 ,, Quam quidem adolescentium, commode instr- tuendorum, laudem, majoribus nostris a Gratiano tributam, nequaquam, singulari Dei immortalis beneficio, in posteris obsolevisse, vir summo ingenio summaque doctrina, Andreas Petrus Julianellius, in Joannis Baptistae Fagiolii Memorabilibus, Florentiae, haec ipsa fere quum scribimus, editis, perhonorifico ac gravissimo testimonio confirmavit. ,, Vt primum igitur, *inquit*, ex pue- ,, ris excessit, ad Florentinum Societatis Je- ,, su Collegium missus est: in quo, pietate ,, ac litteris adolescentium ingenia insimul ,, ali excolique commodius posse, fatentur ,, omnes. ,, In quo ego praestantissimo rheture non minorem, in eadem pietate iisdemque litteris, adolescentium Florentini cultissimi Seminarii instituendorum inesse facultatem, qui non fateatur, esse video hactorque neminem.

34 De suo addidit *sui aevi* Erythraeus. Gratianus certe adversos virorum illustrium casus, quos colligit, non solo sui aevi spatio definit. Id ipsum in operis praefatione his verbis profitetur. ,, Nec eos tamen ex omni ,, vetustate ac Scriptorum turba colligere ,, (*mihi susceptum est*) quod immensum ac ,, prope infinitum esset, sed recentes ac no- ,, vos, nostrae aut *parentum nostrorum aeta-* ,, *tis* ,, Hoc opus, multiplici frugiferaque doctrina atque eruditione refertum, primus in lucem extulit Lutetiae Parisiorum an. 1680. apud Antonium Cellier in 4. D Flecherius, S. Severini Abbas, Ferdinando Episcopo Paderbornensi & Monasteriensi nuncupitum, a quo ejus MS. exemplum acceperat. Prodiit anno insequenti *Francofurti*, *impensis Joannis Justi Erythropili*, hoc titulo: ,, Theatrum historicum de virtutibus ,, illustrium virorum & faeminarum, eorun- ,, demque casibus, maximam partem funestis, ,, Auctore Antonio Maria Gratiano a Bur- ,, go S. Sepulcri: opera ac studio D Fle- ,, cherii Abbatis S. Severini. ,, Hujus operis est apud me MS. exemplar, auctoris manu emendatum, ac propterea frequenter ab excusis discrepans. Unum afferre ejus rei exemplum sufficiat. De Petro Medice, Florentinorum Principe, hoc est excusorum exordium: ,, Medicaeorum gen- ,, tem, seu vetus ac nobilis, seu nova at- ,, que humilis origo ejus sit, duo Cosmi ,, maxime illustrarunt ,, Atque ita quidem scripserat olim Gratianus. Re deinde diligentius considerata, sic tandem sententiam sua manu refinxit. ,, Mediceorum ,, gentem, seu vetus ac nobilis (quod fere ,, convenit) seu nova atque humilis (ut ,, quidam prodidere) origo ejus sit, duo ,, Cosmi maxime illustrarunt ,, Ab hoc MS. exemplari integrum Henrici et Aloysii Lotharingorum casum (qui in impressis extremum obtinet locum) abesse non miror. Inchoatum illud opus est ac non perfectum. Eo fortasse suus auctor in reliquorum ordinem, nostro hoc in absolutissimo exemplari, redigendum non censuit. Et tamen ejus aliquod illi exemplar excidit, et pervenit in manus hominum, a quibus conservatum editumque est. Sed exigua haec unius lucubratiunculae jactura ingenti quattuor librorum accessione pensatur: qui omnes in eodem de Virorum illustrium casibus argumento versantur. Priores tres sunt de Despota, Valachorum Principe, ad Nicolaum Thomicium. Primi hoc est initium: ,, Quum ,, Despotae initia atque exitum leges, con- ,, stitutum mihi non est, Pontici, magisne ,, sis fortunae facilitatem in deferendo ei ,, regno, an levitatem in auferendo accusa- ,, tu-

rantur. Obiit [36] Ameriae, annos natus quinque & septuaginta, CIↃIↃCXI.

„ turus. &c. „ Quartus inscribitur: „ De „ Jacobo Despotae fratre ad Nicolaum Thomicinm Liber unus. „ Incipit: „ Pari „ audacia, infeliciori etiam exitu, hujus „ frater Jacobus, cui Didascalo cognomen „ fuit, regnum in Cypro insula affectavit. „ &c. „ De quo utroque opere haec Gratianus in litteris ad Thomicium Roma Patavium datis: „ Libellum de Despota meum, „ quem triennio ante, dum rusticamor in „ Asulano, rogatu atque impulsu tuo scripsi, legit Cardinalis Varmiensis, ei da„ tum a Cardinale Commendono, me ipso „ inscio. Nisi sanctitatem gravissimi viri „ perspectam haberem, dicerem mihi assen„ tatum esse. Sic enim extulit illud opu„ sculum, ut, cum edendi ejus mihi ma„ gnopere esset auctor, moleste videatur tu„ lisse, quod id ego negaverim. Tuo, in„ quit, Thomicio injuriam facis, cujus ve„ rissimis laudibus ornasti nomen. Ne id „ quidem, inquam, impetrare a me potest, „ ut librum divulgari velim. Quid quaeris? „ Tulit aegre. Libellum, quando ita vis, „ ad te mitto, cum ea obtestatione, ne a „ quoquam describi patiare. Vulgari enim „ plane nolo. Vale. Romae 22. April. „ 1570. „ Ego vero Cardinalis Varmiensis magis, quam Gratiani voluntati, sum in vulgandi operis deliberatione obsequuturus. Sequitur haec opuscula in nostro MS exemplari Antonii Querenghi Patavini longum carmen atque pernobile, cujus initium est:

„ Dilecti Cereri colles, patrique
„ Lyaeo &c. „

Quo in carmine de Gratiano deque Themicio, cui superiora opuscula inscripta esse vidimus, illa sunt:

„ Te vero ante alios, studiis exculte decoris,
„ Gratia cui teneris insedit blanda labellis
„ Nascenti, nomenque dedit: qui magna volutas
„ Almonis secreta animo, suavique lepore
„ Illa eadem calamo promens aspersa recludis,
„ Te mecum assiduis repetet concentibus Echo,
„ Et tua servabunt inscriptae nomina lauri.
„ Nec non & puer egregius, tua maxima cura,
„ Editus antiquo proavorum e sanguine regum,
„ Ingenium tibi quem teneris praestantius annis
„ Nexuit aeterno divini faedere amoris,
„ Carminibus nostris Thomicius ibit ad astra. &c. „

Denique non omittam, in voluminis hujus MS. calce haec adscripta Auctoris ipsius manu legi: „ Horum casuum magnum ac „ sane egregium volumen, furto subreptum, „ desideratur. Id monuimus, ut, si quan„ do alienum praeferens nomen prodierit, „ fraus intelligatur. „ Quibus quidem verbis non id puto significari, alterum aliorum Casuum fuisse a Gratiano confectum volumen (neque enim illud de suo opere loquens *egregium* modestissimus homo dixisset) sed hos ipsos, qui hoc volumine continentur, Casus fuisse etiam in alio, magnitudine atque ornamentis insigni, codice descriptos, qui furto subreptus esset. Licet etiam, ex iisdem verbis intelligamus, voluisse Gratianum, de Despota ac de fratre ejus libellos, ad opus suum *de casibus virorum illustrium* pertinere: nec de praetermissa Lotharingorum fratrum narratione meminisse, quod locum illi inter caeteros Casus esse nollum vellet. Hoc quidem opus ab Italicae Epitomes auctore significatum esse illis verbis, quae hominem non admodum fuisse eruditum ostendunt, existimo: „ Scrisse le „ vite degli huomini illustri, pure in lin„ goa latina, al modo di Aulo Gellio, pu„ re opera maravigliosa. „ Ubi non dubitandum, quin *Cornelium Nepotem* pro *Aulo Gellio* dicere voluerit.

35 Pru-

35 Prodiit primum haec Commendoni Vita Parisiis, apud Sebastianum Mambre-Cramoisy an. 1669. in 4. Quo fato quaque occasione prodierit, docet ipse editor Rogerius AKAKIA in praefatione ad Lectorem. „ Codex, *inquit*, manuscriptus, ex quo „ editio haec nostra expressa est, paratissi- „ mus erat ab omnibus, quae desiderari pos- „ sunt, ut quivis bonae notae liber faustis „ avibus in lucem prodiret. Viri scilicet „ eruditissimi et diligentissimi, a quibus „ manumissionem expectabat, nil praeter- „ miserunt, quo ornatiori cultu se daret in „ publicum. Praefationem elegantissimam, „ elogium ipsius Scriptoris, e selectissima „ Nicii Erythraei Pinacotheca, praemisere, „ indicem denique copiosissimum addiderunt; „ adeo ut totus ex se aptus Typographos „ ad amorem sui pellicere videretur. Ve- „ rum ejusmodi artificum hodie in Italia „ talis aut penuria aut negligentia est, ut „ aliunde quaerendi fuerint, qui optimum „ foetum tollere & sibi vindicare vellent: „ quod tandem feliciter factum est, aucto- „ re ac fidejussore locupletissimo V. C. „ Petro Seguino, regiae insignis Ecclesiae „ S. Germani Parisiis Decano. Is cum Ita- „ liam perambularet, in qua, tum huma- „ nitate tum doctrina, sibi similes complu- „ res amicos conciliavit, Romae, in Museo „ Illustriss. ac Erud. Viri, opus istud „ egregium nactus est. Aegre tulit profecto „ vir acerrimi judicii in dijudicandis ejus- „ modi lucubrationibus, eximium scriptorem „ diutius in ea custodia, tanquam capti- „ vum, latere ac detineri. Alapas ei a li- „ bri domino facile impetravit, libertatem „ & lucem Gallicam promisit: illam in hoc „ splendidissimo Academiae Parisiensis sole „ praestat &c. „ In hujus editionis calce adposita est oratio a Commendono habita in comitiis de rege Poloniae eligendo, *cujus*, inquit editor, *auctor noster meminit pag.* 369 Ad hanc Parisinam editionem exegit Patavinam suam in 12. Petrus Maria Frambottus an 1685. tanta ille quidem diligentia ac fide, ut Parisini Editoris monitum ad lectorem de Commendoni oratione describens, ne a citanda quidem pagina 360. abstinuerit, quam 414. editionis suae citare debuisset. Vidi Gallicam ejusdem Vitae interpretationem per Abbatem S. Severini Flecherium Parisiis apud Sebastianum Mambre-Cramoisy an. 1680. in 12. & quidem secundae editionis: vidi & quartam ejusdem Gallicae interpretationis editionem, Lugduni apud Jacobum Guerrierium an. 1702 in 12 procuratam: nec vidisse me tamen umquam aut hujus aut reliquorum Gratiani operum editiones affirmarim. Ughellus in *Italia Sacra* praeter opera, quae recensui, ait, Gratianum *diversi argumenti magnum epistolarum volumen edidisse*. Non vidi, nec verum puto. Reliquit ille quidem, at non edidit, quod sciam, non unum, sed decem omnino, eaque in folio, ut ajunt, epistolarum, partim suo, partim Cardinalis Commendoni, partim Sixti V. Pontificis Max. nomine, sive latine sive italice scriptarum, volumina: quas qui legerit, haud magnopere illius aetatis, qua scriptae sunt, contextam historiam desiderabit. Haec apud me sunt omnia, ut item ea, quae sequuntur, a Gratiano partim auctore conscripta, partim undique colligente servata.

Instructionum, *Relationum*, *Monumentorum*, praesertim ad *Augustanam confessionem* spectantium, Volumina VI.

Legationum Cardinalis Commendoni Vol. II.

Miscellaneorum Vol. II. in quorum altero reperi egregium justaeque molis commentarium, cujus argumentum ex hoc ejus initio intelligitur: „ Quaeritis ex me, quibus ego „ rationibus comparatum se putem oportere e- „ um, cui Legatio obeunda ad regem na- „ tionemve exteram obtigerit. Permagnum „ sane locum & cognitione dignissimum, nec „ tamen ante ab ullo explicatum... Verum „ ut intelligeretis, quanti mihi sit studium & „ voluntas vestra, & quia hujusce rei di- „ sputatio non tam fortasse in canis rugisque, „ posita, quam in quodam usu & observatione „ videtur, & ego bis proximis annis perma- „ gnam Europae partem pervagatus sum, „ duce ac magistro eo viro, qui, praedicatione „ omnium, hujus laudis facile princeps ha- „ betur, mihique, pro illius patrio in me a- „ nimo, proque ipso officii mei munere, o- „ mnium rerum actionumque consilia patue- „ runt, decreveram ad vos scribere breviter „ summatimque ea, quae advertens animum „ fieri ab illo in suis administrandis legatio- „ nibus, quas summis de rebus ad omnes „ pene Christianos reges & Episcopus & Car- „ dinalis obivit, pro aetatis & ingenii mei „ captu, observaveram. Cum forte, aliud quae- „ rens & ejus revolvens scripta, commo- „ dissime incidi in libellum, quem ipse sibi „ eo anno, quo juvenis admodum Romam „ venit, ad remque publicam accessit, vul- „ gari sermone nostro, hac ipsa de re, inchoa-

„ ve-

„ verat. Quem libellum cum legissem, fi-„ stuli manus (nihil enim unquam vidi ac-„ cidere opportunius.) Itaque ... hoc reper-„ to thesauro .. . rem audacius sum aggres-„ sus &c. „

De Despotae, Valachorum Principis, Jacobique, ejus fratris, itemque de Sixti V. Pontificis Max. historia supra dictum est.

De *Missae Sacrificio* scripsisse eum quiddam videor mihi non temere conjicere ex hac litterarum Nicolai Thomizchii, l'atavio ad eum die 3. Mart an 1570 Romam datarum, particula: „ Il vostro libretto *de Sacrificio* „ *Missae* ha havuto fin qui Conte (*articulum homo Polonus omisit*) Carlo. Io l' ho „ letto quasi tutto. Se lo vorrete, fatemi „ sapere, che ve lo mandi, o per la posta „ o come vi piacerà più E' certo bello & „ utile contra questi, che dicono, che Chri-„ sto sia stato lui il sacrificio, & che non ci „ bisogna altri sacrificii, e ch' ogni volta, „ che fecio questi sacrificii, crucifigemo di „ nuovo Christo. &c „ Sed fortasse *suum libellum* Thomizchius appellavit, non quem Gratianus scripserit, sed ab alio scriptum possederit.

Caeterum tantam vim dispersarum schedarum noster Gratianus reliquit, ut simul compactas vel quindecim voluminum aequaturas magnitudinem existimem. Vidi eas, proximo Quintili mense, in fasciculos colligatas Tiferni; excutere & considerare, in illa itineris mei necessaria festinatione, non potui. Potero fortasse aliquando, &, si quid eruditorum hominum lectione dignum reperero, cum illis me communicaturum polliceor.

36 Hoc visitur Ameriae, sepulcro ejus inscriptum, elogium: „ Antonius Maria Gratianus a Burg. S. Sep. Episcopus Amerinorum, memor supremi illius diei, quo re-„ viviscens humanum genus aeternas seu praemiorum seu paenarum sedes, ut cujusque „ meritum fuerit, judicio Dei, est acceptu-„ rum, hoc se condi loco, & lapide tegi „ jussit, anno ab ortu Christi MDC. Obiit „ XVII. kal. Apr. MDCXI. annum agens „ LXXV Qui legis, pia prece Deum vi-„ ventis interim sine corpore animae ejus „ propitiare ne graveris „ In exemplo hujus inscriptionis, quo sum usus, non kal. *Apr.* sed *Id Apr.* manifesto errore, scriptum est Quid? si alia similiter mendosa, sed non ita facile animadvertenda, in eam, aliaque hujusmodi monumenta, quae ex exemplis, ad me missis, profero, irrepserunt: num aliqua mea culpa est, qui diligenter, ut quodque scriptum est, ita describo? Hoc eo dico, ne quis forte mihi aliquando, de exemplorum, non meis, erroribus, homini minime litigioso litem intentet. Ab Vghello in *Ital. Sacr* Venetae edit. ann. 1717. eadem inscriptio affertur, die obitus praetermisso, cui quidem haec substituuntur: „ Vixit an. LXXV. mens. XI. „ dies XXV „ profecto mendose. Ortus est enim Gratianus an 1537 (quod & Italica epitome testatur, & Gratianus ipse satis significat, qui libro hujus Operis XI. ut dudum diximus, reduce se Romam ait anno 1560. annos natum tres & viginti) Mortuum autem anno 1611. omnes, atque adeo ipse Vghellus, fatentur. Non igitur potuit anno 1537 natus, anno 1611. mortuus, vixisse (quod praefert Vghelliana inscriptio) annos septuaginta quinque, menses undecim, dies vigintiquinque. Sed neque a nobis allata sepulcralis inscriptio omni vacare mendo, in annorum summa, censenda est. Nam, si ortus mortisque anni, quos retulimus, diesque constant, mortem Gratianus obiit, annum aetatis agens non quintum, sed quartum, supra septuagesimum Itaque corrigendus est ipse etiam Erythraeus, qui annos quinque & septuaginta natum obiisse eum dicit.



AN-



ANTONII MARIAE GRATIANI


A BVRGO SANCTI SEPVLCRI

DE SCRIPTIS INVITA MINERVA

AD ALOYSIVM FRATREM [1]

LIBER I.





TV vero pensum tuum urges, frater, meque pergis obtundere nunc rogando, nunc suadendo, nunc etiam querendo, ut, quae actio vitae mihi, qui cursus contigerit, priusquam ad ultimum, unde prope jam abest, perveniat terminum, perscribam tibi. Mea aeque nota utrique nostrum, cum respondeo; non absistis: excusanti, non solere haec, nisi de claris atque insignibus viris, quorum aut res gestae aut dignitas aut virtus eni-

1 De hoc Aloysio, Gratiani nostri germano fratre majore, nonnulla scitu non indigna cognosci possunt ex litteris Clementis VIII. Pont. Max. ad Auctorem in obitu illius datis: quas nobiscum ab humanissimis fratribus, ex eadem familia, Josepho, & Antonio Maria Gratiano, una cum hujus Operis exemplari paene autographo (est enim ab Auctore recognitum, suaque ipsius manu multis locis emendatum atque auctum) communicatas hic damus, dignas, cum propter sententiarum gravitatem, tum propter sermonis elegantiam, quae ubique vulgentur, atque legantur. Sunt autem hae.

„ Ve-

enituit, litteris mandari, (quarum rerum nos nihil magnopere adepti sumus) eadem affers; nec publicari tamen haec, edique te, sed a Carolo filio, qui nunc maxime adolescit ac discit, velle non ignorari. Cum elabi ne sic quidem possem, objeci saepe tibi meas occupationes, quibus te parcere aequum esse, ne tu quidem inficiari es ausus. Verum tu tempora nostra ita es speculatus assidue, ut simul ac otii aliquid nactus essem, ecce tibi litterae tuae, eadem canentes. Quid quaeris? Vicisti. Nam sicut tulisse moleste me, interdum etiam stomachatum esse confiteor, nimium hoc tuum studium ne dicam, an pertinaciam? ita, vorante omnia ac superante benevolentia amoreque nostro, ut aliquando meque teque subodioso hoc negocio liberarem; cum forte ad vitandos calores, qui certe immanes hac aestate fuerunt, rus secessissem, fallendi temporis gratia potius, quam quod rem probarem, exaravi (sic enim malo dicere, quam contexui aut explevi) exile atque inane, etsi optatum atque efflagitatum tibi munus; quod non dubito, ipsi etiam Carolo tuo, cum sapere aliquid incaeperit, putidum ac nullum visum iri;

,, Venerabili fratri Antonio Mariae
,, Episcopo Amerino Nuntio A-
,, postolico apud Venetos Clemens
,, PP. VIII.

,, Venerabilis frater, salutem & A-
,, postolicam benedictionem. Facit
,, vetus noster in te amor, ut tua
,, omnia praecipuo quodam affectu sen-
,, tiamus. Itaque eum ex dilecto fi-
,, lio oostro, & secundum carnem ne-
,, pote, Cardinale Sancti Georgii, &
,, ex litteris, quas ad eum scripsisti,
,, cognovissemus de obitu Aloysii
,, germani atque onici fratris tui,
,, cujus animae Deus aeterna gaudia
,, largiatur: saoe commoti non me-
,, dioeriter sumus, & justum dolorem
,, tuum doluimus. Homo enim es
,, humanitate praeditus; tum ille id
,, a te promeritus erat, ut scribis,
,, ut eum natu majorem, sed obse-
,, quiis erga te minorem, toto ex a-
,, nimo diligeres. Accedunt domesti-
,, ca onera, quae narras, tot nubi-
,, lium filiarum, quas reliquit, & u-
,, nius maris impuberis. Sed qoid a-
,, gas, frater? ex hac lacrymarom
,, valle hos fructus colligimus. Nos
,, qooque qoot carissimorum fratrum
,, funera extulimus, & aote nos
,, praemisimus? qoi ex tot fratribus,
,, qnorum complures meministi, soli
,, relicti sumus. in Dei voluotate
,, acquiescendum est. hoc unicum per-
,, fugium. hic portus in hujus vitae
,, tempestatibus tutissimus. quare fra-
,, ternitatem tuam hortamur, ut ex-
,, cites virtutem tuam; &, qoi alios
,, multos consolatus es, te ipsum con-
,, soleris in eo, qui consolatur nos
,, in omni tribulatione nostra: quod
,, te facere pro tua prudentia & pie-
,, tate non dubitamus. Fratri vero
,, mortoo gratulemur, quod tam pie
,, & christiane, ut scribis, in Do-
,, mino, & in tuo complexu obdor-
,, mivit. Deus autem, qui tui solli-
,, citus semper fuit, te & res tuas
,, gubernabit. Tibi vero, quam hu-
,, militer petisti, Apostolicam bene-
,, dictiooem nostram paternè imparti-
,, mur. Datum Romae apud Sanctum
,, Petrum sob Anulo Piscatoris pri-
,, die Calendas Februarias MDXCVII.
,, Pootificatus Nostri Anno Sexto.

Silvius Aotonianus.

ri; quippe repugnante ingenio & INVITA, ut ajunt, MINERVA scriptum. Sed ego precanti instantique ac prope manibus extorquenti tibi obsistere, ac spem cupidinemque tuam frustrari diutius non sustinui. Et ne ab omni prorsus re inane videatur tum studium tuum, tum hoc, quicquid est, quod nos gratificati tibi sumus, (nisi forte id quoque ipsum auget ineptias nostras, non tegit) adjeci & illud, de quo crebro tu quidem mecum, minus tamen pertinaciter egisti, ut de patriae nostrae origine, ac de familiae item nostrae primordiis, quae accepi, traderem tibi: (accepi autem perpauca, & perpaucis transegi.) Quippe admodum adolescens domo profectus vitam foris exegi, nec, nisi post ipsos duos & quadraginta annos, jam senex Burgum [1] revisi: ut nusquam tam peregrinus, quam apud meos, esse viderer. Collegi tamen, quae aut apud scriptores comperi, aut de nostrorum hominum sermonibus audivi. In nostris inde itineribus, & maxime tuis, percensendis, (nam de me prodere quicquam fortasse minus vacabit) interjeci multa, quae scribenti occurrerunt, rem quidem non magnopere attingentia, sed quae digna cognitu sunt visa: & vaga atque errans oratio fortasse legentis molestiam levabit, recreabitque quasi amaenis diverticulis: quamquam scripta haec quoque sunt INVITA MINERVA. Tu, frater, cum intelligas, praetulisse me voluntatem tuam judicio meo, curae habebis nunc quidem, id totum ut comprimatur, clausumque apud te sit: Carolo vero, sive vivis sive mortuis nobis, cum ad ipsum pervenerit, mandabis etiam atque etiam ita habeat sibi, vulgari efferrique ut ne possit. Quod enim docendi instruendique ejus, vel, ut ipse vis, domestici exempli proponendi causa susceptum est, id excusari fortasse patrio utriusque nostrum erga eum amore atque indulgentia poterit; dum veluti vernaculum commentarium, memoriae causa comparatum, intra parietes domus familiaeque nostrae contineatur. Multa enim inter suos, & dici recte, & praecipi, & de patrum ac majorum re-

Scripta haec invita Minerva.

Vaga atque errans oratio minus molestiae habet.

Vulgari haec efferrique vetat.

Liber intra domesticos parietes contineatur.

1 Burgus Sancti Sepulcri Auctoris patria: de cujus origine, situ atque splendore proxime dicturus est Morerius in suo Diction. Edit. Amstelodami an 1717. Civitellam, non Burgum Patriam hominis dicit: errore certe inde orto, quod, quum ab Nicio Erythraeo in Auctoris vita cognosset, eum natum esse Biturgiae; Biturgiam autem a Philippo Ferrario in suo Lexico geograph. non esse Burgum, a Michaele vero Ant. Baudrando, in eodem Lexico, potius esse Civitellam didicisset: non habuit homo exterus atque longinquus quam aliam Gratiani patriam diceret, nisi Civitellam. Sed certe neque Burgus Biturgia est, neque Civitella, sed Burgus, Gratiani patria.

rebus praedicari, ac memoriae quoque posterorum prodi belle & commode videntur: quae prolata, & foras data si sint, invidiam, offensionem, aut certe vanitatis & ostentationis reprehensionem non effugient; praeterquam quod magni refert, quos, qui scribunt, alloquantur: non enim idem cum paucis ac domesticis, & cum omnibus, atque cum ipsa posteritate agenti est propositum; neque eadem ratio, idemque studium scribendi. Denique alia inter tuos, atque aliter loquaris, quam inter alienos, atque inter omnes.

Burgus ubi situs.

Sita igitur Vrbs est, in qua nati nos pervetusta, & apud nostros minime obscura stirpe sumus, ad Apennini radices, duodecim admodum millia passuum infra eum locum, ubi Tiberis amnium clarissimus ortum habet: cui loco a praeruptis & confragosis rupibus Balzae [1] est nomen. Hinc Tiberis modicis, ac nequaquam paribus, tantum ac tam celebre adepturo nomen, fontibus profluit, nostrumque secans agrum mille circiter passus ab urbe, lato, salebroso, & glareosis, globosisque pleno saxis, alveo labitur; ut hyeme pluviis aquis ferox & praeceps, ita aestate tam mitis ac tenuis, ut saepe pedibus a faeminis quoque transeatur, non ante navium patiens, quam ad finem Vmbriae pervenerit: quamquam nostri quidem Cives, qua Florentiam itur, lapideo ponte, opere sanè non spernendo, junxerunt. Hujus repentino auctu in magno amittendi exercitus discrimine versatus aliquando est

Franc. Sfortiae discrimen a Tiberi.

Franciscus Sfortia, ille, qui regnum sibi apud Insubres virtute ac belli gloria peperit. Is enim cum ex Vmbria copias in Flaminiam duceret, & transgressus Burgum castra in ripa Tiberis non longe ab urbe posuisset, tantus repente coelo effusus est imber, ut, nisi Sfortia, praeceleri nuntio ab Amphrosina Tarlata, nobili faemina, admonitus, vasa statim colligi & auferri inde jussisset, subito oppressus malo ingentem accepturus cladem fuisse credatur. Sic quoque haud parvam equorum atque impedimentorum partem, & plerosque militum, qui segnius se periculo expiicuerunt, saevum ac tumens, atque egressum alveo late campos inundans flumen abripuit. Vmbri autem populorum Italiae vetustissimi latos olim fines habuere, nunc fere quantum sinistra Tiberis ripa, Apenninique jugis, & Nare fluvio continetur, obtinent, non dignitate originis magis, quam belli gloria virisque & armis praestantes. Prima urbium Nostra, postrema Ameria. Hac ab ortu solis, illa ab occasu claudun-

[1] Ejusmodi enim praerupta & inaccessa loca Baltas Itali appellant.

duntur. Ita mihi &, ubi incipit Vmbria, nasci, &, ubi desinit, Episcopatum gerere contigit. Scilicet in altera vitam accepimus, in altera deponemus. Nec utrinsque status fortunaque magnopere dispar: nisi quod Ameria in arduo sita colle est; nostra in molliter declivi plano consedit: illa maenium ambitu fortasse amplior; haec aedificiis crebrior, & haud dubie frequentior. Ameriam antiquissimae originis ferunt, & ante Romam conditam: apud nos nova omnia, nec ullum antiquitatis vestigium. Quidam in veteris Biturgiae sedibus, atque in ejus ruinis aedificatam contendunt, nullo, ut videtur, argumento: alii villam hic junioris Plinii fuisse autumant, aeque levi coniectura, auctoritatem epistolae ejus, locum describentis, & similitudinem vallis in theatri modum, undique collibus clausae, secuti. Nos circa annum DCCCCXL. ab nato Christo caepisse arbitramur. Quod ipsum pro non mediocri fortuna, atque adeo pro eximio Dei munere agnoscendum videtur nobis, natam scilicet Patriam, non factam Christianam esse; nec unquam majores nostros hoc coelesti lumine salutiferae rationis, hoc cultu verae ac divinitus traditae religionis caruisse. At non hoc solum tam insigne beneficium contigit nobis, verum, quod rarò nec nisi maximis urbibus accidit, nostrae statuendae interfuisse divinum numen creditur. Sic enim proditum memoriae est: ab Hierosolymis, visendoque ac venerando Iesu Christi Dei sepulcro redeuntes peregrinos duos, ac Romam ab pari pietatis studio petentes, in haec loca venisse, viros, ut res docuit, dilectos Deo, ac coelesti praeditos sanctitate, aucturosque inde & ipsos Coelestium numerum. Hi cum ad fontem, post Deum de more adoratum, ducemque reliqui itineris imploratum, reficiendis corporibus cibum caepissent, abiturique viam surrexissent, sumptis baculis, queis incedentes niti viatores solent, poculo quoque ligneo, quo hauserant è fonte aquam, manus, ut una ferrent, admoverunt. Poculum primo elapsum ter e prehendentis manu, deinde aliam in partem sponte transiliisse, postremo elatum etiam in proximam arborem esse memorant. Tanto attoniti monstro paulum stetere viri. Verum haud ignari divinorum monitorum, abscedendum sibi iis locis non esse, sic jubere deum interpretati, statnunt: ac sub ipsa arbore, in qua substiterat poculum, sacellum aedificarunt, simulacrumque in eo Christi, affixi cruci, consecrarunt. Alii tradunt, de via fessos, ac densae sub umbra nucis stratos arctum occupasse somnum; atque alteri eorum humana majorem, au-

Burgi & Ameriae comparatio.

Burgus quando caepit.

Burgo aedificando divinum interfuit numen.

Vnde initium aedificandi Burgi.

augustioremque astitisse imaginem, ab eaque monitum, ut eodem in loco sacellum aedificarent, futurae olim urbi fundamentum: eo visu exterritum cum reliquisset somnus, excitasse comitem, eique, quae sibi oblata species esset, exposuisse: & mox miraculum novae atque inopinatae rei fidem affirmasse. Pixidem enim, in qua sacras reliquias ab Hierosolymis allatas habebant, in pera cum forte quaererent, & non inventa magnopere commoverentur, eam è ramo nucis in ramum desilientem animadvertisse. Tum religione ictos adorasse Deum, coelestibusque monitis haud cunctanter paruisse. Sed sive poculum illud, sive reliquiarum pixis fuerit, brevi certe accensis in sanctissimos viros totius viciniae studiis, magno in honore apud omnes haberi sunt caepti: & sacellum & fons in hanc diem manent, monstranturque in area Episcopalium aedium, porticibusque areae circumdatis; & haustum aquae ex eo fonte febri laborantibus mederi existimant: quin pixidem quoque & reliquias magna religione asservari in majori templo, colique in hanc diem audio. Haec nullis quidem, quod sciam, satis certis auctoribus traduntur, sed consensu accepta, seu vera omnia, seu pars veris affecta, satis antiquitate ipsa ac religione defenduntur: & mihi neque refellere, neque affirmare est. Advenis alteri Egidio, alteri Arcano fuit nomen: atque alterum quidem Hispanum, alterum Graecum fuisse tradunt. Sed longe diversos patria, par Christianae pietatis ac religionis amor arctissime animis conjunxerat. Vtrumque civitas in Divos relatum propriis dicatis aris colit; utrumque custodem & praesidem sibi ac deprecatorem apud Deum adoptavit; & sacer iis festusque dies Cal. Septemb. agitur, magna celebritate vicinorum quoque populorum. Quo die, quod aliquando, in oppugnatione ac magno discrimine urbis, apparuisse in maenibus Divos, eorumque ope repulsos hostes creditum est, institutum certandi, & ad scopum collineandi tela excussa balistis, priscae militiae tormento, in honorem eorum, Juventus nostra hodie quoque exercet: quamquam balistarum usus in bello, sclopis bombardisque inventis, iam pridem obsoleverit rejectusque sit. His igitur auctoribus, ac veluti divini jussi internuntiis, qui dispersi in agris circumjectisque pagis habitabant indigenae, in eum locum congregati coactique, ubi advenae aediculam incolebant, Deoque dicaverant, vicum non plane magnum aedificarunt, ac celebrare caeperunt: unde nomen inditum Burgi nunquam mutatum est; quod Burgus vicum italice signi-

Auctores aedificandi Burgi in Divorum numerum relati.

Burgi appellatio unde.

gnificet, peregrina & a Germanis invecta appellatione, qui ea tempestate frequentes, ab recenti Caroli Magni Germanorumque Caesarum adventu, in Italia versabantur; addito cognomento Sancti Sepulcri, quod inde advenerant Arcanus & Egidius, qui conveniendi aedificandique principes atque hortatores fuerunt. Cataneos, ac Bubulcos, illos a Colle vetere, hos ab Afra, primos eo domicilium transtulisse memorant. Vtraque familia superest, utraque honestum in civitate locum obtinet. Crevit inde oppidum, convenientibus & passim immigrantibus eo ex omni vicinitate multis perhonestis familiis, primo quidem miraculi fama, & sanctitatis auctorum, deinde etiam libertate soli, atque situ ipso, & natura loci coelique invitati. Et est, ut Plinius ait, circa nos lata satis patensque planicies, pinguibus ac fertilibus campis, quam montes, aut multa vite oleaque & frugifera arbore consiti, aut nemoribus laeti viridantesque veluti indagine cingunt. His inclusa vallis campique ad miliaria quinque & viginti praetenduntur, a Stephani Fano ad agri Perusini fines; totamque longitudinem irrigat Tiberis, minoraque alia flumina, in Tiberim decurrentia. Nusquam terra subactior & exercitatior, nusquam cultior, quàm in nostro agro. Id adeo non tam ingenio soli, quod ubique bonum feraxque est, quam industria fit hominum, quam excitant acuuntque angustiae finium, & necessitas corrigendi & farciendi labore atque cultura, quod negatum a fortuna est. Neque enim non aliquando latius patuere. Injuria temporum nos in arctum redegit. Siquidem agri quantum inter nos Tifernatesque jacet, divisum olim possessumque utrinque ex aequo fuit. Mutilati ab Eugenio Quarto Pont. Max. sumus; qui cum inopia aerarii premeretur, ac multis praeterea circumventus difficultatibus esset, hinc infensis Romanis, a quibus turpi fuga latebraque surripere se ex Vrbe est coactus, hinc Basileensi Concilio Pontificatum ejus in discrimen vocante, quo se in pristinam fortunam dignitatemque vindicaret, unde eum inimici dejecerant, magnum aes alienum contraxit: cui solvendo cum alia multa ad numos cogendos excogitavit, tum Florentino populo gratificans, quo amicissimo utebatur, urbem nostram illi acceptae pecuniae pignus tradidit, atque agri partem, praecisam a nobis, Tifernatibus contribuit; a quibus nunquam recepta est, ne tum quidem, cum a Leone Decimo Pontif. Max. ut fertur, Florentinorum Reip. principibusve dediti penitus, & ab R. E. ditione abjudicati sumus.

Catanei, Bubulci.

Vallis circa Burgum.

Ager cultus.

Ager olim ex aequo cum Tifernatibus divisus.

Eugenius inopia pressus.

Fides in Florentinorũ Rempublicam.

...s. In quorum quidem Florentinorum auctoritate, sive illi Remp. suam per annuos magistratus administrarint, sive uni commiserint, nos adeo constanti decreto permansimus, ut nunquam a fide discesserimus, nunquam ullo rebellionis crimine constantiam nostram inquinaverimus. Quin multis eos officiis pro modo nostrarum facultatum demereri, variis ac difficilibus eorum temporibus, conati sumus: eorum certè imperiis nunquam non prompte obsequenterque obtemperavimus.

Initio regimen penes 24 viros.

Rem Burgensem, Guelfi, Ghibelliniquc distraxere.

Vrbem, cum frequentari colique caepit, rexere diu, delecti e primoribus, XXIV Viri. Sed his saepe diffidentibus, nunc amissa libertas est, nunc recepta: donec in Romanae Ecclesiae Pontificumque Maximorum jus ditionemque concessimus. Maxime Guelforum Ghibellinorumque certamina distraxere; quibus multos per annos universa Italia agitata est. Antequam pestifera factio incesseret animos, passim urbes usurpato libertatis jure, suis quaeque moribus, suis legibus gaudebant. Sed brevi hoc iis luxuriavit bonum: ut fere libertas, nisi arcte constricta legibus, paenae metu coerceatur, in licentiam labitur, ex licentia atque impunitate servitus existit. Guelforum Ghibellinorumque, incertum unde orta nomina, cuncta vertere. Ea Caesarum ac

Vnde Ghibellini & Guelfi.

Pontificum Maximorum discordia invexit; dum alii externam potentiam respuunt, & barbarorum dominatum detrectant, Romanosque Pontifices majestatis Italici nominis, & communis libertatis vindices ferunt: alii plus aequo Caesarum opibus student, atque iis subjicere cuncta, ac per eos potentiam invadere nituntur. A Pontificibus Guelfi, a Caesaribus Ghibellini stabant. Nec dubium, illos tuendae libertati, & aequando juri studuisse: hos, rem ad unius aut paucorum dominationem ut traherent, contendisse. In tantum certe nefas exarsere studia, ut nulla civitas, nullum paulo frequentius oppidum fuerit ab hujus contagione pestis intactum; nullum, in quo non quotidie cives inter se armis ac caedibus grassarentur: donec, quae praepolluissent partium capita, dominatum occuparent. Hinc tot passim Tyranni totam Italiam habuere. Nostram quidem urbem Ghibellini saepe suarum partium principibus prodidere. Nam Vgoccioni Fagiolae, Pisanorum ac Lucensium Tyranno, filioque ejus Nerio, (quorum expulsorum decus, ut mox dicemus, in familia nostra manet) & Tarlatis a Petra Mala, qui per factiones, Aretinorum dominatum invaserant, & item Vicecomitibus Mediolanensibus (hi omnes

Quanta ex factionum studio pestis.

Burgus sub Fagiola.

Tarlatis a Petra Mala.

Ghi-

Ghibellini erant) paruimus. E Tarlatis Guido Episcopus, cum paulo ante deceptos astu Tifernates, & a Ghibellinis proditos, Branca Guelfucino ejecto, ditioni suae subjecisset, & praeterea Castellionem, frequens & validum oppidum, & Anglarium, & Fanum Stephani, & Caprisium vicum, munitione arcis, & morte Thotilae, Gothorum regis, nobilitatum (qui e praelio, quo ad Aqualaniam Callesque in Vmbria a Narsete profligatus est, eo delatus ex vulnere periit) & praeterea circumjecta oppida castellaque permulta occupasset, eminere opibus etiam inter principes caeperat: tantosque sibi sumpserat spiritus, ut contra Joannis XXII. Pont. Max. auctoritatem, muneris fideique oblitus, coronam Mediolani imponere Ludovico Bavaro, qui se Caesarem ferebat, non sit veritus. Nec, quia illi Ioannes Pont. Episcopatum abrogasset, sacrisque prohibuisset, & ejus minuendo juri Cortonam detractam Aretini Episcopi ditioni, proprium habere Episcopum jussisset, eumque honorem ad Joannem Vbertinum Biordi filium, aemula Tarlatorum familia natum, detulisset, incaepto destitit: adeoque partium studiis ferebatur, ut Montem Sancti Sabini & frequentia civium & rerum copia haud ignobile oppidum, vi captum, dirui incendique jusserit, ac cives varie distractos aliò habitatum dimiserit, quia pertinacius Guelforum partes amplecti, ac ne victos quidem mutare animos, intelligeret. At tantis freti opibus Tarlati, nostram quoque urbem dolo primum occupare conati sunt, adulterinis litteris Bavari, legationem ementiti; deinde cum rejecta fraus esset, ad apertum conversi bellum obsidione cinxerunt. Verum, quod neque vi neque dolo potuerant, proditione demum assecuti sunt, & a Ghibellinis, sextodecimo obsidionis mense, clam introducti, Guelforum domos hostiliter diripuerunt; quibus parem fidem constantiamque patriae praestitisse, fraudi & calamitati fuit: qua quidem constantia non solum maenibus hostes saepe repulerant, sed Montem Viridem, Fanum Stephani, aliaque castella agri jurisque Aretinorum caeperant vastarantque, &, quamdiu licuit, pro libertate acerrime constantissimeque pugnarunt. Caeterum Guido Episcopus, qui Pontificis Max. auctoritatem tam contumaciter spreverat, Bavaroque enixe operam ac studium navarat, non multo post ex magna altercatione cum Castrucio Castracane, Lucensium tyranno, ab hac mente penitus descivit. Cum enim Bavarus Pisas, quia portas clauserant sibi, oppugnare, ut aliquam in Aetruria sedem belli adversus Florentinos haberet, statuisset; Guido, cui pu-

Guido Tarlatus Tifernates opprimit.

Caprisium Thot. lae nece nobilitatum

Guido Episcopus Bavaro diadema imponit.

Cortonensibus datus Episcopus

Tarlati dolo primum, deinde vi Burgum invadunt

Burgus a Tarlatis proditione capitur.

Guido a Bavaro alienatur

Altercationis causa inter Guidonem & Castrucium

blice amicitia cum Pisanis erat, ut pacem componeret, haud ignaro Caesare, auctor iis fuerat legatos ad eum mittendi: sed cum de pace nihil convenisset, Castrucius redeuntes domum legatos, nullo communis gentium juris respectu, in itinere aggressus, caeperat in custodiamque tradiderat. Et Guido indignum facinus clamitans, Bavaro coram, negavit se passurum, ut sua fide missi legati tam turpiter violarentur. Contra Castrucius non legatorum causam agere Guidonem, sed dudum a veteribus partibus defecisse, & occulte Guelfis studere criminabatur: qui paulo ante cum Florentiae maenia ab se obsiderentur, nec dubia victoria in manibus esset, auxilio esse sibi negarat, eaque re civitatem, qua victa confectum bellum, & deletae Guelforum partes fuissent, conservarat: pari nunc consilio, doloque tuendas Pisas suscepisse. Quippe Florentina matre genitum, Florentinorum quoque studiis, animisque imbutum esse, & palam Caesarem sequi, in occulto Caesaris hostibus favere. Adversus haec Guido: Nihil mirari se ait, Castrucium tam impudenter mentiri, qui Ghibellinorum eversor, Ghibellinae factionis studium Caesari tantopere venditaret. An, „ inquit, inficiari potes, Vgucionem vindicem acerrimum Ghibellini nominis, aeternumque Florentinorum hostem, „ tua opera Pisis depulsum? & Ghibellinos, qui te, carnificis manibus ac districtae jam in cervicem tuam securi ereptum, Lucae dominum constituerunt, ab eodem „ te nefarie & crudeliter, aut morte affectos aut exilio „ mulctatos omnes esse? sic enim tu fidem, sic amicitiam colis; qui olim ejectus & inops, Aretinorum benignitate sustentatus & altus, hanc iis mihique nunc „ gratiam, mortalium ingratissimus, refers. At etiam Florentinam Matrem objicere audes, qui ne certo quidem „ patre natum esse te probare potes. Me quidem sicuti parentis meae non paenitet, ita adversus Florentinos, cum à „ te injuste oppugnarentur, arma non caepi; quia violare „ faedus, quod mihi cum illis erat & fallere fidem, quam „ hostibus quoque servare didici, nefas duxi. Neque si tu „ promissi omnis, omnis jurisjurandi, omnis religionis contemptor pollutorque pacem, quia tuum tibi tempus placuit, abrupisti, tuique similis fuisti, propterea ego perfidiam tuam imitari, & ab instituto meo colendae religionis discedere debui. Ecquid vero nunc Caesarem, nisi tu, „ Pisis excludit? facesse tu hinc, abscede his castris, remove insidiarum ac perfidiae tuae metum; & ultro patebunt

Castrucius in Tarlatum.

Tarlatus in Castrucium invehitur.

„ bunt Caesari Pisarum portae, ultro cives se illius fidei, „ clementiaeque committent.

Tam faede rixantes tyrannos aegre Caesar diremit. Et cum Castrucius Germanice Caesarem alloquens, negasset Guidonem, qui nunquam in quemquam gratus fuisset, vitium ingrati animi alteri objicere posse: & Guido ignarus linguae, quid barbarice obmurmuraret, & quid ita non palam, & patria lingua loqueretur, ab eo quaesisset, Bavarusque ad haec in risum erumpens, utique pronior Castrucio esset visus, Guido irarum plenus ab eo discessit, & Florentinorum declinans fines, per maritimam oram ducens [1], cum ad Montem Nigrum venisset, in supremum incidit morbum, quo ingravescente, palam testatus est & in publicas tabulas referri jussit, se in fide & auctoritate Pontificis Max. esse, foreque; & ejus imperiis, si convalesceret, semper audientem futurum. Concessit vita circa annum MCCCXXVII. XII. Cal. Novembris. Corpus ejus a Massa, ubi mortem obierat, Saco & Dolfus fratres Aretium transtulerunt, justisque exequiarum illi, pro viri dignitate atque potentia, magnifice persolutis, marmoreo sepulcro, pari magnificentia, ingenio Jocti clari illius seculi artificis, condito intulerunt. Vir fuit animi sane magni excelsique, & quem jure laudibus ferres, si Episcopus non fuisset, aut si illam ingenii atque industriae vim ad curam Sacrorum Episcopaliaque officia contulisset. Aretii maenia, quae diu diruta jacuerant, refecit, & turribus propugnaculisque firmavit, & reliqua item oppida magnis operibus munivit, arcibusque insedit. Vias tota ditione aperuit stravitque ac direxit, & pontibus, qua opus fuit, junxit. Certe, cur quemquam dominatus ejus magnopere paeniteret, non fuisset, nisi omnis tyrannis, etiam quae justi imperii formam imitatur, rejicienda atque execranda foret. Ioannes Villanus Florentinarum rerum scriptor, Burgenses tradit, cum a Tarlatis obsiderentur, amicorum, & maxime Guelforum, auxiliis destitutos, qui imminente omnibus Bavaro, proprio metu attinebantur, misisse Florentiam oratores, deditionem pollicentes, si hostilem vim, Florentinorum ope, ab oppido suo prohibuissent: irritosque dimissos a Florentinis, verentibus, ne illa re Bavarum, qui tum in Aetruria erat, Tarlatorumque co-

Tarlatus a Bavaro discedit.

Guidonis Tarlati mors.

Burgenses a Tarlatis oppugnati deditionem ad Florentinos tentant.

[1] Ita est in autographo; nec verendum de menda. *Ducere* dicuntur exercituum ductores, qualis Guido fuit, iter quum habent. Liv. l. 23. „ Auctores erant quidam, ut proti„ nus inde Cumas duceret, urbem„ que oppugnaret.

conatibus favebat, in se averterent. Et praeterea, longius abesse Burgus ab eorum urbe magistratibus est visus, quam ut facile in fide ac societate retineri posset; interjecto Aretio aliisque adversarum partium oppidis; & Tarlatis ipsis, Florentini nominis infensissimis hostibus; qui, post captum Burgum, Mercatellum quoque in potestatem redegere. Sed Burgenses, paucis inde post annis, Perusinorum copiis fulti, a Tarlatis defecerunt. Nam Perusini tantum irarum certaminisque adversus Saconem Tarlatum, Guidonis Episcopi fratrem, hominem magni quidem in re militari usus magnaeque audaciae, sed inquietum, injurium, & in vicinos assidue, aut vim aut dolos struentem, conceperant animis, ut Guelfi, Guelfarumque partium acerrimi vindices, cum Ghibellinis iis, quos nuper in hostium numero habuerant, in gratiam redirent, conspirarentque, ut per eos Saconem ulciscerentur, & Burgo extruderent. Fuerunt hi Nerius Fagiola, a cujus vi Burgum superioribus annis, vivo Vgucione patre & opibus florente, Carolus Gratianus ipsis adjuvantibus Perusinis, ut infra trademus, liberaverat, Feltrii Comites, Ubertini, Montedolii, Tifernatis Fani filii, atque alii item pari dignitate Ghibellini, a veteribus partibus, injuriis atque odio Saconis, alienati. Quibus Gulielmus quoque, Cortonae Tyrannus, accesserat. Sed Saconi praeter caeteros infensissimus erat Nerius, veteribus & recentibus odiis. Nam & Guido Episcopus post Vgucionis mortem ruinamque domus hostiliter filios insectatus fuerat: & Saco, non multo ante, aliquot Nerio castella ademerat; Itaque ira inflammatus in eum ferebatur. Ab his tractus in partes Ribaldus Montedolius, in cujus matrimonio Tarlatorum soror erat: & ipse tum Burgum ab iis praepositus regebat. Is Nerium cum ducentis equitibus, militibusque quingentis, quos Perusini tradiderant, in urbem recepit: & quamquam invisum Nerii nomen, gravisque civibus aspectus Tyranni, quondam ab se depulsi, ob saevitiae memoriam, esset; tamen, quia Perusina cum eo arma cernebant, & Tarlatorum dominatûs recentius odium sollicitabat animos, laeti defectionis auctorem secuti sunt. Arcem Robertus Tarlatus tam diu retinuit, donec auxilia a Sacone advenerunt. Sed Perusini majoribus copiis se conatui hostis objecerunt; eoque deterrito, Robertum, desperata ab suis ope, duodecimo obsidionis die, ad deditionis conditiones compulere. Atque id initium dilabendi magnis Tarlatorum opibus fuit. Eo certe successu elati Perusini exercitum a Cor-

Burgenses Perusinorum ope a Tarlatis deficiunt.

Robertus Tarlatus arcem Burgi Perusinis tradit.

tona in Aretinorum agrum induxerunt. Sed Saco, insigni audacia virtuteque, non repulit modo a populatione hostes, sed fusos magnaque dissipatos clade prope in conspectum Perusiae ipsius fugientes est insecutus. Certe ad Furcas (suppliciorum hic est locus) cum pervenisset, furcis ipsis Perusinos captivos aliquot, fractis cervicibus, suspendit; & juxta illos, in summum Civitatis ludibrium contumeliamque, domesticas feles & pisciculos e Transimeno lacu, qui laschae dicuntur, eodem suspendio affecit. At Perusini nihil ea re fracti, & ignominia insuper ad vindictae cupiditatem incitati, Tifernum quoque per eumdem Nerium Tarlatis ademerunt, prodentibus atque intra maenia recipientibus Nerium fraudis auctorem, & talium corruptelarum egregium artificem, tribus Monterchiensibus fratribus, qui portae custodiam agebant, quos Nerius, matre internuncia, ad facinus compulerat: & quod victoribus, & maxime Nerio, haud minus laetum fuit, Rodulfus Tarlatus, qui urbi praeerat, cum conjuge & duobus filiis Perusiam adductus, atque in vinculis habitus est. Sed Tifernatibus, quamquam non inviti in Guelforum partes potestatemque rediissent, tamen repentina illa in eorum oppidum irruptio longe calamitosissima fuit. Germanorum enim mille equites, quos Perusini, ejus belli causa, mercede conduxerant, contineri, quin rapinis ac caedibus grassarentur, urbemque faeda direptione vastarent, non potuerunt. Ita ex innoxiorum fortunis praeda divites Barbari abierunt. Perusini eodem victoriae cursu Citernae quoque arce, quae munitissima erat, potiti sunt. At Tarlati his rebus territi ad amicitiam Mastini Scaligeri, Veronensium Tyranni, confugerunt: cujus ea tempestate tantae erant opes, ut non contentus late in citeriori Gallia Venetiaque vim tyrannidis propagasse, (nam praeter Veronam, Brixiam quoque & Bergomum & Vicentiam & Patavium & Tarvisium, nobiles urbes, imperio tenebat) ad Aetruriae quoque res, occupata Luca, animum cupiditatemque adjecerat. At Florentini, quibus ab tam validi Tyranni vi, si in Aetruria sedem fixisset, praecipuus metus erat, non solum cum Perusinis societatem adversus Tarlatos junxerunt, sed ad ipsum Mastinum proprio bello distinendum, cum Venetis faedus amicitiamque inierunt; quibus ipsis Mastinus gravis esse accola caeperat. Ita Tarlati Mastini spe dejecti, atque hinc instantibus acriter Perusinis, hinc Florentinorum prementibus copiis, hinc voluntati civium, quos saevo dominatu habebant, parum fidentes, ma-

Saco Perusinos fugat.

Tifernum eripitur Tarlatis.

Tifernum a Germanis diripitur.

Tarlati ad Mastinum confugiunt.

Florentini Tarlatorum conatibus se objiciunt.

Tarlati Aretium Florentinis vendunt.

magno concussi metu, Aretium, non parvo auri pondere accepto (ad quadraginta numum aureorum millia fuisse feruntur) Florentinis tradiderunt. Quod Perusini, quorum nomine id bellum administrabatur, quique in societatem faederis Florentinos asciverant, aegerrime sunt passi; seque proditos ab iis querebantur. Diuque haec inter eos quaestio est agitata. Tandem concessum, ut Perusini Praetorem ad quinquennium Aretio darent; & Lucinianum, Sabinum, Florianum, Anglarium, haud ignobilia oppida, quae Aretinorum juris fuerant, haberent. Sed Tarlati brevi inde omni fortuna, quae amplissima fuerat, deciderunt. Nam & si tum quidem, aliquot circa Castellis retentis, Bibienam, munitum ac frequens oppidum, fortunarum suarum sedem transtulerant, atque inde, spretis faederibus, saepe vicinis populis infesti, nihil usquam quieti esse patiebantur, tamen inclinantibus, post discessum Bavari, Ghibellinorum rebus, Bibiena quoque a Florentinis ejecti ac penitus attriti sunt.

Tarlati Bibienam se recipiunt.

Ex his Petrus, cui Saconi, ut ostendemus, cognomentum fuit, post Guidonis Episcopi mortem, familiae suae diu princeps, non Burgo, non Tiferno, non denique Aretio amissis, indomitos spiritus adversae fortunae unquam summisit. Vixit ad centesimum ferme annum; atque ad ultimum usque, juvenili ac feroci animo aeque vigens atque invictum robur corporis suffecit, usque adeo, ut quintum ac nonagesimum transgressus annum, quam acerrimo vectus equo, quem armatus nemine juvante conscendebat, militaria munia omnia per se noctu dieque, nullo unquam fatigatus labore, obiret; nec imperio magis, quam manu atque exemplo gerendis rebus adesset, pugnamque accenderet: quin decumbens morbo, qui ultimus illi fuit, accersisse dicitur Marcum filium: „ Et quando (inquit) Marce, aegro ac laborante patre, suspicari homines non possunt, „ quicquam te hoc tempore moliturum, alienam securitatem, eam occasionem fac habeas; & coactis clam militibus, Gressam (erat id Aretini agri oppidum Ubertinorum juris) furto aggredere. „ Consilium patris non aspernatus filius, silentio noctis profectus, oppidum quidem indiligenter, ut nullo tali metu, custoditum caepit; sed ab Ubertinis, qui sequenti die, non dum firmatis rebus, intempore cum magna suorum manu supervenere, cum detrimento ejectus, ad patrem improsperi conatus nuntius rediit. Id vero Saconem adeo conturbavit, ut frendens ac fremens, & suum morbum, suam aetatem accusans, ira ac do-

Saco Tarlatus robusta senectute.

Saconis morbo laborantis consilium datum filio.

dolore magis, quam morbi vi, extinctus credatur, circa annum MCCCLVI. Vir aeque manu promptus & ingenio ad omnes insidiandi atque fallendi artes, ad omnes militares dolos callidissimus atque audacissimus: civilium tamen artium expers, quippe violentus semper ac ferox cuncta libidine sua metiri, nihil aequo bonoque tribuere erat solitus. Tantum certe in uno momenti fuit, ut neque Aretini, quibus ob memoriam Tyrannidis, quam perpessi ab illo fuerant, maxime odio erat, neque Florentini in tantis civitatis opibus, aggredi Tarlatos, oppidaque eorum, ipso vivente, sint ausi: mortemque valentissimi, nec unquam ad exitum vitae pervenientis senis expectare, &, quibus ab illo affecti fuerant, contumelias non ante ulcisci, quam esse ille desiisset, coacti sint.

Saconis mors & mores.

Circa annum MCCC. LI. quinquennio ante mortem ejus, desidentibus Avinione Pontificibus Max. Ioannes Vicecomes, princeps idem & Archiepiscopus Mediolanensium, vasta atque impotenti ambitione, ad Italiae ipsius dominatum aspirare caeperat, opulentissimarum civitatum fiducia, quas imperio parentes habebat, subnixus. Parebant autem illi Mediolanum, Genua, Alexandria, Ticinum, Asta, Derthona, Alba, Novaria, Vercellae, Bobium, Comum, Cremona, Placentia, Parma, Crema, Lauspompeji, Brixia, Bergomum, atque ipsa demum Bononia, quam, spreta Pontificum Maximorum majestate, a Jacobo Pepulo ingenti pecunia emptam, occuparat. Is ante omnia in magno negotio habuit potentiae aemulum Canem Scaligerum Veronensium Tyrannum, qui nuper mortuo Mastino successerat, affinitate atque amicitia devincire sibi: quod cum esset assecutus, omnes quot erant in citeriori Gallia principes Tyrannique, partim voluntate, partim metu, ad amicitiam auctoritatemque ejus se applicuerunt: eorumque exemplum Flaminiae quoque atque Piceni & Vmbriae Tyranni, qui fere Ghibellini erant, secuti sunt. Sic erectis passim Ghibellinorum partibus, quarum ipse se principem ferebat, per eas in Aetruriam quoque, ubi maxime illa grassabatur pestis, potentiam extenderat. Hic multae urbes, multi urbibus pulsi exules, & Ghibellini omnes, in quibus erant gentis nobilissimi, Conteguidii, Vbertini, Tarlati, Feltrii, Fagiolae, Vbaldini, Pactii, auctoritatem ejus sequebantur. Hos quoque ad se evocatos cum magnopere ad opprimendos adversarios oratione incitasset omnes, magna spe repletos ad exequenda consilia dimisit. Tam valida tot principum conspiratio ne Guel-

Joannes Vicecomes Archiepiscopus & Princeps Mediolani.

Vicecomes Ghibellinae factionis princeps in Guelfos incitat.

Guelforum deleret nomen, atque universae Aetruriae jugum imponeret, uni maxime Florentini, &, qui ab pari metu parique factionum studio Florentinis se junxerant, Senenses & Perusini obsistere videbantur. Ad hos igitur armis domandos validissimas copias, duce Joanne Olegio gentili suo, vel, ut plerique existimarunt, filio, in Aetruriam misit, jusso caput ipsum rerum Florentiam oppugnare. Sed Olegius, dux alioquin non obscuri nominis, eo bello, spei, quae de illo erat, non respondit. Nam primum Pistorii haesit, eaque inutili mora spatium imparatis ac territis, & pene desperantibus Florentinis colligendi a metu animos, & justa praesidia, queis patriam tuerentur, comparandi dedit. Deinde ducto ad Florentiae maenia exercitu, ne tentata quidem oppugnatione, inopia commeatuum, quos Florentini undique averterant, sine ullo operae pretio abiit; & Scarpariam ignobile oppidum, Bononiensi viae impositum, aggressus, ab ipso quoque, non sine suorum detrimento, defendentibus strenue, qui in praesidio erant milites, est repulsus. In quo plurimum laudis debetur Albertacio Recasulo, qui oppido praeerat, nec minus Joanni & Silvestro Mediceis, qui laborantibus obsessis subsidio venerunt. Interea Joannes Archiepiscopus, ut eodem tempore Perusinos Aretinosque bello vexaret, Raynaldum, clarum Germanorum ducem, cum quadringentis equitibus & justo peditum numero, ad Saconem, qui longe acerrimus Ghibellinorum habebatur, misit: ut his auxiliis, qua visum esset, communibus inimicis negotium facesseret; & maxime in Casentino, valleque Arni Florentinorum oppida invaderet, viresque eorum distineret. Et Saco, vir impiger & gerendis rebus intentus, utrumque praestitit. Nam & Florentinos fines ab illa parte incursavit, & certior factus, sexcentos Perusinos equites, Florentiam petentes, iter per Aretinorum fines habere, magna celeritate praevertens, nihil tale veritos mane sub lucem aggressus, omnes disjecit caepitque. Ac se inde praeda dives cum Germanis Bibienam recepit, otiumque plures dies egit; mirantibus cunctis, quiescere in tanta accessione virium Saconem, quietis omnis, omnis semper morae impatientem. Sed ille insidias tum maxime Burgo struebat, aggredi aperta vi non ausus; quod, praeter Cives fidos partibus, etiam firmo Perusinorum praesidio teneri oppidum sciebat. Egerat igitur cum Boconianis, nobili & opulenta apud Burgenses familia, & ab studio Ghibellinae factionis veteribus Tarlatorum amicis, qui tum indignanter Guelforum & Perusinorum domina-

Olegius cum exercitu in Aetruria.

Olegius frustra Florentiam tentat.

Vicecomes auxilia Saconi mittit.

Saco insidias Burgo struit.

natum ferebant, de prodenda sibi urbe, & in Joannis Viceccomitis fidem tradenda; & Boçognani, si furto noctis turrim, ut promittebat Saco, imminentem portae portamque caepisset, se cum Ghibellinis, qui suam auctoritatem sequerentur, auxilio futuros polliciti fuerant. Apud Saconem miles erat mire ad omnia audenda corpore simul atque ingenio habilis, & maxime ad furta dolosque compositus. Is ascendere sine scalis muros, per angulos obrepere nitique, & omnia occultus penetrare, diuturno usu solertiaque edoctus, audebat. Deprehenso, surripere se, aut callide causam fingere ac fallere, in promptu semper erat. Ab hujus fraude furtisque nullius stabulum, nullius horreum, nullius domus satis tuta clausaque erat. Arrighettum dixere: & Saco adversus viciniae totius odia tuebatur. Huic suum consilium intercipiendi dolo Burgum, &, quae sibi cum Bocognanis Ghibellinisque convenissent, aperuit: atque ille rem de turri portaque haud cunctanter suscepit. Profectus noctu cum duodecim, quos ex omni numero delegerat, silentio ad portam subit, & turrim, quae munimento portae erat, sueto clavorum funiumque artificio, conscendit; atque inde nexam funibus scalam demittens, per eam socios ad se recipit, & vigiles duos, qui, quia vehementior aquilo flabat, sub tectum se receperant, ante oppressit vinxitque, quam ab iis sentiretur: nam astum hominis stridor venti magnopere juvit. Turri portaque potitus Arrighettus signum proditoribus, quod convenerat, dedit; & eodem tempore Saco, qui cum quingentis equitibus & duobus militum millibus non longe subsliterat, adfuit. Bocognani Ghibellinique ad captae portae signum arma capiunt, atque hostem intra oppidum recipiunt. Guelfi & ipsi clamore ac tumultu exciti, armati in forum concurrunt: sed ignari proditionis, dum quid rei sit alteri alteros interrogant, intrasse urbem Saconem, seque a Ghibellinis proditos cognoscunt. Bocognani, quam alienae potestatis fecerant patriam, servare tamen a direptione cupientes, nuntios ad Guelfos misere; si ab armis discedere, & praesidium Joannis Vicecomitis admittere placeret, nihil cuiquam nocitum iri: in id suam & Saconis fidem paratos obligare. Guelfi teneri ab hostibus urbem intelligentes, conditionem haud inviti subiere. Ita Civitas in ditionem Vicecomitis dedita. Perusinorum milites geminas arces insederant, atque initio invitantem ad deditionem hostem satis constanter respuerant. Sed cum Saco celeriter vallatis terrorem undique intentasset, arces tradidere, cum jam

Arrighettus mirus fraudum machinator.

Bocognani Burgum Vicecomiti produnt

Arces Burgi Vicecomiti deduntur.

Perusini cum validis copiis opem ferentes Tifernum venissent. At non, sicuti urbs ipsa ab hostili vi atque direptione est defensa, ita populationem agris arcere potuerunt. Nam Perusini, & pudore allati sero auxilii, & amissae urbis ira, & Saconis odio incensi omnia circa Burgum omni clade belli vastarunt, & Saconem, objicere se ausum, intra oppidum magna cum suorum caede compulerunt. Amisso Burgo, Anglarium quoque & Fanum Stephani in fidem Vicecomitis, ejecto Perusinorum praesidio, venerunt. At Saco tam prospero intercepti Burgi successu, ita est elatus, ut paucis post diebus cum mille equitibus, adjunctis Cortonensium auxiliis, Perusinorum ingressus fines late cuncta incendiis & populatione vastarit, &, nemine se victori dare obviam auso, ingenti cum praeda Burgum redierit. Hanc cladem Perusini Cortonensibus, cum octingentis equitibus transcurso eorum agro, reposuerunt: & Florentini, inducto in Casentinum exercitu, metum ipsi Bibienae intulerunt, &, aliquot Incensis dirutisque Castellis, cum Vbertinos Pactiosque, tum maxime Saconem egregie ulti sunt. Nec multo post, agente ac jubente Clemente sexto Pont. Max. inter Joannem Vicecomitem & Florentinos caeterosque Aetruriae populos inita pacis faedera, & ex legibus pacis reddita Burgo sua libertas, & deductum ex oppido Vicecomitis praesidium. Nam Clemens, quod Florentini sociique ab nimiis Joannis opibus libertati suae timentes, & apud ipsum quoque Clementem quam multos fautores vel damnatus & hostis haberet, experti, consilia de adducendo in Italiam Carolo quarto Caesare coquebant, veritus, ne illa res vertendis Aetruriae rebus esset: & ipse, concessa Bononia ea conditione, ut duodecim nummum aureorum millia R. E. quotannis tributi nomine penderet, pacem cum Joanne fecit, &, ut ea Aetrusci quoque tenerentur curae habuit. Quorum legati cum frequentes Sarazanam convenissent, & Joannes ipse fessus jam bello, & difficilius operosiusque opinione sua Aetruscum negotium esse, usu comperisset, pacem composuerunt, nobisque, ut diximus, libertatem reddiderunt. Sed Saco cum urgeri pacem intellexisset, antequam ea sanciretur, ingenio suo usus impetum in Aretinorum agrum fecit; tantoque plus praedae abegit abstulitque, quanto remissius futurae pacis spe omnes, & maxime agrestes, custodiam sui armentorumque suorum agebant. Hac tempestate Matthaeus Villanus, qui Joannis fratris historiam Aetruscarum rerum persequitur, urbem nostram, & munitione maenium, & ce-

Saco Perusinorum fines populatur.

Florentini Saconem ulciscuntur.

Burgensibus ex legibus initae pacis reddita libertas.

Villanus floruisse hac tempestate Burgum scribit.

& celebritate ac frequentia populi, & ditibus civibus, & omnium rerum copia magnopere floruisse tradit. Tanti certe pacificatoribus fuit, ut, quod Pisanis, Lucensibus, Senensibus ex decreto percussi faederis tribuerunt, ut liberi suis legibus viverent, idem nostris quoque civibus sint impartiti, ut pari libertatis jure fruerentur; Quo quidem exaequasse dignitate multo validioribus atque opulentioribus civitatibus nostram visi sunt: Quod eo pluris aestimes licet, quod Cortona, quam idem Saco Joanni Vicecomiti subegerat, paulo ante Episcopalis sedis honorem adepta, ex ejusdem faederis auctoritate nihil exempta servitio est, sed in Vicecomitis ditione relicta.

Hoc maxime modo proditi primum captique Burgenses, deinde in pristinam libertatem vindicati, cum nihilominus Ghibellini Bocognanique propinquis Saconis opibus armisque fulti dominari viderentur, ad eos ejiciendos, ut fere homines externo hosti parere, quam civium pati jugum malunt, Nerium Fagiolam, veterem Tyrannum, & ab cervicibus olim suis depulsum acciverunt: qui & si Ghibellinas partes sequebatur, a Tarlatis tamen atque Bocognanis hostiliter diffidebat. Quo, cum firma suorum manu, adventante, captis repente armis, grege facto, Bocognanos aggrediuntur, & urbe cum Ghibellinis, qui sectam eorum sequebantur, ejiciunt; domibus eorum direptis, & bonis in fiscum redactis. Ordinatam inde Remp. ex prisco more XXIV. Viris tradunt. Nerium custodiae urbis ad praefinitum tempus, praefinita cum potestate, praeficiunt. Sed ille nunc blandiendo civibus, nunc imperii vim intentando, non solum sub arbitrium suum cuncta pertraxit, sed potentiae successionem Francisco filio tradidit: singulari fato hujus familiae obrepentis toties ad tyrannidem, toties ea decidentis. Burgi quidem dominatum adeo pertinaciter appetiit, ut ejus retinendi cupiditate dominationem aliquot circa Castellorum neglexerit. At Burgenses brevi hoc quoque jugum excussere. Cum Francisco pepigerant, ut, acceptis sex aureorum nummum millibus, magistratu, praefecturaque abiret. Et jam numerata pecuniae dimidia pars, & tradita civium potestati arx erat. Cum Perusini quidam exules, qui hospitio illius utebantur, gravem nomini suo notam allaturam eam dignitatis atque juris sui nundinationem ostendendo, ac, si nummorum illi pluris, quam existimationis ratio duceretur, duplicaturos eam summam Perusinos pollicendo, rem interpellare, atque hominem ab eo consilio retrahere conati sunt. Atque il-

Bocognani & Ghibellini urbe ejecti, adjutore Nerio.

Nerius iterum dominatum Burgi invadit.

ille haud dubie uberioris lucri ſpe illectus Peruſinis aſſentiebatur: & adhuc praeſidii illi ſatis ad tradendam emptoribus urbem ſupererat. Id vero cum ſenſiſſent Burgenſes, protinus eadem nocte captis magno tumultu armis, Franciſcum & milites ejus, multis illatis vulneribus, non oppido ſolum, ſed finibus quoque exegere. Ac milites quidem pecunia, quam a Burgenſibus acceperat, ablata, ducem ſuum direptum ſpoliatumque in Tifernatum agro deſeruerunt. Burgenſes & receptam libertatem munire ſibi novis legibus contenderunt, & Bucognanorum Tyrannorumque exilium novis & gravibus decretis ſanxerunt.

Franciſcus Nerii filius Burgo exigitur.

At inſequenti anno, qui fuit MCCCLVII. virtute ac ſtudio civium parata ſtabilitaque reſpublica pene intercepta iterum everſaque eſt, dolo atque vi Montedoliorum. Hi quamquam internecinas cum Bucognanis inimicitias exercebant, eorumque exilio & calamitate magnopere laetabantur, tamen quia & ipſi exules Ghibellinique erant, & rem Burgenſem in Guelforum manu eſſe pati aequo animo nequibant, impia conſilia invadendae patriae inierunt; & oblato tempore, cum Burgenſium juventus omnis, Peruſinis bellum adverſus Senenſes gerentibus, auxilio profecta abeſſet, oppidumque, ut in nulla ſuſpitione, ſine ullo praeſidio reliquiſſet: nonis Aprilis, monitis, qui circa Ghibellinis partibus ſtudebant, ut in tempore opem ferrent, cum ſexcentorum militum manu per patentes incuſtoditaſque portas urbem intrant, & foro opportuniſque occupatis locis, & territos re inopinata cives coire non patiuntur. In eo tumultu alii fuga in arcem evaſere, alii e turribus, editioribuſque ſuarum aedium locis ſe tutabantur. Properi ad cives in Peruſinorum caſtra, & Tifernum ad amicos nuntii mittuntur. Tifernates, qui propius aberant, priores auxilio fuere, ſingulari ſane ſtudio, haud ſecus, quam ſi ſuos cives, ſua moenia obſideri accepiſſent, cum ipſis nuntiis omnes, quot arma ferre poterant, ſe ſe portis effuderunt. Montedolii ubi admiſſos per arcem Tifernates videre, oppido exceſſerunt. Et noſtri abeuntium agmen inſecuti, multis eorum caeſis, pluribus captis, praedam omnem (nam multorum diripuerant domos) relinquere coegerunt. Tifernates egregio functi officio, proſequentibus & maximas grates agentibus Burgenſibus, domum eadem die redierunt. In caſtra ad cives, pene uno tempore & acceptae, & ultae cladis nuntii venere.

Montedolii Burgum invadunt.

Tifernates opem Burgenſibus ſtudioſe afferunt.

Potiti inde aliquandiu libertate, tandem in fidem R. E. haud

E. haud inviti venere. Huic per licentiam armorum, quibus tum omnis Italia quatiebatur, Malatestae ademere. Horum enim per haec tempora magnopere opes creverant. Gentis originem sunt, qui ad Germanos referant, & sexcentis amplius ante annis ab Othone Imperatore provectam, dominatum Arimini occupasse tradant. Alii nequaquam tam alte initia repetunt, & Romani eos sanguinis ferunt; cognomentumque ab ingeniorum pervicacia nactos, cum antea Catanei, id est, ut quidam interpretantur, Capitanei & duces vocitarentur. E quibus profectos ab Vrbe duos fratres circa Ariminum consedisse, & cum ipsos tum ortos ab iis Guelforum sectam secutos, strenuos se partibus duces praebuisse, atque per haec potentiam domus fundasse. Guelfae factionis studium, ut Romani credantur, facit; cum, a Germanis Caesaribusque ornati auctique, non dubium, quin pro Ghibellinis adversus Guelfos staturi fuerint. Verum, quibuscumque initiis prodierint, Malatesta, altero duorum fratrum, progeniti, & in plures inde dissecti stirpes, eo virtute, ac belli studiis excesserunt, ut familiae opes latissime per Italiam propagarint. Nam & Ariminum & Cesenam & Cerviam & Bretinorum & minora oppida castellaque in Flamminia atque Aemilia permulta, & praeterea Forum Sempronii, Pisaurum, Fanum Fortunae, Senogaliam, Anconam, Recanatum, Maceratam, Aesium, Auximum, Asculum, Burgum, patriam nostram, Tifernumque, & , quod horum omnium instar videri potest, Brixiam Bergomumque in citeriori Gallia tenuerunt. Nostra quidem urbe multis potitos annis credimus: certe non nisi Eugenio quarto Pontifici Max. qui eos bello fuerat aggressus, reddidere; cum, ex pacis faedere, Pontifex receptis in fidem Ariminum cum eo remisisset, ut Burgum R. E. restituerent. Dominatus eorum apud cives nostros manet non injucunda memoria. Namque & producti permulti ad militares ordines ab iis, & adeo clementer habiti omnes, ut ne connubia quidem & affinitates nostrorum aspernati sint. Quippe Nicolaus Malatesta uxorem e familia nostra Petri Gratiani filiam duxit: quod in sequenti volumine, cum de gentilibus nostris agetur, memorabimus.

Burgenses in fidem Romanae Ecclesiae.

Malatestae gentis origo.

Opes Malatestarum.

Malatestae Burgum tenuere.

Malatestae Eugenio Pont. Burgum reddidere.

Caeterum nonaginta circiter annis postquam a Joannis Vicecomitis ditione, ut supra ostendimus, Burgus est exemptus, rursus ab iisdem Vicecomitibus petiti armis sumus. Philippus enim, qui ultimus stirpis regnum Mediolani tenuit, bellum cum Florentinis internecino odio gerens, cum irrum-

Philippus Vicecomes Burgum armis invadit.

pe-

pere in eorum fines per Flamminiam, Angelo Pergula duce, conatus, a Caſtrocaro hyemis ſaevitia eſſet repulſus, ad eos varie diſtinendos, hinc Franciſcum Sfortiam adoleſcentem, in quo tum haud parva ejus magnitudinis, ad quam ſua eum virtus & fortuna extulit, ſpes elucebat (cui, patre Aterni amnis gurgite abſorpto, paterni exercitus milites ob egregiam indolem ducendos ſe regendoſque commiſerant) ab ſe tum primum mercede conductum, ad oppugnandam Faventiam, cujus regulus amicitia Florentinorum attinebatur, miſit: hinc Guidonem Taurellium Mantuanum, nobilem & ipſum aetatis ejus ducem, & recenti navalis imperii fama clarum, ut, ſi qua poſſet, ad ipſa Florentina maenia penetraret, validis cum copiis Tifernates noſque invadere juſſit. Quibus tum Carolus Malateſta Ariminenſium princeps, vir & magnis praeditus opibus & magna belli gloria, paribuſque doctrinae, prudentiae & humanitatis laudibus praeſtans, imperitabat. Taurellius imperata ſtrenue exequitur; & cum Bernardino Vbaldino, quem Florentini conatibus ejus objecerant, inter Burgum & Anglarium congreſſus, non vicit modo arte bellandi hoſtes, ſed etiam, fuſis eorum copiis, ducem ipſum caepit. Atque inde Burgo Tifernoque potitus, tantum terroris ab ea parte Florentinis injecit, ut, niſi nutantibus Nicolaus Picininus, qui tum reipublicae militabat, celerem ſpem, eo e Flamminia tranſgreſſus attuliſſet, & Aretini & Cortonenſes aperturi victori portas fuerint; & in magnum diſcrimen totius Aetruriae res adducturi. Haec certe clades Florentino populo eo accidit gravior, quod ſuperiori anno ad Zagonaram magno praelio victi exercitum exercituſque ducem Carolum Malateſtam, & cum eo valentiſſimum quemque ductorum amiſerant; & Nicolaus Picininus, in cujus virtute poſt Caroli caſum, conquieſcere videbantur, iis deſertis, ad Philippum uberiora ſtipendia & magnorum praemiorum ſpem ſecutus tranſivit. At Carolum quidem Philippus Mediolanum perductum, memor, eum tutorem olim ſibi a patre relictum, non ut captivum, ſed ut parentem cultum & aliquandiu in magno honore apud ſe habitum dimiſit. Verum haud multo poſt cum Veneti, Philippi ambitioni haud obſcure ad Italiae dominatum aſpirantis, mature occurrendum eſſe ſtatuiſſent, ac faedus cum Florentinis adverſus eum percuſſiſſent, mutanda illi omnis gerendarum rerum ratio fuit.

Franciſcus Sfortia.

Guido Taurellius.

Carolus Malateſta Burgi dominus.

Taurellii victoria.

Abeunte igitur Taurellio, quem majores res Aetruriae avocarunt, reddita Burgenſibus pariter Tiferratibuſque

pax neutris diuturna fuit. Nam Nicolaus Fortebracius, vexatis nuper acri bello, Florentinorum instinctu, Lucensibus, & mox ipsis desertis Florentinis, Burgum dolo occupavit, initio Pontificatus Eugenii: cum gravi ipse morbo implicitus, omittere rerum curas, & commendare Cardinalibus cogeretur, &, quae mortuis Pontificibus Maximis incessere licentia atque impunitas solet, morituri expectatione incessisset. Is enim Fortebracius, Stella, Bracii Montonii, longe praestantissimi ducis, non multo ante ad Aquilam caesi, sorore genitus, ut ante avunculus, per aequa, per iniqua alienis augescere, &, quaecumque offerretur, nullo humani aut divini juris discrimine, rapere fortunam, instituerat. Militari fraude intercepto Burgo, inde a Philippo Vicecomite, inexpiabile adversus Eugenium odium habente, impulsus, & a Braciana factione magnopere adjutus, ita impetum in Romanae E. ditionem fecit, ut Tiferno, Asisio, Tuderto, Interamna, Faliscorum monte, ac postremo etiam Tiburi, in potestatem suam redactis, urbem Romam, ipsumque in urbe Pontificem, pene justa obsidione vexarit. Quo tempore, veluti ex condicto, duae infensissimae inter se factiones, Braciana Sfortianaque, partitae R. E. provincias essent, Franciscus quoque Sfortia, ab eodem Philippo immissus, Picenum per summam injuriam subegit; ementitis ad inducendos populos litteris, quibus ex Basileensis Concilii auctoritate id sibi juris tributum Philippus impudentissime vulgaverat: & Bononienses, ejus item instinctu, spreta fide, duce Baptista Canetulo, rebellarant: & majori scelere Romani arma in Pontificem ipsum caeperant, obsessumque ac plane captum coegerant indignam consciscere ab Vrbe fugam. Siquidem, atra Cassinatis Monachi veste occultatus, uno familiarium, pari cum ornatu, comite, strigosaque ad Tiberim vectus mula, cum se in parvum ac sordidum lintrem injecisset, secundo flumine, incessentibus ex utraque ripa, ubi rem sensere, saxis telisque, Romanis, aegre ad mare est elapsus. Et, quod indignius videri potest, Pontifex Maximus, publicorum Sacrorum princeps, parens Christianae Reip. qui divini numinis instar inter homines gerit, cujus imperium nullis humanis finibus terminatur, cujus potestas ad ipsum usque pertinet caelum, cujus pedibus ipsi oscula subjiciunt reges, piratae conscendere lembum, & praedonis se credere arbitrio non est veritus. In quo tamen plus fidei (quod fari pudeat) quam in populo Romano est inventum. Pari enim hujus flagitio in fugam actus, & illius gloria servatus,

Nicolaus Fortebracius Burgum occupat.

Fortebracius Vmbriam subigit.

Franciscus Sfortia Picenum invadit.

Pontifex a Romanis captus fuga elabitur.

tus, & incolumis Centumcellas perductus est. At his quoque malis, quibus circumventum atque obrutum iri Philippus crediderat, emersit Eugenii invicta vis animi, atque in pristinam se dignitatem vindicavit. Fortebracius secundis rebus elatus, nec contentus Vmbriae possessione, cujus praecipuas urbes praesidiis occupabat, impetum in Picenum erat facturus, quem adversa obtinebat Sfortiana factio. Progressus in Camertium agrum ad Colsfioritum, Alexandrum Sfortiam, Francisci fratrem, validis cum turmis obviam habuit: ac statim inter veteribus partium odiis accensos, haud secus quam si locum tempusque ad certamen destinassent, avide inita pugna: in qua cum plane superior Sfortiana res appareret, Fortebracius, retinere ac revocare suos in praelium & postremum cedentium agmen tueri contendens, iniquum in locum progressus, equo praecipitatur. Cum se in pedes strenue excepisset, circumstant desertum a suis Sfortiani; & unus eorum propius accedens hortatur, ut amissa per arduum & aspretis impeditum collem evadendi spe, victoribus se dederet. Cui ille ita gladium caesim in caput incussit, ut medium scissurus fuerit, nisi galea vulnus avertisset. Tum miles per iram hastilis cuspide transfixum ad terram dedit. Supervenit Alexander ipse aliique ductores: &, benigne appellatum allevatumque bonam spem habere jubentes solantesque, impetrare tamen ab eo nequiverunt, ut aut verbo affari quemquam, aut omnino aspicere invisi hostis vultum vellet: odiumque & rabiem spirans clausos pertinaciter oculos tam diu habuit, donec ipsam ederet animam: & si tres ferme horas post acceptum lethale vulnus vixerit, & nullum erga eum humanitatis officium a Sfortianis sit praetermissum. Custodiam urbis nostrae Puppii Comiti, cujus filiam in matrimonio habebat, commendarat: qui, contracta exulum ac facinorosorum hominum manu, firmo eam praesidio habebat; cui audacissimum ac ferocissimum hominem Baldocium praefecerat. Et quamquam Tifernates, audita Fortebracii caede, ejectis Bracianis, in fidem R. F. redierant; & idem facturi Burgenses viderentur, nisi eos tam validi praesidii metus contineret: tamen incaeptum Comes non omittebat, sperans, Nicolaum Picininum, qui in Flamminia, non longe a Burgo, circa Forum Livii cum Phillppi exercitu stativa habebat, ac de transferendo in Vmbriam bello, ut Fortebracii conatus adjuvaret, cogitasse ferebatur, si res posceret, auxilio sibi venturum. At Eugenius Pont. ad recipiendum Burgum Joannem

Fortebracius ad Colsfioritum victus occisusque a Sfortianis.

Baldacius in praesidio Burgi a Comite Puppii locatus.

nem Vitellescum Cornetanum, Patriarcham Alexandrinum cum eo exercitu, quem adversus Alfonsum regem comparaverat, misit. Qui perdifficilem Burgi expugnationem fore ratus, tum quia oppidum erat ipsum lata fossa ac duplici muro munitum, tum quia valido praesidio tenebatur, eo omisso, ad Puppium, ipsumque in eo Comitem oppugnandum duxit: quo victo, sponte sua venturum in potestatem Burgum intelligebat. Nec eum callidi consilii ratio fefellit. Captis enim aliquot circa Puppium castellis, cum labare defensionis spes caepisset; timereturque magnopere Vitellesci severitas, qui captum paulo ante ad Vetrallam Jacobum Vicum, urbis Romae praefectum, magnae virum dignitatis magnarumque opum, capitali supplicio affecerat, auctoribus interpretibusque Florentinis, Baldacius Burgum Pontifici reddidit. Atque ita Puppii quoque soluta obsidio est, Vitellesco ad Neapolitanum bellum abeunte. Hunc Vitellescum Pontifex bellicis rebus praepofuerat; qui acerrimus militaris disciplinae exactor, omnibus imperatoriis artibus plane par mandato muneri evasit: si immite ingenium & utilis bello saevitia ferri in sacrato viro posset. At eum Pontifex in amplissimum ordinem lectum ita favore extulit, ut munientem inde sibi ad Pontificatum viam & consilia cum Picinino Philippoque adversus Eugenium ipsum miscentem, non nisi dolo capere tollereque sit ausus. Sabellicus non Puppium, sed Burgum a Vitellesco oppugnatum & quadraginta dierum oppugnatione receptum, tradit. Sed Blondum, quem est secutus, rem subobscure explicantem, videtur non satis intellexisse; qui Burgum in summo Apennini jugo statuat. Quod Blondus de Puppio, non de Burgo, videtur prodidisse. Recepto Burgo Tifernoque & Asisio quoque ac caeteris, quae Bracianorum praesidiis tenebantur, oppidis, aut vi captis aut sponte deditis, Pontifex Umbriae res magnopere perturbatas egregie pacavit.

Vitellescus cũ exercitu ad recuperandum Burgum missus.

Baldacius Burgum Pontifici reddit.

Sed assiduis bellis ardente Italia, dum hinc Philippus Vicecomes & levitate animi & perampli imperii subnixus opibus, quietem pati nescit; hinc Veneti Florentinique pecuniarum fiducia propagandae potentiae ambitiose incumbunt: hinc armorum arbitri aemulique Franciscus Sfortia & Nicolaus Picininus horum discordiam alentes, alienis opibus viam sibi ad magnam fortunam muniunt: nusquam quicquam satis tutum aut stabile relinquebatur. Picininum, ac quem in Bracii castris educatum, post mortem ejus Odonisque filii, Braciana factio ob virtutem primas deferebat,

Nicolaus Picininus.

exercitibus suis ac toti rei bellicae Philippus praefecerat: & erat vir eximiae in omni militari disciplina industriae. Ex pusillo quidem corpore cognomentum erat nactus; sed vigore animi & expediti impigrique ad omnia militiae munera ingenii laude, nullus eorum, qui illo aevo exercitus ductarunt, ei anteferri videbatur posse. Is, ut Franciscum Sfortiam, qui relicto Philippo, quia si non plus tribuere plus certe fidere Picinino videbatur, Venetis Florentinisque militabat, eorumque exercitibus cum imperio praeerat, a Brixia, quam magno conatu Philippus obsidebat, averteret, exercitum in Aetruriam induxerat, &, Politiano capto, in tantum metum rerum suarum Florentinos conjecerat, ut, ne desererentur socii, ipse ad opem ferendum, posthabita Brixia, transiturus in Aetruriam Sfortia fuerit, nisi & Picininus Puppii Comiti gratificans in castellis Casentini expugnandis haesisset, & Eugenius Pontifex valida Florentinis auxilia, cum Aloysio Scarampo Patavino, Patriarcha Aquileensi, qui Vitellesco ad militare imperium successerat, & e Piceno Sfortiae jussu Michelettus Attendulus, e prioris Sfortiae gentilis sui disciplina, clarus ea tempestate dux, veteranorum equitum turmas adducens, advenisset. Horum adventu confirmatis Florentinis, Picininus Aetruria decessit, & dominatui Perusiae, unde ipse erat, inhians, & Vmbriam praesidiis nudatam tentaturus, Apennino trajecto, ad Burgum descendit, potitusque urbe eam sedem belli habuit. Nec Picininus modo & Fortebracius, sicuti memoravimus, sed Bracius ipse, qui inde ad tam insignem bellicae laudis gloriam pervenit, e cujus disciplina isti prodierant, cum in civili dissidio victis partibus Perusiae, exul & rebus omnibus spoliatus profugisset, Burgum se recepit, a nostrisque benigne sublevatus, Florentiam concessit, atque in Florentinorum exercitu triginta equitibus praepositus militavit. Cujus memoria beneficii, post partam inde potentiam, Burgensium rebus perpetuo favit. Picininus, a Burgo Tifernates aggressus, acri obsidione premebat. Has enim urbes, ipsa propinquitate pari injuriae opportunas, par saepe fortuna tulit, & pariter incursarunt magnisque incommodis affecerunt crebri exercituum transitus e Flamminia in Vmbriam, ex Vmbria in Flamminiam commeantium: quibus, plerumque validis ac repentinis, non solum cibaria praebere, sed portas aperire cogebantur, & eo obsequio populationem agrorum suorum redimere. A Burgo enim per Vallem Balnei & Meldulam brevissimus est ad Forum Livii Apennini transcensus; & si arduae ascen-

Picininus Burgo potitur.

Picininus a Burgo Tifernates bello vexat.

ascensu saepe rupes occurrant. Dum Tifernum obsidetur, Picininus, relicto ad exercitum filio, cum expeditis cohortibus Perusiam proficiscitur; &, Archiepiscopo Neapolitano, qui pro Pontifice urbem regebat, abire jusso, remp. magistratibus tradidit, sperans, eo beneficio illectos cives custodiam sui ultro ad se delaturos, eamque sibi occasionem invadendae tyrannidis futuram. Sed Perusini omnibus cultum officiis, praesentis pecuniae munere liberaliter donatum, dimiserunt, oppidumque in Pontificis fide retinuerunt. Hac spe dejectus, regressus Burgum, vexandis iterum Aetruriae ac Florentinorum rebus, aut redacto in potestatem Tiferno, reliquae invadendae Vmbriae imminebat. Vtrumque prohibiturus Aloysius Patriarcha, Pontificis legatus, cum Perianpaulo Vrsino, Florentinorum duce, & Micheleto, castra ad Anglarium habebat, quarto a Burgo lapide. At haec agenti Picinino litterae a Philippo redduntur, quibus, omissis aliis rebus omnibus, Mediolanum ad se redire jubebatur, quod, soluta Brixiae obsidione, prosperis ipse Francisci Sfortiae expeditionibus magnopere urgeretur. His nuntiis vir natura acer ac pugnax, & nova Sfortiae felicitate anxius, quo acceptum in Insubria incommodum sarciret, &, si posset, hostibus reponeret, & Sfortiae gloriam pari virtutis experimento aequaret, ante decernere praelio cum legato sociisque statuit, quam in Cisalpinam Galliam abiret, & apud milites primoresque exercitus & maxime Mediolanenses, quibus nequaquam tanti Vmbriae res erant, ut pro iis Philippus finesque ejus deserendi viderentur, & maturam profectionem urgentes moram omnem magnopere increpabant, Italiae arbitrium, non Aetruriae solum, penes Philippum fore dissserebat, si illum exercitum, quod nihil dubitabat, delevisset. Huc intento, hostium partem longius a castris pabulatum profectam, nunciatur. Opportuna occasio visa rei bene gerendae. Itaque, eductis copiis, protinus instructa acie ad hostes vadit. At ne ipsi quidem minus intenti, ad omnes, tam propinqui, tam acris, & in omnes occasiones pugnandi excubantis hostis, motus conatusque observabant.

Picininus Perusiam frustra tentat.

Picininus a Burgo ad hostes proficiscitur.

Ex edito loco, unde planicies, quanta ab Anglario ad Burgum tenet, omnis sub oculis erat, animadversa pulveris nube, quam statim egressa portis acies, tot hominum equorumque incessu, permagnam sustulerat, quod res erat, in se iri arbitrati, conclamant ad arma; revocatisque propere pabulatoribus, ultro advenienti obviam instructo agmine

Praelium cum Picinino ad Anglarium.

ne procedunt, neque animis neque numero impares, & loco etiam superiores. Nam Picinino, ut ad hostes perveniret, subeundus adversus clivus erat: quam iniquitatem ipse & sua & militum suorum virtute fretus prorsus contempserat: quippe qui tanta victoriae fiducia ferebatur, ut, proferri signa, & ingredi aciem jubens, adhortatus Burgenses sit non viros solum, sed etiam faeminas, ut ad spectandam pugnam laeti & nihil de eventu dubitantes prodirent. Et secuti euntem adeo multi sunt, ut prope desertum oppidum reliquerint: &, qui mansere senes puerique & faeminarum turba, maenia complerant, ut & praeliantes e longinquo spectarent, & redeuntes victores suetis vulgo clamoribus exciperent: tanta de virtute ducis opinio, tanta dictis ejus fides erat. Sed omnes, & ante omnes ipsum sua spes, quod saepe in praeliis accidit, valde fefellit. Primus ab Anglario cum expeditis procurrens pugnae se obtulit Micheletus Attendulus, qui hosti, qua viam pons parvo torrenti impositus interscindit, ferox occurrit, Picininianorumque impetum non excepit solum, sed etiam tam diu sustinuit, donec instructa universa suorum acies adfuit, & passim totis campis conserta pugna est. Nusquam tamen acrius majorive contentione, quam ad pontem & pro ponte est dimicatum: cum & Micheletus inserentes se hostes loco atque ponte dejecisset, & immissi a Picinino cum delectorum globo Franciscus filius & Astor Manfredus, Faventiae regulus, longe acerrimi juvenes, Micheletum a torrente, capto etiam Nicolao Pisano, uno ex primoribus exercitus, repulissent. Ipsum quin Micheletum in magnum discrimen adduxerant, nisi laboranti, ac se se manu acriter tutanti, septuagenario seni, Simonetus, alter dux, subvenisset. Redintegrato ad pontem praelio, ipsoque superveniente Vrsino, & Pisanus ereptus hosti, & aequata fortuna pugnae est. Atqui adeo pertinaci spe utrinque pugnabatur, ut equites, perfractis hastis, gladiis aut crebro ictu obtusis aut manu excussis aut ultro abjectis, ferreis chirothecis pugnisque se se mutuo appeterent, & amplexu detrahere equis, ac dejicere alter alterum niterentur. Quinque ferme horas tenuerat praelium, nec, qua inclinatura victoria foret, satis cerni poterat: cum Micheletus atque Vrsinus, cuneo facto, acrem in hostes impressionem fecerunt; &, perruptis ordinibus, ita e ponte deturbatis institere, ut magnopere laborari a Picininianis sit caeptum. Et cum Manfredus, veruto trajectus femur, unaque Franciscus Picinini filius praelio excessissent, incumbentibus ex su-

Picininus victus & in fugam versus.

superiore loco strenue Pontificiis, ne ipse quidem Picininus obsistere ultra ac sustinere victorum jam haud dubie vim potuit: & si retentare suos, & labantes animis firmare, & ad pristinam virtutem, clamore, manu, exemploque suo revocare saepe sit conatus. Eo demum cedente, non jam pugna, sed fuga ac strages ruentium aliorum super alios fuit. Venere in potestatem victorum ad mille octingenti equites; supra quadringenti sunt vulnerati; perpauci, atque adeo nulli, ut quidam auctores prodidere, caesi sunt. Blondus a Foro Livii, aequalis temporum illorum, sexaginta desideratos e victis tradit, e victoribus decem: quod sane mirum tam insigni pugna videri potest. Verum ea tempestate bella equitatu fere gerebantur. Equites gravibus armis tecti, quemadmodum adversus tela atque vulnera pene impenetrabiles, ita, ad terram lapsi, ad erigendum se se prope inhabiles erant. Ergo tradentes se victori benigne servabantur: victor, equo armisque contentus, captivos facile dimittebat. Ita plerumque sine sanguine praelia transigebantur, & victoria non caesorum, sed captivorum numero censebatur: gravissimaque victis jactura equorum erat. Hinc tam facilis belli atque exercituum reparatio iis fuit. Burgensium ex omni multitudine, quae, aut spectandi aut pugnandi studio, aut spe praedarum, secuta Picininum fuerat, ad mille trecenti sunt capti: quos omnes, recepto oppido, Legatus verbis modo castigatos dimisit. Secundum hanc victoriam, & Amphrosina Tarlata, quae Picininum enixe juverat, Castellis, quibus potiebatur, est exuta, & Franciscus, Puppii Comes, Puppio avitoque dominatu a Florentinis est pulsus: vir e Conteguida familia, Aetruriae totius longe nobilissima, ortus; cujus majores per quadringentos amplius annos eo potiti dominatu fuerant. Ipse Bononiam ad Bentivolos, affines suos, se contulit. Posteri ejus inde Mutinam migrarunt, ubi in hanc diem inter praecipuos cives habentur. Picininus, cum filio & primoribus exercitus, qui evasere, Burgum se ex fuga recepit: ac paulo post, veritus, ne superventu hostium, inclusus muris, obsideretur, discedens urbem in potestate civium reliquit: qui, admisso intra maenia Legato, receptisque, qui capti fuerant, civibus, libentibus animis in fidem Romanae Ecclesiae redierunt. Picinino adeo vinci grave atque conteri spem fuit, ut ira ac dolore agitatus, saepe fremens ac mugiens de consciscenda sibi morte cogitasse dicatur: ut cum filius, ne quietem quidem capere soluni, plures per dies sit passus. At Eu-

Cur ea tempestate pauci in praeliis caedebantur.

Puppii Comes avito dominatu exuitur.

Quantus Picinino ex male gesta re dolor.

Eugenio tam laetus victoriae nuntius fuit, ut ex eo Patriarcham in Cardinalium collegium cooptarit. Haec anno MCCCCXXXIX. III. Cal. Julii, ipsa die Apostolorum Principibus sacra, sunt gesta; in quorum maxime tutela ipsi sunt Pontifices Maximi. Itaque Picininus, sive religione tactus, sive excusationem male gestae rei quaerens, non ab hostibus, quos militibus suis, vel virtute vel fortuna vel usu belli, pares esse negabat, sed ab ipsis Divis victum se testabatur, quorum festum diem temere violasset.

Burgus ab Eugenio Pontif. Florentinis traditur.

Insequenti anno nos Eugenius Pontifex, viginti quinque millibus aureorum nummum acceptis, Florentinis tradidit; qui quamquam superiori seculo, cum cives nostri a Tarlatis oppugnarentur, ultro oblatam deditionem, quod longius abesse a suis finibus Burgus, interjectis Aretinis, Cortonensibus Ghibellinisque aliis videretur, ut supra memoravimus, renuerant, tamen, redacto jam sub ditionem Aretio, Cortonaque & aliis circum populis subactis, ut illud quoque Imperii claustrum, unde saepe irrupisset hostis, in potestate haberent, magno studio a Pontifice contenderunt, & ab indigo pecuniae impetrarunt. Aliquando & Gallos admisimus. Denique & Vitellotio Tifernati, Petri Medicis copias ductanti, avi nostri, circa annum MDII. portas aperuerunt.

Vitellotius quo pacto est Burgo potitus.

Is Vitellotius Tifernates suos dominatu tenebat: &, cum Caesari Borgiae, Alexandri sexti patris opibus nixo, summam in Italia potentiam affectanti, militabat; ab hoc arcana cupiditate miscendi se Aetruriae rebus immissus, faventibus palam Ursinis & Pandulfo Petrucio Senensi & Jo. Paulo Baliono Perusino, Petrum Medicem in Patriam reducturus, Florentinos validis copiis invaserat, quibus ipse privata quoque ira erat infensus; quod illi Paulum fratrem Reip. exercitui, Pisano bello, imperantem, non multo ante proditionis crimine arcessitum praecipiti, &, ut non dubia opinio fuit, iniquo judicio, securi percusserant; & ab Aretinis, nullam unquam occasionem desciscendi a Florentinis praetermittentibus, ultro receptus, Cortona quoque in potestatem reducta, tantum Florentiae terroris tumultusque incusserat, ut si protinus exercitum ad urbem, ut oportuit, duxisset, pro non dubio habitum sit, in divulsa intestino dissidio, & in varia studia discissa, invicemque suspecta civitate, (dum alii plebis opes ferunt, alii rem ad optimates trahunt, alii Medices ipsos reductos cupiunt) aliquem Petro aditum ad penetrandum in urbem fuisse futurum. Sed Vitellotius animum ad Burgum ad-

adjecerat, atque urbem proximam Tiferno sibi navatae operae praemium, immodica spe, destinans, ad eam occupandam, nequicquam consilium damnantibus Medicibus, avertit retro agmen, causatus, ex disciplina militiae nihil hostile in tergo esse relinquendum. Burgensium eo tempore militaris aetas omnis in Florentinorum castris ad Pisas stipendia merebat. Itaque relicti domi pauci atque effaeti senes, facile praevalido ac repentino hosti cesserunt. Satis constat, desperantibus de libertate Florentinis hanc interiectam moram saluti fuisse. Nam ab recepto inde Burgo ad oppugnandam Florentiam vadenti Vitellotio, Medicibusque litterae minaequ Ludovici duodecimi Galliae regis supervenere, quibus & absisti bello, & captis urbibus decedi jubebat. Ita nobis quoque perbrevis illa injusta Domini perpessio fuit.

Tarlati novis cinxisse maenibus, atque arcem in edito aedificasse, viasque coctis lateribus munivisse, & urbem magnopere ornasse dicuntur. Viam quoque praelatam rectamque, a Burgo ad Anglarium ductam, Guidonis Episcopi esse opus Volaterranus tradit. Cosmus Medices, auctore Stephano Columna Praenestino, quem bellicis rebus praefecerat, propugnaculis, ex recenti usu bellandi, firmavit. Sed anno MDLVI. cum suspectus ei Gallorum transitus esset, qui, Guisio duce, ad Paulum quartum Pont. Max. ab Hispanorum vi atque injuria tuendum, invadendumque Neapolitanum regnum alpes transcenderant, misit, qui praesidio urbem nostram tenerent, eique caverent. Qui missi erant, suburbia, quae juncta portis in longitudinem satis patebant, atque alterum prope oppidum erant, diruendi consilium caepere, & , Cosmo non consulto, protinus executi sunt, magno detrimento, ac imminutione urbis. Nam, praeter caetera aedificia, tria sacratarum virginum monasteria aequata solo sunt, virginesque intra maenia receptae. Quod Cosmum peraegre tulisse ferunt, qui non tollere suburbia, sed novis murorum brachiis complecti, proferrique & augeri urbem maluisset. At illi parum absuit, quin quicquid circa arborum erat, caederent, ne ea materia usui hostibus esse posset: nisi cives ita se huic consilio objecissent, ut denuntiarent, tantam ac tam hostilem agri ac praediorum suorum cladem, nisi vi atque armis subactos, se non toleraturos.

Burgi suburbia diruta.

Infestarunt urbem faedissimeque aliquando deformarunt magni ac terrifici terraemotus. Anno MCCCLII. VII, ac prid. Cal. Jan. quantum nullo unquam bello, aut ul-

Burgi ingens a terraemotu accepta clades.

ullo adverso casu, acceptum est cladis. Quo magis noceret, imparatosque & inopinantes opprimeret, noctu erupit malum, adeo repentino tremore ac mugitu terrae, ut maxima quaeque aedificia ante corruerent, quam somno mersa civitas proripere se in apertum tutumque posset. Maximam dedere ruinam turres, quae creberrimae cum publicae templorum, tum privatarum aedium erant: turrita item maenia undique eodem tremore prostrata. Attonitis metu omnibus, nullum, nisi in praeceleri fuga, remedium. Quibus spatium fuit, faeminae virique non stratis solum se ejecere, sed in fora hortosque & viarum compita, aut quo suus quemque pavor egit, nudi prorupere; alii parvos liberos suaque secum pignora ferentes, alii relicta oppressaque deflentes; plerisque integris familiis, evadente nemine, suae in sepulcrum vertere domus. Periere & quidam, quibus vis ipsa mali pepercisse videbatur, quos aut ostiorum fornices, aut superstantia tigna, aut cava ruinarum, defenderant. Succurri enim iis non potuit, ruinis ipsis vocem, implorantium opem, obruentibus; & procul aufugientibus, qui salvi evasissent. Ad duo millia hominum, omnis aetatis sexusque, obtrita peste illa sunt. Multi praeterea saucii, multi contusis membris fractisque mortem tamen effugere. Luctuosa sane species stratae jacentisque urbis; atque suorum postmodum corpora ex ipsis ruderum acervis eruentium, agnoscentiumque parentes, liberos, fratres, amicos. Quid? quod Joannis Vicecomitis legatus, & Saco, a quibus superiori anno, ut memoravimus, captum dolo oppidum fuerat, veriti, ne hostes desertum invaderent, cum cives tum praesidiarios milites, qui metu extra urbem tendebant, admotis equitibus coegere intra fossarum ambitum redire? & periere ex his aliqui, qui primis ruinarum casibus defuncti fuerant. Adeo Principes omnia post rem suam habent. Villanus, aequalis temporum illorum, ridicule objicit exprobratque Burgensibus, quod, quas Tyrannorum milites ex populatione vicinorum oppidorum praedas agerent ferrentque, eas ipsi Burgum convectas vilissimo coemere consuessent, ex eaque re magnopere se locupletassent: & hoc ob crimen divinae ultionis paena ictos ait. Scilicet mercator historicus alienis quaestibus invidit; qui non tristes eos atque adeo dolore abstupefactos, ex tot suorum funeribus, sed praedarum lucris atque haereditatibus ditatos, sustulisse animos, & multo, quam antea fuit, splendidius magnificentiusque, & amplioribus domi-

Miserabilis dirutae urbis aspectus.

Ridiculam cladis causam affert Villanus.

Burgenses oppidum suum ornatius instaurant.

mibus suum aedificasse oppidum, & novis maenibus cinxisse tradit. Joannes quidem Vicecomes ad id opus cum architectis trecentos fabros Mediolano misit.

Anno autem MCCCLXXXIIII. eodem telluris motu, nequaquam tamen tam saevo, iterum muri urbis quatefacti conciderunt. Cives, ne aperti opportunique injuriae diu essent, statim Nicolaum Aretinum, celebrem memoriae ejus architectum, acciverunt; deque ejus consilio, validiores munitioresque refecerunt. Facti, & memoria nostra, bis Burgi sunt terraemotus; sed nullo graviori incommodo. Credibile est, remedium attulisse puteorum multitudinem, & vias urbis fere cuniculis cloacisque ad eluviem perfossas. Per haec enim exhalat spiritus: qui, terra inclusus, nisi exitum inveniat, ipsa luctatione erumpere nitentis, obstantia omnia concutiuntur.

Nicolaus Aretinus architectus.

Cur nunc terraemotus minus violenti.

Floruit Urbs diu praestantibus militari virtute viris. Civium enim honestissimus quisque haud alias artes, haud alia honorum nomina aliamve commendationem sui, quam fortibus factis quaesitam norant. Idem plebi studium. Haud facile usquam alibi promptiores vulgo ad nomina danda, ubi auditus tympanorum sonitus ad stipendia vocantium, inventi essent. Non novae nuptae sponsos suos, non matronae viros, non parentes liberos, tanquam in id modo genitos, retinuissent: ut saepe centuriones, quique honestos in bello ordines duxissent, uno tempore supra quadraginta in civitate fuisse memorentur; quidam etiam peramplas procurationes sint adepti. Iseus Becognanus non solum civitatis principatu potitus esse, sed bellicae laudis gloria floruisse dicitur: atque ex eadem gente Raphaelis quoque & Guidubaldi celebris est fama. Gens a stirpe interiit. Quae cum longe opibus ac dignitate apud nostros praestaret, fortunam domus ambitione atque immodico Ghibellinarum partium studio praecipitavit, seque turpi proditae patriae macula faedavit. Hi cum Schiantefchis & Rubertis, aeque potentibus civibus, hostili rabie contenderunt. Quos cum magnis saepe cladibus affecissent, ad extremum, conspiratione aliquot familiarum, ad unum caesi omnes trucidatique sunt. Schiantefchi Comites Montedolii nunc dicuntur, & permulti ex iis illustres bello viri prodierunt. Inter Rubertos Joannes magnopere claruit, qui postea Anichinus est dictus, Germani insignis bellatoris, quem ipse in acie occiderat, translato in se nomine: item Rubertus Guramontis filius, & Pellegrinus, cui Malatestis militanti captae Caesenatium ar-

Militiae studium in Burgensibus.

Qui militiae laude excelluerunt.

Bocognani.

Schiantefchi Ruberti.

arcis decus tribuitur; ficuti fratri ejus Ciano capti Arimini. Vivit & Citoli Catanei memoria & Scipionis & Ranerii & Juftiniani & Maftini; quem Romae Senatorem pop. Rom. fuiffe ajunt. Spini quoque Follii, Malateftarum militis, virtus magnopere commendatur; item Tydei Gentilucii, & Nicolai Guidalis; & ante hos Simonis, cui Bajardo cognomentum fuit, & Benedicti ejus fratris; qui Epirotico bello in obfidione Scodrae, quam Mahemetes Turcarum rex, ille extinctor Graecorum imperii, & Conftantinopolitanae urbis expugnator, cum centum armatorum millibus ingenti conatu, at irrito oppugnavit, magnum nomen funt adepti; atque inde pari virtutis gloria, non Venetis folum, fed Florentinis, Genuenfibus Neapolitanifque regibus militarunt. Antonellum Anghiramum, & Alexandrum ejus filium, Neapolitana bella illuftrarunt: & Alexander quidem ita enituit, ut ab eo cognomen familiae pofterifque ejus inditum fit; apud quos veftigia prifcae dignitatis hodie quoque manent. Antonellum & Francifco Sfortiae militaffe circa annum MCCCCLII. & equitum cataphractorum turmae praefuiffe, apud auctorem Sfortiadis me legiffe memini. Citoli, Spalletae, Andreae & Antonii Burguli, Saraceni, Balducii, Andreae Petrii, Pauli Sinti, Bartholini, Ghori, Bronchini, & Vitelli ejus fratris, Scatorcii, Scarioti, qui in exercitu ejusdem Francifci Sfortiae ordines duxit, Cardelli, Corbacii, qui alae quadringentorum equitum fub Nicolao Picinino praefuit, Bocinoli, Richae, Thudefchi, Gnani, Chiappini, Derratae, Sofiae, Branchiae, abfona quidem, fed nequaquam obfcura bello nomina fuerunt. Memorantur & e Bagnariis Morgantius, Gnanus & Jacobus; e Pichis Vicus & Gognia, & memoria noftra Lactantius; e Fidelibus Longus, Mantina & Guelfus; e Dulciis Vicus; e Doctis Julianus & Doctus: quorum unufquifque egregiam partorum decorum famam pofteris fuis reliquit. De gentilibus noftris, quorum virtus ac dignitas excelluit, infra memorabimus. Claruit & Joannes Picinus, inter nobiles turmarum ductores relatus, qui Braccio Montonio militarunt. Is praelio ad Aquilam commiffo, quo Braccius ipfe, longe clariffimus temporum illorum dux, cecidit, ftrenuam operam navavit. At, avorum memoria, clarum in primis fuit Cyriaci Pallamideffii nomen; qui Venetis militans, ob egregiam bellicae rei fcientiam fpectatamque virtutem atque fidem, aliquando decem millibus militum praefuiffe, ac de dignitate cum

Catanei. Follii. Gentilucii. Bajardus. Alexandri. Spalletae, Burguli, Balducii, Scatorcii, Scarioti, Cardelli, Corbacii, Gnani, Blanchi. Bagnarii, Pichi, Fideles, Dulcii, Docti. Joannes Picinus. Cyriacus Pallamideffius.

cum Bartholomaeo Alviano, qui postea Veneti exercitus imperator fuit, contendisse fertur. Gnanus quoque Piconus in eodem Venetorum exercitu insignem laudem promeruit; qui provectus a Cyriaco, virtute est assecutus, ut etiam aemulus ejus evaderet; item Marius & Alexander Sernardi, & Gnanus Rigius, & Paulus Tanus, & Martinus Bernardinus, qui ad Monsilicem, cujus oppidi custodiae cum septingentis militibus impositus erat, tantam constantiam praestitit, ut, cum magnopere reip. interesset victori hosti injici moram, cum ipsis ad unum militibus caedi contrucidarique elegerit potius, quam Germanis portas aperire. Cujus fidei ac virtutis merito, resp. centum nummos aureos Achilli filio, quam diu vixit (vixit autem ad nonagesimum ferme annum) numerari quotannis jussit. Caeterum & Cyriacus & Martinus Vrbinatium Duci, domo atque regno a Caesare Borgia exturbato, repetenti armis jus suum adeo strenuam operam navarunt, ut post victoriam, & Cyriacus Metula, & Martinus Massa, duobusque aliis castellis in Apennini jugis liberaliter donati sint. Joannem Taurinum nos ipsi pueri senem vidimus. Is non obscuro solum, sed etiam sordido loco est natus: quippe sartorem patrem habuisse omnes narrant. Sed ipse generis sui humilitatem militaribus laudibus extulit, egregieque nobilitavit. Ei gregario, & si non obscuri jam nominis militi, id crescendi initium fuit. In lectissimis illis Joannis Medicis cohortibus, quae ab insigni pulli coloris vexillo, Nigrae vocabantur, stipendia cum mereret, ab clarae virtutis centurione, cui Amico Venafrio fuit nomen, sive invidia crescentis indies inter commilitones Taurini existimationis, sive ex qua alia causa contemptim haberi, ac pro nihilo duci videbatur, usque adeo, ut etiam contumeliose de eo loqueretur, saepe illi domesticam humilitatem ac sordes objiciens. Defendentibus maxime municipis sui famam, qui Burgensium eidem Medici militabant, & haud dubie se causae adjungentibus, ad id odiorum eruperat res, ut cum utrique sui fautores adessent, & uterque cum armatorum grege incederet, imminere gravior aliqua seditio videretur. Medices saepe componere iras & reducere homines in concordiam nequicquam conatus, Taurino irasci videbatur, quod Venafrio ob spectatam virtutum ad ordines promoto aequari, & cum longe fortissimo viro contendere impar auderet. Absistere eo certamine jussus cum non pareret, ac, si locus testandae virtutis daretur intellecturum ducem, neque animis se neque viribus

Gnanus Piconus

Sernardi, Rigii, Tani. Martinus Bernardinus.

Joannes Taurinus.

inimico concedere, praedicaret: fatigatus utriusque pertinacia Medices, datis armis, conclavi domus suae solos inclusit, & decernere inter se ferro, quando pax non placeret, jussit: ipse ex idoneo loco pugnantes spectavit. Avidius inivit certamen Taurinus, & primo statim congressu vulnus adversario in fronte super dexterum oculum inflixit. Et cum large fluens sanguis visum interpellaret, & ille, sinistra identidem abstergens cruorem, impediri videretur, sudariolum illi Taurinus projecit, & recipiens se, exsiccandi aut religandi vulneris spatium sumere jussit. Visus quidem humanitate inimici est Venafrius, ac tanta inde vi Taurinum caesim appetiit, ut ferrum, quo ictum exceperat, manu illi excusserit. Quo viso retulit pedem Venafrius; & „ Recipe, „ inquit, amissum gladium, Taurine, neque enim mihi cum „ inermi, sed cum armato res sit „. Tum haec spectans Medices, patefacto repente ostio, pugnam diremit „ Et pa- „ ri, inquit, virtutis laude, pari benignitatis officio macti „ estote, viri strenui. Pro eo quanti me facitis, jungite dex- „ tras, redite in gratiam, & post hac inter vos pari fi- „ de amicitiam colite. „ Sic reconciliatos dimisit. Ab hujus gloria facinoris Taurinus ad honestissimos postea militiae ordines apud Gallos pervenit; a quibus etiam dominatu oppidi Stipunigii in subalpinis, virtutis ergo, est donatus. In insula Corsicae demum, pro iis pugnans, glande, sclopo adacta, trajectus, incertum an a suis, occubuit circa annum MDLIIII. . Atqui cum honorata huic, tum etiam quaestuosa militia fuit. Eas enim divitias retulerat domum, quibus haud dubie excesserat modum aliorum civium, nisi constitutam familiae fortunam filii evertissent. Et mortuo demum Hieronymo, in quo paternae virtutis specimen eluxerat, Auduenus, uxore in Gallia ducta, solum vertit; fortunasque suas in Parisios transtulit. Memorantur cum laude a scriptoribus ejus temporis, etiam Speronius & Balordus & Ioannes Scucula, strenui cohortium praefecti, & quidam, cujus neque nomen neque genus scio, qui Centurio Burgensis vocitabatur: qui eo praelio cecidit, quo Aurangiae Princeps Florentino bello occisus est; & item Marius & Francia Goracii fratres. Verum obsolevit jam penitus hoc in hominibus nostris bellicae laudis studium, non solum diuturna hac atque insueta tot annorum Italiae pace, sed novo, nec fortasse undique salubri, Principum consilio, quo populis adempta libertas, cui quisque velit, dum non Principis ipsius hosti, militandi. Ante enim nu-

Pugna Taurini cum Venafrio.

Mors Taurini.

Speronius, Balordus, Scucula.

Goracii.

Cur apud nostros militiae studium obsoleverit.

nusquam bellum, ne extra Italiam quidem, erat, ad quod non aliqua juventutis nostrae manus invitata stipendiis proficisceretur. Qua tractatione atque exercitatione armorum implebatur urbs militaribus viris; atque illa fovebatur alebaturque indoles, quae diu magno patriae decori fuit, quae nunc omnis ita refrixit, ut abolita prorsus extinctaque esse videatur. Ac Principes quidem id consilii habuisse videntur, subjectos ditioni suae domi retinere, propagare sobolem, augeri civium numerum, frequentiam in urbibus, in agris facere: scilicet regni opes imperiumque hominum, non aedificiorum aut agrorum, esse: sic & ad arcendam, & ad inferendam vim, cum usus posceret, paratiorem munitioremque Remp. fore. Ipsi delectum militaris aetatis habent, oppidatim describi centuriarique milites jubent, exercent etiam in armis instituuntque per praefectos, ut signa sequi, servare ordines, densare, laxare aciem, locum tueri, inferre aut declinare ictum, impetum dare, consistere, pedem referre sciant. Et in urbe nostra egregie armati instructique ad mille quingenti milites, singulis mensibus, lustrantur recensenturque, &, ut arma parata tersaque & corporibus apta habeant, curatur. Ista quidem recte atque ex disciplina tuendae militiae omnia; nisi ludicra a veris longe distarent. Per jocum, per ludum plerique strenui audacesque & agiles sunt. Fac veros incurrant hostes, fac adversos mucrones, fac infestas cuspides, micantes intentasque in se, fac vera vulnera, verum periculum cernant: tum feroces ac strenui isti ad omnes sclopororum crepitus oculis connivebunt, corde genibusque trement; ad primos hostium clamores, ad primas impressiones, pavidi insuetique fugam respectabunt: quippe ante consenuere plerique, quam hostem unquam viderint, quam gladium strinxerint, quam vulnus adversum aut acceperint aut fecerint. Veri belli usu (1), verorum praeliorum certamine exercitus mihi sit oporet miles; qui alacer pugnam capessat, qui telis, qui plumbeis glandibus, sclopo excussis, volitantibus & circum aures stri-

Cur militandi libertas adempta.

Exercitatio militum.

Quam ludicra distent a veris.

1 In eandem sententiam Cicero lib. II. Tusc. quaest. cap 38. (al. 16) „ Tantum interest, *inquit*, inter novum et veterem exercitum, quantum experti sumus. Aetas tironum „ plerumque melior; sed ferre labo „ rem, contemnere vulnus, consue- „ tudo docet. Quin etiam videmos „ ex acie efferri saepe saucios; & „ quidem rodem illum & inexercitatum, quamvis levi ictu, ploratus turpissimos edere. At vero „ ille exercitatus et vetus, ob eamque rem fortior, medicum modo „ requirens, a quo obligetur:

„, O Patrocle, *inquit*, ad vos „, adveniens auxilium et vestras manus peto &c. „,

ſtridentibus non commoveatur; qui magnum objectum diſcrimen interritus ſubeat; qui cadentes ante diſcerptoſque non horreſcat. His quo pacto aſſueſcat, cui, lege atque edicto Principis, bello interdicitur? Ecquis autem noſtrum, his quinquaginta annis, ullo militiae honore eluxit? Hac ingeniis, quae non ſane tarda hebetiaque coelum noſtrum gignit, dempta creſcendi, laudiſque parandae materia, ſcilicet alii alio flexere. Et, quia ob fines, quibus perangustis utimur, domeſtica fere inopia laboramus, plerique mercaturae lucris vitam tolerant, aut rem augent. Praecipuus quaeſtus iis ex ſativi Glaſti cultura. Herbae id genus, quo lanarum infectores utuntur: Guatum noſtri appellant[1]: cujus adeo frequens, adeo neceſſarius eſt uſus, ut ſine eo nulla infectorum ars ſit; atque adeo totum lanae opificium conſtare, Glaſti remoto uſu, nequeat. Noſtrum quidem laniſicis Glaſtum maxime probatur caeteriſque praefertur, ſive telluris id naturae, ſive cultorum ſtudio induſtriaeque debeatur. Quibus haec ſordet negociatio, potentiorum fortunae in Aulis ſe applicant, aut per fora compitaque vagantes aevum ignavo terunt ocio, juxta ſibi ac Reip. inutiles, & tantum fruges, ut ille[2] inquit, conſumere nati. Ita belli artes deſertae noſtrorum animis excidere: totque nunc juris conſulti in civitate numerantur, quot antea centuriones majorumque ordinum ductores. At Princeps, nullo ſuo ſumptu, parata ad imperium nutumque ac deſcripta ſupra triginta millia militum in armis habet; qui, ſiqua externa vis ingruat, biduo, quo juſſi fuerint, omnes convenient. Magnum robur, magnum publicae incolumitatis praeſidium, ſi bello exercita manus, non tironum atque belli inſolentium numerus ſit: ut vereri liceat, ne, in tan multis armatorum millibus, perpauci milites inveniantur. Sed haec & viderint, quorum intereſt, & nos fortaſſe inepte his obloquimur. Cae-

Noſtris praecipuus quaeſtus ex Glaſto.

1 *Guadum* appellant hac quidem aetate indigenae, non, quemadmodum haec quum ſeriberet Gratianus, *Guatum*. Neque hoc tempore is ex hujus herbae cultura quaeſtus Burgenſibus eſt, quem tum fuiſſe commemorat: immo vix ullos. Praeferunt nunc Guado Indacum infectores, non utilitate quidem (nam deterius lanae Indaco, quam Guado adhibito, colorantur) ſed vilitate. Eſt autem Indacus quidam ex plantae, (quam *Anil* Indiarum ad occidentem ſolem, ubi ea provenit, incolae vocant) ſolia expreſſus ſucus, caeruleo colore, craſſus atque concretus. Quod ad colorem attinet, eleganter de Indaco Lindorus Elateus P. A. hoc eſt, Laurentius Magalottus, cecinit in ipſo cujuſdam Odes initio pag 68. edit. Flor an. 1723.

„ Vedi, Niſe, quella nube,
„ Che dal mar or ſi diſtacca,
„ E al Ponente par che rube
„ Tinte d' Indaco e di lacca?,

2 Horatius epiſt. 2. lib. I. *Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.*

Caeterum, & ſi praecipuum nobis decus ex belli ſtudiis, tamen ne litterarum quidem atque eruditionis laus in noſtris hominibus deſiderata eſt. Vt viventium mentionem omittam, Malateſtae Cataneo cum ob probitatem, tum ob cultum liberalibus doctrinis ingenium, Camertium Epiſcopatum mandatum fuiſſe ferunt: item Dionyſio Ruberto Auguſtiniano, Monopolitanorum. Atque hic quidem Theologiam Lutheciae Pariſiorum magna cum laude docuit. Et in aſtrorum ſcientia ita dicitur fuiſſe exercitatus, ut Villanus memoriae prodiderit, cum Florentinae rei magnum a Caſtrucio Caſtracane impenderet diſcrimen, qui Luca, Piſtorio, Piſis dominatu oppreſſis, aegre a Florentiae maenibus ſummoveretur; pro amicitia & familiaritate, quae ſibi cum Dionyſio intercedebat, compellatum ab ſe rogatumque, ut, quem finem civitatis miſeriae & contentio cum Tyranno eſſet habitura, ad ſe ſcriberet, reſponſum tuliſſe, ne quid magnopere commoveretur: fore enim, ut Caſtrucius brevi (quod ſibi ex geniturae ejus rationibus compertum eſſet) vita abiret. Nec praedictum hominis vaticinationemque eventus fefellit [1]. Nam Caſtrucius in expugnatione Piſtorii cum omnia per ſe obire ducis munera ab militari ardore vellet, ni-

In Burgenſibus litterarum laus non deſideratur.

Malateſta Cataneus.

Dionyſius Rubertus.

Dionyſii vaticinium de Caſtrucio.

1 Atqui Caſtruccius „ Mathematicos & qui futura praenuntiant, genus hominum potentibus infidum „ & ſperantibus fallax, ſemper ſprevit; exiſtimans, quae fato manent, „ quamvis ſignificata non vitari: cum „ nulla vis humana nec virtus, meruiſſe unquam potuerit, ut, quod „ praeſcripſit fatalis ordo, non fiat. „ Nam caeptorum eventus, ſuperae „ ſibi vendicant poteſtates „ Hactenus Nicolaus Tegrimus in Vita Caſtruccii Antelminelli: quam latine ſatis eleganter ſcriptam jam ante typis excuſam una cum elegantiſsima Georgii Dati Etruſca interpretatione non ante vulgata, tribus abhinc annis Lucae edendam curavit Joannes Tegrimus, vir Nicolao gentili ſuo, ingenii, doctrinae probitatiſque gloria nihilo inferior, poetica vero facultate multo ſuperior. Qua ex Vita cum multa alia, quae Gratianus noſter attingit, tum illa, quae ſupra pag. 11. de Piſano Caſtruccii cum Guidone Tarlato congreſsu obſcurius commemorantur, illuſtrari poſsunt: quo loco fugerat me Tegrimi uberiorem narrationem afferre, quod hic facere non alienum exiſtimavi. „ Guidoni, inquit pag. „ 66 laudatae Lucenſis editionis an- „ ni 1742., Tarlato Epiſcopo Arretino apud Piſas coram Ludovico „ Imperatore de Caſtruccio conquerenti, quod eum probris affeciſſet, „ & objicienti ei ingratitudinis vitium (quod maximum apud deum „ hominesque eſt) Germano ſermone „ cum in hanc ſententiam reſpondiſſet, *Beſtias calcaribus & fuſtibus* „ *opus peragere: & de gratitudine non* „ *credendum ei, qui nunquam gratus fuiſſet*: & id parum intellexiſſet; interroganti, quid diceret, „ ſtatim ſubjunxit: *Puerorum ſe non* „ *eſſe magiſtrum*. Cumque Imperator in cachinnum totum ſe effunderet, Tarlatus (ut erat natura „ ad iram pronus) inſalutato Principe, „ equum aſcendit, & Arretium verſus profectus ex bili in febrim „ pleureſimque devenit: ex quo brevi abſumptus eſt.

nimio aestu & calore confectus morbum contraxit, qui illi supremus fuit [1]. Periit quadragesimo septimo aetatis anno III. Non. Sept. MCCCXXVIII. magna Florentinorum laetitia, qui non diu adversus vim opesque illius viri libertatem suam defensuri videbantur [2]. Sabellicus neque indiligens neque obscuri nominis auctor, claros doctrinae laude viros recensens, Dionysii Burgensis non parvo cum honore meminit. Sed sive alter Dionysius fuit, quem Sabellicus memorat, sive Sabellici ipsius erratum sit, qui eum in alterius seculi an-

1 Rem fusius in Castruccii vita narrat Machiavellus his verbis: ,, Erasi Castruccio nella battaglia tutto il giorno affaticato: quando venuto il fine d' essa, tutto pieno di affanno & di sudore si fermò sopra la porta di Fucecchio, per aspettare le genti, che tornassero dalla vittoria, & quelle con la presentia sua ricevere & ringratiare; & parte, se pure alcuna cosa nascesse da' nimici, che in qualche luogo havessino fatto testa, potere essere pronto a rimediare . . . . . Donde che stando esposto ad un vento, che il più delle volte a mezzo di si lieva d' in su Arno, & suole essere quasi sempre pestifero, agghiacciò tutto. La qual cosa non essendo stimata da lui, come quello, che a simili disagi era assueto, fu cagione della sua morte: perchè la notte seguente fu da una grandissima febre assalito, la quale andando tuttavia in augmento, & essendo il male da tutti i Medici giudicato mortale, & accorgendosene Castruccio, chiamò Pagolo Guinigi &c.

De eadem re sic brevissime Tegrimus pag 152 ,, Mortuus est Castruccius quadragesimo septimo aetatis anno, in medio cursu florentissimarum gloriarum, virtute & fama senior quam annis . . . . Febri eum correptum acerbissima, ex nimiis laboribus in expugnatione Pistoriensi perpessis, paucorum dierum brevitas absumpsit. Desinat quisque elatis confidere rebus. ,,

2 Audiatur, paria testatus, Tegrimus pag 66 ,, Florentinos adeo afflixit, ut desperatis rebus, Carolo Roberti regis filio, juveni adhuc, missis oratoribus Neapolim, Francisco Scala, Alexio Rinuccio, Donato Acciajolo, Philippo Bartolo, & Donato Peruzo, totius civitatis summam potestatem demandarint: muros civitatis, tamquam obsessi, jam jam se captos timentes lignis fossisque muniverint, Giano Albizo & Nerio Alberto eam rem curantibus: diligentissimas custodias super colle, ubi Divi Miniati templum cernitur, ne ab hostibus occuparentur, imposuerint: arcem Fesulanam, quae urbi imminet, restauraverint: vectigalia triplicaverint: tributa graviora exegerint; & mille artes ad exigendas pecunias invenerint: per totam Italiam supplices auxilia petierint. Tantus Castruccii timor accesserat, ut egredi portas nemo auderet: omnis multitudo rustica cum armentis pecoribusque intra moenia se contineret: ex fame, foetore, omniumque rerum necessitate & vigiliis orta pestilentia multos Orco tradidit: actumque de iis fuerat, si Guido Tarlatus, ut constituerat, cum exercitu descendisset ex Aretio: quod ab eo non factum aliqui invidia, quae semper maximas potestates comitatur, ne tanta gloria Castruccius potiretur; alii corruptum pecunia, quae omnia sancta profanat & munita expugnat, affirmabant. . . . Solius Castruccii mors, quae maximos saepe mortalium conatus cogitatusque irritos fecit, a tanto eos metu periculoque liberavit. ,,

annum MCCCCXXV. confert, Dionysium certe Rubertum, de quo nobis est sermo, ex Villani historia constat, Castrucii temporibus vixisse. Raphael Volaterranus etiam poeticae laudem illi tribuit. Alterum memoria nostra Dionysium ex eadem familia Julius tertius Pontifex Max. ad Archiepiscopatum Sipontinum provexit. Stephanus ordinis Servorum Magister ita divinarum litterarum scientia excelluit, ut a Pont. Max. Basileam ad Concilium missus, egregiam Reip. navarit operam; & perampla inde laboris atque industriae suae praemia ab grato Pontifice laturus crederetur, nisi redeuntem Romam in itinere mors intercepisset. Manet & sua non vulgaris doctrinae fama Jo. Francisco Gennario, & Benedicto Capasino; qui Florentiae, Patavii, Pisis floruerunt: & Christophoro & Ludovico Carsidoniis; & Pelegrino Onuphrioque Bubulcis; & Martino & Nicolao Lucarinis; & Christophoro, Antonio & Ranerio Pichis; & Francisco Montedolio; & Ladislao Sernardo; & Cynthio Bernardino; & Jacobo Fontanae: quorum alter commendatione ingenii in Vngariam a Matthia Corvino, litteratorum amantissimo rege; alter in Poloniam usque, a Sbigneo Cardinali, & Archiepiscopo Gnesnensi, clarissimo gentis suae lumine, est evocatus; & Ludovico Ceccarino: cujus nomen nunc refert alter Ludovicus Francisci filius, qui laudem quoque doctrinae majorum suorum relaturus videtur. Remigius quoque Melioratus, recentiori memoria, medicinam Pisis, celebri fama, docuit. Et Christophorus, cognomento Rufus, & si tractatu adeo aspero difficilique ingenio fuit, ut vix satis sanus interdum videretur, in Graecis tamen litteris eruditissimus est habitus. A fratre, quem non gratia solum, sed domo quoque expulerat, plumbea glande, sclopo adacta, trajectus cecidit. Scripta illius Nicolaus Tornabonus Episcopus Florentiam abstulit. Et Bernardinus Petrella diu Patavii Logicen docuit; eaque de re satis luculentum volumen edidit. Sed exequi singulos molestum ac longum esset: satis sit paucos percurrisse. Non omiserim Lucam Franciscanum, qui a Burgo cognominabatur. Is, editis, Venetiis, egregiis voluminibus, magnam in mathematicorum atque geometriae scientia meruisse laudem est visus; nisi cum furti atque impudentissimae fraudis redargueret Georgius Vasarius in libris, quos de clarorum pictorum vitis scriptos reliquit: quem „ Asinum leonis pelle contectum „ appellat; & in magistri morte surreptos illius libros pro suis publicasse ait: raptorem haud dubie

Dionysius Rubertus Archiepiscopus Sipontinus.

alie-

alienae laudis, &, si vera Vasarius narrat, ingratum & impium adversus eum, a quo eruditus ipse atque institutus fuerat, & cui maximi beneficii gratiam deberet: dignumque, qui pro gloria, quam turpi latrocinio inaniter appetiit, ementiti alieni ingenii infamiam apud posteros ferat. Magister autem ejus, & voluminum auctor, fuit Petrus Franciscius, nobilis aetatis ejus pictor, nec minus iis studiis excellens: in quorum gloriam succedere conatus est Lucas: in quibus tantus fuit, ut aut superasse veterum praestantiam, aut aequasse sit creditus. Cujus, praeter illa, quae clepsit Lucas, superesse alia volumina aeque utilia, & Vrbini in bibliotheca Principis asservari ferunt. Nam apud Guidubaldum Feltrium annis aliquot vixit; cui & parvas aliquot tabellas pinxit adeo probatas, ut inde eum Borsus, qui primus Ferrariae Dux est appellatus, magna mercede acciverit. Hujus quoque voluntati obsecutus, cum principalis domus cameras aliquot pinxisset, Romam vocatu Nicolai quinti Pont. Max. venit, jussuque ejus, qui certamen ingenii inter duos praestantes seculi illius artifices, accendere cupivit, eodem loco cum Bramante Mediolanensi in palatio pinxit. Anconae inde, Pisauri, Aretii, Burgi praeclara multa artis suae monumenta reliquit. Eorum, quae apud nos extant, maxime commendatur Christus ad vitam rediens, sepulcroque, victoris habitu, exurgens: quem in ipso praetorio, rogatu magistratus, praecipua diligentia fecit. Mansit inde in patria plane dives; & ad octuagesimum annum aetatis pervenit. Suprema senecta, captus oculis, multam operam lectori dabat [1], quae inde peracute meditaretur, amanuensi dictans; caecitatisque damna studiorum assiduitate reponere atque solari conabatur. Tua, frater, domus in via, cui Adjunctae est nomen, ab hoc aedificata est Petro, perite atque ex architecturae legibus: quam incendio deformatam tu postea, ut suo loco memorabimus, restitulsti. Petri hujusce nomen inter claros sui temporis pictores & Volaterranus refert. Alumnus ipsius fuit,

Petrus Franciscius.

[1] Idem, ac quiddam praeterea mirabilius, de Diodoto Stoico memoriae proditum est a Cicerone, Tuscul. quaest lib v. cap. 113. (al. 39.) *Diodotus*, inquit, *Stoicus, caecus, multos annos domi nostrae vixit. Is vero, quod credibile vix esset, cum in philosophia multo etiam magis assidue, quam antea, versaretur, & cum fidibus Pythagoreorum more uteretur; cumque ei libri noctes & dies legerentur, quibus in studiis oculis non egebat: tum, quod sine oculis fieri posse vix videtur, geometriae munus tuebatur; verbis praecipiens discentibus, unde, quo, quamque lineam scriberent.*

fuit Lucas Signorellus Cortonensis, qui ad magnam artificii laudem pervenit; ut Vasarius in pictorum Vitis memorat. Et quando in pictorum mentionem incidimus, non praeteribimus silentio nostrorum quosdam, qui artis hujus gloria emicuerunt; cujus quidem civitas nostra expers fere nunquam fuit. Et Vasarius, praeter Petrum, Christophori quoque Gherardi vitam in volumina sua retulit. Qui, cum Romae, Florentiae, Burgi, multa egregia opera fecit, tum ad Fanum Justini, altero a Burgo lapide, villam, satis splendide a Bufalinis Tifernatibus aedificatam, pinxit; cum exularet a patria eandem ob noxam, qua Camillus Gratianus, ut infra trademus, Burgo est ejectus: quem postea benignitas Cosmi Principis non solum patriae reddidit, sed accitum Florentiam pingendis in praetorio aedibus cum ipso Vasario adhibuit. Ante Christophorum in pretio fuit Raphael dictus a Colle, Julii Romani discipulus, qui Romae cum eo Constantinianam aulam sub septimo Clemente pinxit, ante sub Leone a Raphaele Vrbinate caeptam: & Cungii tres fratres; & Sanctius Titus: quamquam is, Florentiam patriae praeferens, Florentinum dici se maluit. Alberti ferme omnes; in qua domo nasci, non fieri, pictores videntur, ita a parentibus filiis, veluti per manus, ars traditur. Nuper Joannes Albertus a Clemente octavo Pont. Max. ad aedes novae domus, quam Sixtus quintus palatio addidit, pingendas vocatus, ita probabatur, ut Pontifex ipse saepe ad spectandum opus, pingente eo, incomitatus veniret, familiarique alloquio Joanni alacritatem ad reliqua adderet. Sed magnis itineribus ad insignem gloriam eunti invidit mors, rapto juvene intra septimum morbi diem, ferente aegerrime Pontifice; qui, quod Joannes nequivit, a Cherubino fratre perfici voluit: licet illo, & scientia & usu, aliquanto inferior haberetur. Est & alius Joannes cognomento Lisus; cujus Romae magnopere claret nomen: qui, praeter caetera, in Laurentii delubro ad Damasum, Laurentium ipsum fecit; cui ferreae ingenti craticulae torrendo imposito, subjiciunt circa, & flatu excitant prunas impii supplicii ministri. Juvenis ipsius stratum corpus nudum, & naturali majus, & egregia nitens forma. Refertur & Durantes Albertus Romae inter laudatos pictores. Sunt quoque aliquot apud nos claris pictae artificibus tabulae: nam quas municipes nostri pinxerunt, quarum aliquae cum praestantissimis conferri possunt, omitto. Bartholomaeus Gatta, dictus Abbas Sancti Clementis, circa annum MCCCCLX. sacellum Burgi in majori tem-

Christophorus Gherardus pictor.

Raphael a Colle.

Cungii.

Alberti.

Jo. Albertus.

Cherubinus Albertus.

Durantes.

Bartholomaeus Gatta.

plo pinxit; quod famam inde ejus magnopere propagavit. Petrus Perusinus Simoni Gratiano permagnam tabulam pinxit, quam Florentia Burgum bajulorum humeris translatam Vasarius scribit. Hujusce Petri discipulus imitatorque Gerinus Pistoriensis, in aede Jesu, puerum ipsum Deum, cum ex ritu Judaeorum circumcidendus praebetur, fecit: & in Fano, cui a Plebe est nomen, quod nunc Augustiniani colunt, sacellum; &, qua jungitur ponte Tiberis, parvam aediculam in ipsius aditu atque ore pontis pinxit. Quae opera memoratu haud indigna Vasarius judicavit. In aede Sanctae Crucis Rufus Florentinus tabulam fecit refigentium, atque ex ipsa cruce deponentium, exangue atque exanime Christi corpus; opus, quod hodie quoque spectantium oculos tenet. Hic postea Rufus in Galliam profectus, Francisci regis liberalitate invitatus (quo nemo proclivius largiusque praeclaris ingeniis favit) & famam & opes nactus erat: nisi utrasque non multo post miserabiliter corrupisset. Nam judicii metu percitus, quo falsi atque calumniae postulabatur, crudelius ipse de se statuit, quam judices facturi, vel probato crimine, fuerint: &, dum existimationis damnum reformidat, existimationem & vitam praepropera desperatione, hausto sponte veneno, abjecit. In delubro Franciscanorum, qui ab Observantia nominantur, Jacobus Puntormius Florentinus, tabulam sumentium injustum de Quintino supplicium pinxit; inchoatam quidem a Joanne Maria Picho (qui, discendae atque exercendae causa artis, Puntormio operam praebebat) sed ab ipso inde perfectam Puntormio, dum discipulo gratificatur, & pingendi rationem demonstrat. Quae tabula gnaris artis magnopere probatur. Saco Tarlatus, qui urbem nostram, ut supra memoratus est, furto occupavit, tabulam Jocti [1] manu pictam, quae, propter

Gerinus Pistoriensis.

Rufus Florentinus.

Jacobus Puntormius.

Tabulam Jocti manu pictam Saco abstulit.

[1] De Jocto, ut Architecto, supra pag. 11. loquutus est Auctor, quom de Guidonis Tarlati morte ageret, illis verbis: *Corpus ejus..... Saco & Dolfus fratres..... marmoreo sepulcro... ingenio Jocti, clari illius seculi artificis, condito intulerunt*. Hic de eodem, ut pictore, commemorat Picturae faciendae egregiam illi laudem Dantes Alighierius, illius aeqoalis, tribuit in sui Purgatorii Cantico XI.

„ Credette Cimabue nella pittura
„ Tener lo campo. & hor ha Giot-
„ to il grido,
„ Sì che la fama di colui oscura. „

Angelus Bassus Politianus utramque laudem, picturae atque architectonices, in Jocti percelebri epitaphio complexus est; quod, non quale aliter ab aliis editum est, sed, ut marmoreae tabulae in Florentina hac S. Reparatae aede principe insculptum est, ita ab auditore dudum in rhetoricis nostro Francisco Terrollio, Joannis Baptistae hominis spectatissimi mihique amicissimi filio, eximiae indolis summaeque exspectationis adolescente (cujus, ut item condiscipulorum ejus Antonii Sartii, Fran-

pter artificis dignitatem nomenque, magni aestimabatur, vir per omnia injurius nobis ademit, Aretiumque deportavit: cujus inde vetustate comminutae absumptaeque fragmina reliquiasque Bacius Gondus, Aretinorum Praetor, elegan-

Francisci Mariae Pintuccii, Hippolyti Paulli, Lucae Mazzinghii, Francisci Mariae Cajetani Grassii, aliorumque aeque egregiorum juvenum, assidua diligentique opera jampridem utor in MSS Ciceronis codicum, quotquot in Florentinis bibliothecis adservantur, adservantur autem fere quadringenti, cum vulgatis libris collatione, ante annos ipsos decem instituta, atque intra paucos menses, si Deus annuerit, absolvenda) religiose descriptum, nisi quod interpunctio, quae omnis ab marmore abest, inducta est, hic subjicio:

„ Ille ego sum, per quem pictura
„ extincta revixit,
„ Cui quam recta manus, tam fuit
„ & facilis.
„ Naturae deerat, nostrae quod de-
„ fuit arti:
„ Plus licuit nulli pingere, nec
„ melius.
„ Miraris turrem egregiam sacro ae-
„ re sonantem?
„ Haec quoque de modulo crevit
„ ad astra meo.
„ Denique sum Jottus. Quid opus
„ fuit illa referre?
„ Hoc nomen longi carminis in-
„ star erat.
„ Ob. An. MCCCXXXVI. Cives Pos.
„ B. M. MCCCCLXXXX. „

Ne quis autem miretur, Angelum Politianum a me *Bassi* cognomento, non *Cini*, aut *Ambrogini*, sive *Ambroxini*, esse appellatum, volo non ignorari, fuisse tempus, quum ego quoque Antonii Magliabechii auctoritate commotus (qui Vossium reprehendit, quod hominem eodem *Bassi* cognomento designarit; fidenterque in quadam epistola, aliquot abhinc annis typis Florentinis excusa, contendit, non ex *Bassorum*, sed ex *Cinorum* gente fuisse Politianum) inter *Cinos* non autem *Bassos* esse eum censendum existimarim. Postea vero a d. VIII. Kal Decembr. superioris anni 1744. inter libellos bibliopolae nescio cujus circumforanei incidi in primum Politiani operum volumen, Lugduni ab Sebastiano Gryphio an. 1533. editorum: in cujus priore pagella, nullis typorum notis exarata, hoc reperi eruditi Anonymi, neque ita recentis (ut ex scripturae ratione, atramentique evanido atque fugiente colore intelligi poterat) perscriptum insigne monumentum. *In quodam codice Catulli, apostillis, manu ipsiusmet Politiani scriptis, dispuncto, & correcto, legi epistolam ejusdem ad lectorem, cujus in fine haec erant verba. Tu lector, boni consule, & quantum in te est, quae sunt, aut negligentia aut inscitia nostra, nunc quoque corrupta, ea tu pro tua humanitate corrige & emenda: memineris que, Angelum Bassum Politianum, quo tempore huic emendationi extremam imposuit manum, annos decem & octo natum fuisse. Vale jucundissime lector. Florentiae* MCCCCLXXIII. *pridie idus sextiles. Tuus Angelus Bassus Politianus.* Pretiosam mercem, pretio haud ita magno coemtam, mecum continuo abstuli, domique diligenter custoditam servo. Ex eo tempore *Bassus* a me, non jam amplius *Cinus* Politianus coepit audire: magisque Anonymo scriptori, rem tam aperte testanti, quam erudito Magliabechio esse credendum existimavi; quem memoria sua (cujus certe illi magna vis fuit) non semel fuisse deceptum Julii Nigrii *Scriptorum Florentinorum Historia*, quasdam consulenti Nigrio respondente ac ministrante Magliabechio, (id quod me Cl. vir, idemque mihi amicissimus, Ant. Maria Biscionius non semel docuit) conscripta declarat. Scilicet multum memoriae suae Magliabechius, plurimum Magliabechii testimonio Nigrius tribuebat. Attamen de vero Politiani cognomine necdum quidquam certi pronunciandum puto, sed amplian-

ganti vir ingenio, studiose collectas Florentiam abstulit; atque inter res carissimas ejus generis habuit. Is enim Jo- ctus pingendi disciplinae, cum caeteris artibus ingenuis, barbarorum colluvione, in Italia obrutae obsoletaeque, pr- mus aliquid pristinae lucis attulit, & a rudi illa ratior vindicavit. Floruit circa annum MCCCXXV. Sed nos mi- sos jam pictores faciamus. Aliud reticendum Patriae decus non sane videtur nobis: quando longe caeterarum virtutum gloriam superat, quae a religione & sanctitate proficiscitur laus; praesertim cum eo excellit, ut non dubia opinio sit, receptas in Coelestium numerum animas esse, & opinioni fi- dem mirabilium operum prodigia miraculaque affirmant. Ranerius Rasina Franciscanus, humilibus quidem parentibus natus, sed humanarum rerum contemptu, & ardentibus pietatis atque innocentiae studiis in Beatorum relatus caetum religiose colitur. Cultum ac religionem auget corpus ejus in Francisci templo asservatum, nihil tot annorum tabe corruptum. Par cultus, ab pari causa, tribuitur Angelo Recordato Augustiniano, & Andreae Docto ordinis Servorum, & alteri Andreae ordinis ejusdem Magistro; qui mortem Viterbii obiit: ubi reliquiis ejus magnus honos habetur [1].


pliandum: donec, quid doctissimus Salvinus Salvinius in suo de Canonicis Florentinis egregio, aberuditisque adomodum ea spectato exoptatoque, commentario statuat, intelligamus. Potest enim illud etiam forte contigisse, ut, qui ex Bassorum gente esset, in Ciniaoi adoptione, aut aliquo hereditatis adeundae praescripto, aut ejusmodi alia aliqua ratione, transierit.

1 De Viris Sanctitate miraculisque insignibus, qui Burgensem civitatem illustrarunt, exstat egregius commentariolus, quem pereruditus Sacerdos Nicolaus Coletus additionibus suis ad Vghelli *Italiam Sacram* inseruit, ediditque Tom X. ejusdem Operis col. 220. sic praefatus: „ Col. 198. dele „ additionem ibi positam; atque uberiorem hanc a Clariss. P. Abbate „ Petro Canneto mihi perhumaniter „ transmissam repone. „ Eum ipsum commentariolum, tamquam Gratiani nostri de eadem re agentis auctarium, si libet, adjicito. „ Cathe- „ dralis Ecclesia dicata est S. Joanni „ Apostolo, & Evangelistae. Perperam itaque Vghellus affirmat, Ga- „ leottum Gratianum Burgensem, Ab- „ batem perpetuumque Commenda- „ tarium Monasterii S. Jo Baptistae, „ suae patriae electum fuisse a Leo- „ ne X. primum Episcopum. Nam „ vel a primaeva fundatione Ecclesia „ ipsa Abbatialis, mox Episcopalis, „ ejusdem S. Jo Evangelistae nomi- „ ne fuit insignita, vel ab ipsis suis „ primordiis. Ejus Canonici sunt qua- „ tordecim, quos inter tres Dignita- „ tes recensentur, Praepositus nemn- „ pe, Archidiaconus, & Archipre- „ sbyter: nec non praebendae Theo- „ logalis, ac poenitentiaria. Vnx „ cum his Cathedrali subserviunt Ca- „ pellani sex, Chori Magister, Sa- „ crista, Caeremoniarius, Diaconus, „ Subdiaconus, & Clerici octo Sa- „ cra Lipsana quamplura in Cathe- „ drali ipsa, & in Ecclesiis Mino- „ rum Conventualium, Eremitarum

S. Au-

„ S. Augustini, Servorum B. Mariae
„ Virginis, atque in Parochiali S Jo.
„ Baptistae servantur, statisque diebus
„ solemniter ostenduntur quotannis.
„ Ex hac Vrbe prodiere B. Angelus
„ Ord. Eremitarum, cujus corpus
„ sub ara maxima Ecclesiae S. Augu-
„ stini quiescit, addita hac inscri-
„ ptione: Hic B. Angeli de Scarpet-
„ tis a Burgo S. Sepulchri Ord. Ere-
„ mitarum S. Augustini corpus jacet
„ viri sanctitate perspicui, pietate in-
„ signis, miraculisque clari. Anno
„ 1210. virgo in Domino quievit.
„ B. Ranerius de Strofilatis, qui obiit
„ anno 1304. Kal. Novembr. in ejus
„ sanctitatis testimonium campanis sui
„ Conventus sponte personantibus. In-
„ corruptum verò servatur illius ca-
„ daver, quamvis diutius in humido
„ loco antea repositum fuerit. B An-
„ gelus de Tarlatis discipulus S. Fran-
„ cisci. B. Angelus, unus ex tribus
„ latronibus, quos meliorem ad fro-
„ gem ipse S. Franciscus convertit.
„ Beati Antonius, & Paulus de Ro-
„ bertis, B. Amicus Tardoccius. Hi
„ omnes Franciscani Ordinis discipli-
„ nam professi fuere. Praeterea B.
„ Andreas de Doctis, S. Philippi Be-
„ nitii discipulus, multis clarus mira-
„ culis obiit anno 1319 ad cujus tu-
„ mulum apud suos legitur inscri-
„ ptio. Hercmi cultor Burgensis splen-
„ dor B Andre s almae Mariae Ser-
„ vus. B Vbaldus Balduccius Propheti-
„ co spiritu ditatus. B. Andreae disci-
„ pulus anno 1283. mortuus. B Hie-
„ ronymus, ac B Bartholomaeus, ex
„ eodem Servorum Ordine, qui in
„ Conventu S. Angeli in Vado omnes
„ tumulati sunt. His addere est Bea-
„ tos Joannem, & Nicolaum Pica
„ gente ortos, B. Angelum, ac B.
„ Petrum Minoritas. Sacris reliquiis
„ accedunt icones nonnullae insigni
„ veneratione excultae; ex quibus
„ praesertim Vultus Sanctus enitet,
„ seu Salvatoris imago expansis bra-
„ chiis effecta, cujus origo cum lateat,
„ pia traditione creditum est, eam aut
„ prodigiose allatam, aut a S Luca
„ effictam esse materia certe, ac ef-
„ figie simulachrum istud simile iis
„ apparet, quae Lucae & Siroli
„ celeberrima habentur. Cultum ma-
„ xime conciliat crebra, & nunquam
„ intermissa gratiarum frequentia, pu-
„ blicis praecipue in necessitatibus.
„ Tria alia Crucifixi simulachra exco-
„ luntur apud S. Rocchi societatem,
„ quae & sepulchri ejusdem Domini
„ nostri Redemptoris imaginem ada-
„ mussim exactam servat. Tria cir-
„ cumstant Sanctuaria, Mons Alver-
„ niae, Cerbajolum, Mons Casalis
„ diuturna Sanctorum Francisci, An-
„ tonii, & Bonaventurae incolatu,
„ eorumque & aliorum Sanctorum,
„ ac Dei Servorum cellis, lectis, ve-
„ stibus, vasis, aliisque monumentis
„ illustria. Templa omnia hujus Ci-
„ vitatis ornant picturae clarissimo-
„ rum Artificum, suorum praesertim
„ Civium, quorum nomina Vasarius,
„ Baldinuccius, aliique Scriptores il-
„ lustrarunt. Quatuor in Paroecias
„ dividitur Civitas; quae in Cathe-
„ drali, in S. Nicolai Monachorum
„ Camaldulensium, in S. Augustini,
„ in prioratu S Jo. Baptistae Sacra-
„ menta ministrant animabus, quae
„ cum novem millia, & ultra olim
„ numerarentur, modo tria millia non
„ attingunt. Quinque adsunt San-
„ ctimonialium coenobia, Benedicti-
„ num, Camaldulense, Clarissarum
„ Vrbanistarum, earumdem arctioris
„ observantiae, ac severissimae disci-
„ plinae Capuccinarum instituta pro-
„ fitentium. Octo Virorum Claustra
„ extant, Monachorum scilicet Ca-
„ maldulensium, Minorum Conven-
„ tualium, Observantium, Capucci-
„ norum duo, Augustinianorum, Ser-
„ vitarum, Presbyterorum Soc Jesu,
„ quibus adde Congregationem Ora-
„ torii S. Philippi Nerii, praeter
„ alia tum virorum, tum faemina-
„ rum coenobia in Dioecesi. Abba-
„ tiae quatuor intra Civitatem. Con-
„ fraternitates Laicales septem, cum
„ nuper quatuor aliae sint suppressae.
„ Hospitalia quatuor Domus piae duae
„ a S Francisco Assisiensi institutae,
„ unde eleemosynae, dotes, alimenta
„ pauperibus. Montes pietatis item
„ duo. Seminarium anno 1714. ere-
„ ctum est, in quo duodecim circiter
„ alumni educantur. In Dioecesi Be-
„ ne-

„ neficia circiter centum, quibus animarum cura est annexa; totidem „ sine cura. Oppida praecipua Plebs „ Sancti Stephani, ubi Collegiata „ cum octo Canonicis, & aliquot capellanis, Monterchium, & Abbatia „ Tebalda. Castra sunt Castrum novum, Castrum Soricis, Baldignanum, Brancialinum, Caprese, ubi „ Totila Gothorum rex mortuus fuit. „ Abbatia autem S Mariae in Balneo, cum Castro S. Petri, & tota „ Valle Balnei, ejusque Beneficiis „ curatis, quae juris est Monachorum Camaldulensium, regiturque „ ab Abbate ejusdem Ordinis nullius Dioecesis, Sestinum etiam nullius Dioecesis Brugensem Episcopum viciniorem reverentur, suosque clericos ad eum, quandocumque „ opus est, approbandos ad animarum „ curam mittunt, & ordinibus insigniendos. Abbatiae Camaldulensis „ S. Joannis Evangelistae, cum in „ Cathedralem erecta fuit, reditus ad „ scuta 1400 ascendebant. Nunc ne „ quidem ejus summae medietatem „ conficiunt. Erat Abbatia ipsa nullius Dioecesis, quamvis Episcopus „ Civitatis Castelli perpetuis eam litibus vexaret: quin olim Abbas ne „ dum spirituale, sed temporale etiam „ jus in Burgum exercebat. „ Hactenus Cannetus.



AN-



ANTONII MARIAE

GRATIANI

A BVRGO SANCTI SEPVLCRI

DE SCRIPTIS INVITA MINERVA

AD ALOYSIVM FRATREM

LIBER II.





N hanc igitur urbem ita aedificatam, auctam, constitutam majores nostri, ut habitatum venerint, quaeque eorum fortuna progressioque fuerit, attexam nunc quam brevissime; si prius unde ego pleraque acceperim tibi paucis expediero. Anno MDLXVII. secesserat forte Roma, devitandi causa aestivos calores, qui in Vrbe graves plerumque atque immodici sunt, Joannes Franciscus Commendonus Cardinalis, apud quem ego vivebam, & ad Gualdum Vmbriae oppidum, salubrioris ac frigidioris coeli locum, aestatem agebat. Ad eum medicus quidam Mevaniensis varii generis scripta, minime illa quidem vulgata, & ab se magna diligentia conquisita collectaque, afferens (quod talium avidum & omnis antiquitatis studiosum Cardinalem audierat) venit. Et Commendonus quidem cum omnia lectu digna percurrisset, (& erat, ut quondam de veteri Catone [1] est dictum, magnus librorum he-

Vnde pleraque de Gratianis accepta.

G

[1] Cicero lib III. de Fin. bon. & mal. cap. 7. (al 2.) „ Nam in Tusculano cum essem, vellemque e „ bibliotheca pueri Luculli quibusdam li-

heluo) non nulla etiam describi jussisset in volumine satis magno, in quod plura omnis generis monumenta annaliumque memoriae conjectae erant; multa de familia nostra, mixta Perusinorum rebus reperit, mihique ostendit: quorum ego, & si fere negligens fui, pauca tamen excerpsi exscripsique; quae inde tecum, ut scis, & cum monumentis familiae contuli, & ex omnibus aliquid veri eruisse sum visus. Ac primo, quod veriti quidam non sunt, originem nostram ad Gratianum Caesarem referre, equidem respuo & fabulosum reor: non quia decidere ad privatam inopemque fortunam regio quoque sanguine genitos novum atque inusitatum putem, (quid enim in hominum vita frequentius hac fortunae vicissitudine & commutatione, tollentis nunc ex infimo nos ad summum, nunc ab summo ad infimum detrudentis ?) sed quia tam alte, tam ex longinquo repeti haec non patitur humana imbecillitas, obruente res memoriamque rerum, & cuncta absumente aevo. Nec isti aliud secuti, quam nominis similitudinem, videntur. Quae si ratio valeat, cur Tatium Gratianum, qui sub Tiberio Caesare, trecentis amplius annis ante Gratianum Imperatorem, Romae praeturam gessit, auctorem gentis nostrae non ferimus ? Cur Gregorium VI. Pont. Max. qui ante adeptum Pontificatum Joannes Gratianus vocitaba-

Opinio de Gratiano Caesare refellitur.

Tatius Gratianus.

„ libris uti, veni in ejus villam, ut „ eos ipse (ut solebam) inde pro- „ merem. quo cum venissem, M. Ca- „ tonem, quem ibi esse nescieram, „ vidi in bibliotheca sedentem multis „ circumfusum Stoicorum libris. erat „ enim, ut scis, in eo inexhausta „ aviditas legendi, nec satiari pote- „ rat: quippe qui ne reprehensionem „ quidem vulgi inanem reformidans, „ in ipsa Curia soleret legere saepe, „ dum Senatus cogeretur, nihil ope- „ rae reip. detrahens. quo magis tum „ in summo otio, maximaque copia „ quasi *heluari* libris, si hoc verbo „ in tam clara re utendum est, vi- „ debatur. „

1 Hor. Lib. I. ode 34.

„ Valet ima summis
„ Mutare, & insignem attenuat
„ Deus,
„ Obscura promens; hinc apicem
„ rapax
„ Fortuna cum stridore acuto
„ Sustulit; hic posuisse gaudet. „

Et lib. III. ode 29.

„ Fortuna saevo laeta negotio, &
„ Ludum insolentem ludere per-
„ tinax,
„ Transmutat incertos honores,
„ Nunc mihi, nunc aliis beni-
„ gna. „

Pacuvius apud Auctorem librorum ad Herennium lib. II. cap. 36. (al. 23.)

„ Fortunam insanam esse & cae-
„ cam & brutam perhibent
„ philosophi:
„ Saxoque illam instare globoso
„ praedicant volubilem:
„ Ideo, quo saxum impulerit
„ Fors, cadere eo fortunam
„ autumant. „

Plautus in Prol. captiv. „ Enimvero Di nos quasi pilas homines habent. „ Quae sententia Graecorum etiam proverbio celebratur: Θεῶν παίγνια ἄνθρωποι.

batur, & a Ciacono Hispano in libris, quos de Pontificum Maximorum vitis scripsit, Romanorum nobilissimus nuncupatur; vixitque circa annum MXLVI. & eodem, quo Austria familia, tot regnorum domina, sanguine manavit: cur Gratianum, a quo collectum in generaque digestum atque distributum jus pontificium est, familiae nostrae non inferimus? Id igitur totum de Caesare, aut vanitas nostra aut aliena assentatio, ut reor, commenta est: & ego me in funebri laudatione Simeonis Gratiani legisse memini; (quo in genere scriptionis colligi omnia, & multa etiam affingi[1], ut plenius mortuo praeconium tribuatur, fere solent.) Sicuti scriptorem rerum a Bracio Montonio Perusino gestarum, (qui per facinora atque licentiam aliena invadendi rapiendique, magnos sibi opes comparavit, atque ipsam urbem Romam ditioni suae subegit) nihil puduit, genus illius a Poenis ipsoque adeo Annibale ducere, Barchinae factionis apud Cartaginienses principe; haud alio quam nominis, ac ne hujus quidem satis similis, argumento. Tanta saepe libido scriptores mentiendi assentandique incessit. Quamquam ego, sicuti blandiri tantopere nostris, & plus aequo favere studio eorum, a quibus id proditum memoriae est, non audeo, ita ne derogatum quidem acceptae opinioni, aut meorum dignitati detractum per me quicquan velim: sed rei tam profunda vetustate obrutae fidem penes auctores relinquo. Satis sit, antiquissimum nomen esse, & summos eo viros cognominatos: nec viros solum; sed vasa quoque ex argento Gratiana[2] & Clodiana memorat Plinius. Sed ad nostra pergamus.

Scriptorum assentandi libido.

Gratianorum pervetustum cognomen.

Pe-

1 Cicero in Bruto seu de clar. orat. cap. 61. (al. 16) „ Nisi quem Appii Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho, & nonnullae mortuorum laudationes forte delectant, & hercules hae quidem exstant. Ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, & ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam. Quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt; falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem transitiones; cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus: ut si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio consule, anno X. post exactos reges fuit „

2 Exemplar nostrum *Gatiana*, non *Gratiana* habet; errore manifesto: quem nos sine haesitatione correximus sequuti tum rationem, (nam si *Gatiana* retineremus, qui ea vox ad *Gratianos* referri posset?) tum Plinii auctoritatem illam, quo certe respexit Auctor, lib natur. hist. XXXIII. cap. 21. *Vasa ex argento mira inconstantia humani ingenii variat,* nul-

Perusia.

Perusia est nobilis in primis Aetruriae civitas, ac non solum una ex duodecim illis, quas saepe commemorat antiquitas, sed inter ipsas duodecim magnopere aliquando enituit. Agrorum fertilitate, frequentia civium, praestantium ingeniorum sobole, & militarium facinorum gloria, inter praecipuas Italiae urbes nunc quoque numeratur. Sed ferox juventus, & armorum studiis turbida, saevis saepe factionum certaminibus concussit patriam distraxitque & caedibus intestinis labefecit. In hac urbe clari nominis familiae permultae sunt: atque in his Gratiani dignitatem suam, & honore vetustae stirpis, & multis in plebe clientelis, & minime spernendis inter cives opibus, egregie tuentur. Constans opinio est, & in nostra & in eorum familia, ab iis nos originem ducere. Ita a majoribus veluti per manus traditum creditumque est. Quod majorum auctoritate accepimus, scripta quoque multorum & aliquot apud nos monumenta confirmant: quamquam nec ulla nobis cum iis necessitudo gentilitatisque conjunctio intercedit, nec eadem utrisque sunt armorum insignia, quibus magnopere solent familiae aliae ab aliis distingui: nec omnino commune nunc quicquam, praeter nomen, ac amicitiae atque hospitii jus; quod ipsa sanguinis & cognationis opinio facit tueturque. Verum, sicuti de re non dubitatur, quippe omnes inde esse nos prodiderunt, ita de tempore non nihil variant; aliis Borsolum, Gratiani patrem, auctorem gentis nostrae ferentibus, aliis altius repetentibus initia. Et satis constat proavum quoque Gratiani, non solum patrem, Borsolum fuisse. Ab hoc Malvicinum genitum, a Malvicino Andream, ab Andrea Borsolum & Fragnium, a Borsolo Gratianum. Illud ambigitur, Borsolus ne pater, an Malvicinus filius primus habitatum venerit Burgum. Caeterum, quicunque ille fuerit, qui primus Burgum concessit, convenit, Perusia profectum, atque inde fessum aut pulsum factionibus venisse. Is igitur Burgi hospitaliter acceptus, illectusque humanitate atque officiis in se civium, & oppidi quoque specie, haud parva indies incrementa capientis, delectatus, cum uxore ac liberis & rebus suis commigran-

Gratiani Perusiae.

Gratianos Burgenses a Perusinis esse.

Borsolus primus auctor Gratianorum Burgensium.

nullum genus efficinae diu probando, nunc Firmiana, nunc Clodiana, nunc Gratiana. Quem locum Cl. Harduinus, allato Martialis epigrammate 39. ex libro IIII. illustravit.

Aegenti genus omne comparasti
Solus Praxitelis manus Scopaeque:
Solus Phidiaci toreuma caeli:
Solus Mentoreos habes labores:
Nec desunt tibi vera Gratiana;
Nec quae Gallaico linuntur auro;
Nec mensis anaglypta de paternis.

grandi consilium caepit; & protinus, accersitis omnibus, est executus, circa annum ab nato Christo MC. post conditum oppidum CLX. Habitasse primum in foro, possedisseque privatim, quod nunc est publicum, memorant. Borsolus & Fragnius, Malvicini nepotes, auctores feruntur aedificandae apud forum turris in solo, ab se dato. Haec omnium, quae sunt in urbe,turrium aedificiorumque editissima, usui inde civitati commodata est. Ea tempestate unum hoc norant adversus hostilia munimenti genus; cum eminus tela non nisi balistis scorpionibusque adigerentur, & cominus hastis gladiisque res gereretur. Nunc pro specula est, unde adhibitus publico stipendio Vigil nocte dieque multa civitati officia praestat. Excelso e loco speculatur late omnia: si quem majorem comitatum appropinquantem oppido prospexit, certis campanae ictibus, maxime portarum custodibus dat signum: item, si qua rixa in urbe, si qua seditio, si quis major concursus pugnae ac tumultus causa fiat, aut si vocandus ad arma populus, atque etiam si quod suspectum incidat tempus, ut custodiae agendae in muris sint, ipse noctu per singula horarum spatia magna voce excitat vigiles, & ex praescripto respondentes, intentos custodiae esse jubet. Exauditur enim ex tam edito loco undique clamantis vox. Idem pulsatas ab horologio e Praetorii turri horas, suae quoque campanae pulsatione repetit. Huic autem turri aedificandae (& opus est non hujus aetatis sumptus) viginti familiae e primoribus consensere; quarum hodie reliquae esse feruntur, Gratiana, Docta, Bobulcia, & perpaucae aliae: caeterae interiere, ingluvie absumptae temporis vorantis omnia terentisque. Et ne quis dubitet, vera haec esse de aedificatione turris ac de solo a Gratianis dato, deque spatio fori privatim ab ipsis possesso, extant publicae ejus rei tabulae a Scerpillo [1] Notario confectae anno ab ortu Christi MCLXXXVIII. Philippo Rege: (sic enim ipsae habent tabulae.) Quibus verbis dicerem, Philippum Galliae regem, cui Augusto cognomen fuit, quod quidam opinati sunt, significari; cujus regnum huic aetati videtur respondere. Sed nequaquam tantae tum erant in Italia Gallorum opes, ut regum eorum nominibus notarentur ac distinguerentur tempora. Itaque magis adducor, ut credam, Philippum Svevum, Henrici quinti fratrem, qui per haec ipsa tempora cum Othone quarto Saxone de imperio contendit, & ab Innocentio tertio Pont. Max. praelato Othone, Philippus nihilo minus

Quo tempore Gratiani Burgum venere.

Turris in foro aedificata.

Quae Vigil in turri officia praestat.

Quo tempore turris aedificata.

1 Noluì ab autographo recedere. Sed legendum puto *Ser Pillo* pro *Scerpillo*.

nus Aetruriae urbes, traditas ſibi a fratre, praeſidiis obtinebat. Qui quidem Philippus adverſus Othonem ubique victor, Palatini Rheni Septemviri fraude, veneno eſt interceptus. Ita Othoni ratum Imperium fuit; qui & ipſe ingratiſſimus in ipſum Innocentium Pontificem, cujus longe maximum beneficium habebat, evaſit. Continentur iisdem tabulis certae leges, quibus ſtaturos ſe, qui ſubſtruendae turri nomina dabant, omnes jurejurando adigebantur. Borſolus & Fragnius domum, quam ſatis ſplendide in foro, ut dictum eſt, aedificatam habebant, deſeruerunt, alioque habitatum tranſierunt. Cauſa, quamobrem fori eos priorisque domicilii paenituerit, non traditur. Quod ſatis conſtat, Gratianus ſecundi hujus Borſoli filius, area ſoloque in Vico, cui Novo Burgo eſt nomen, comparato, quadratam eam, ac directis undique viis circundatam, inſulam omnem aedificio eſt complexus: quam hodie quoque poſteri ejus incolimus. Verum ipſe quidem animo magno atque excelſo, ac prope privati modum excedente, domum unam, uniuſque corporis & formae, exſtruxiſſe dicitur. Quam deinde proles ejus in plures diſtraxere, & ex una laxa atque magnifica, & plurimum domino dignitatis afferente , multas anguſtas, reſtrictas, parvas, & parvum ac reſtrictum animum, & degenerem fortunam praeferentes, effecerunt. Quamquam non inſula ſolum, ſed vicinae quoque aedes, & quas Catanei & quas Pichi nunc tenent, Gratianorum fuere. Et compitum ipſum a Gratianis nomen habet, quod duae praecipuae urbis viae efficiunt: quarum altera ab ortu ad occaſum totam longitudinem urbis ſecat, per quam hinc Romam, hinc Florentiam eſt iter; tranſverſa altera, priorem findens, ab ſummo ad imum fert Novum Burgum, rectaque ſeptentrionem ac meridiem aſpicit. Sunt etiam, qui aedificatam a Gratiano domum, partim incendio collapſam, partim abſumptam vetuſtate, reſtitutam ſuperiori ſeculo a noſtris, pro modo detritae jam priſtinae fortunae, ferunt. Hunc Gratianum inſulae aedificatorem, honoratum ac ſplendidum fuiſſe virum accepimus, & magnae,

Gratiani a foro demigrant.

Gratianus inſulam aedificat.

1 Cicero lib. I. de Offic. c. 138. (al 39) *Dicendum eſt etiam, qualem hominis honorati & principis domum placeat eſſe; cujus finis eſt uſus: ad quem accommodanda eſt aedificandi deſcriptio; & tamen adhibenda dignitatis commoditatiſque diligentia . . . . Ornanda eſt enim dignitas domo, non ex domo tota quaerenda: nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt. Et, ut in caeteris habenda ratio non ſua ſolum, ſed etiam aliorum: ſic in domo clari hominis, in quam & hoſpites multi recipiendi, & admittenda hominum cujuſque modi multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis.*

gnae, domi foriſque, dignationis. Non enim ſolum gratia inter cives, ſed multorum etiam illuſtrium virorum amicitiis floruit, & jus illi ferendi aurata calcaria, (quod ea tempeſtate pro magno equeſtri decore habebatur, nec niſi inſignibus & praeſtantibus viris tribui conſuevit) fuit. Quod ne ſecus exiſtimes, memorant ſcriptores, Petro Gambacurtae Piſanorum principi, poſteriſque ejus, pro eximio familiae ornamento, conceſſiſſe Carolum quartum Caeſarem, ut auratis calcaribus uterentur. Et Gratiani temporibus, quae multum Petri tempora anteceſſerunt, in multo majori honore id dignitatis inſigne fuiſſe credi poteſt: cum haec tanto pluris aeſtimari, quanto ſunt initiis ſuis propiora, ſoleant. Nobis Gratianus vel ob id memorabilis fuerit, quod tres paternae virtutis imitatores reliquit filios; trium ſtirpium, in quas familia noſtra diffluxit, conditores: Becarlum, Buonum, Rufum. Horum Buonus, a quo prognati nos ſumus, ex parentis diſciplina, in eum virum evaſit, ut unus maxime familiae noſtrae nomen ad poſteritatis memoriam propagaverit, ac longe Gratiani dignitatem ſit ſupergreſſus. Nam & ingenium juvenis omnibus ingenuis diſciplinis excoluerat; nec parvam nec inutilem juri civili operam impenderat: & ab his cum animum ad bellicarum rerum ſtudia avertiſſet, tanta in eo vis militaris induſtriae enituit, atque ita ipſe ſe omnibus belli artibus inſtruxit, ut profectus in Galliam, Carolo Andegavenſi, illi, qui poſtea primus Francorum ſanguinis Neapolitanum regnum, victo Manfredo, in ſuam poteſtatem ditionemque redegit, carus in paucis ob virtutem fuerit. Hunc Carolum, Aloyſii regis Galliae, illius, quem vitae ſanctitas ac religio in Coeleſtium numerum retulit, fratrem, Guelforum maxime inſtinctu, Pontifex Max. Apuliae & Siciliae regem appellatum, ad ejiciendum regno Manfredum, excivit. Manfredum ex pellice ſuſcepit Federicus ſecundus Imperator, ille aeternus R. E. Pontificumque Maximorum hoſtis: quorum beneficio & haec Siciliae & Neapolis regna & ipſum imperium fuerat adeptus; vir ſtrenuus bello, ſed contumacia atque perfidia execrandus; qua & rem Chriſtianam, in Aſia ab Saracenis acriter oppugnatam laborantemque, nefarie prodidit, & Saracenis ipſis tantum tribuit, ut etiam ex iis permagnam manum in Italiam adduxerit, eorumque opera Italicis bellis aſſidue ſit uſus. Quibus & Luceriam ſui regni urbem incolendam tradidit, & vivere eos ſuis inſtitutis legibuſque permiſit. A Pontifice Max. juſſus exercitum, ſummo ſtu-

Gratiani tres in ſtirpes diffluxere.

Carolus Andegavenſis ad Neapolitanum regnum evocatur.

Federicus ſecundus Imperator.

ſtudio ſummaque gentium omnium expectatione compara- tum, in Syriam trajicere, cum Brundusio ſolviſſet, non multum in altum provectus, converſis noctu proris, in Apuliam rediit, erectamque totius Chriſtiani nominis ſpem impie ac nefarie eluſit: famaque fuit, in eo gratificatum ipſi Aegypti ac Babyloniae Sultano (ſic enim regem ſuum Saraceni appellant) fuiſſe, & magnis ab eo promiſſis muneribuſque corruptum. Quod ob ſcelus Pontifex eum, omnibus execrationibus devinctum, diris iterum tradidit. Qui inſequenti anno, nihil appellato Pontifice, claſſe in Cyprum atque in Syriam profectus, Hieroſolymorum quidem urbem recaepit, ab Sultano ipſo ultro traditam illi, cum eo, ut arcem & Chriſti Dei ſepulcrum, de quo omne nobis cum Barbaris certamen erat, Saracenorum praeſidio cuſtodiaque tenerentur. Atque hoc pacto inita cum hoſte pace, a Pontifice Max. poſtulavit, ut ſecum in gratiam rediret, expiatumque ad Sacra reciperet. Quod negatum illi eſt, cum ex Patriarchae Hieroſolymitani & omnium Chriſtianorum litteris conſtaret, illum peſſime rem geſſiſſe, & omnia ex Saracenorum commodis ſtatuiſſe. Quin aliquando Tuneti regem, ex Africa in Siciliam ad ſe venientem, ut Chriſtianae pietatis fide imbutus baptiſmi Sacro afficeretur, ab ea mente conſilioque deterruit, cum diceret, levitatis notam ſubiturum, ſi a patriis religionibus defeciſſet. Per hos mores & exercuit magnopere Romanos Pontifices, & ipſe exercitus eſt. Sub eo certe orta Guelforum ac Ghibellinorum dira nomina ſunt: cum ipſe, quique ſuam, quique Pontificis Max. ſectam ſequerentur, ſciri diſcernique cupiviſſet. Quod inde diſcrimen in eam diſſidentium rabiem furoremque erupit, ut nihil intactum, tota Italia, a ſanguine, a caedibus, a direptione, a rapinis reliquerit. Manfredus filius nihil a paterno ingenio vitiiſque degenerans, patrem ipſum (a quo regio cultu fuerat educatus, Tarentiniſque princeps ac dominus datus) quo regnum ejus occuparet, morbo decumbentem, injecta in os culcitra, intercluſo ſpiritu, necavit. Ita Federicus (qui ante Henricum filium natu maximum, ac Caeſarem deſignatum, quod ſibi minus obſequenter parere, inſectationemque illam Maximorum Pontificum, & tot in rem Chriſtianam flagitia averſari videretur, crudeliter occiderat) ipſo tot ſcelera ejus vindicante Deo, a filio haud minus ſcelerate ſublatus eſt. At Manfredus Corradum quoque fratrem, juſtam paternarum opum haereditatem adeuntem, veneno ſuſtulit: & regna Siciliae atque Apuliae gemi-

Federici perfidia.

Sub Federico Guelforum & Ghibellinorum orta nomina.

Manfredus.

mino parricidio parta paribus sceleribus habebat. Et cum beneficiaria R. E. & Pontificum Maximor. essent, non solum, Pontificibus ipsis invitis, vi atque injuria retinebat, sed, facto saepe in Romanos fines impetu, & Picenum & Beneventum & alia de iis oppida caeperat. Et Sacris prohibitus. atque diris traditus, fas omne ac omne jus humanum divinumque spernens, non abstiterat. Et praeterea Ghibellinorum factionem, late tota Italia fusam, ita opibus suis fulserat, ut Guelfi aut inimicorum injuriis expositi agerent, aut deserere patriam, atque extorres & inopes vagari cogerentur. Ab his igitur stimulatus Pontifex, & propriis contumeliis motus, Carolum in Italiam adversus Manfredum evocavit. Qui quidem valentissimis succinctus copiis advenit; &, sola adventus atque nominis sui fama, Guelforum partes obtritas afflictasque erexit: quorum egregiae manus, armis animisque insignes, adventanti passim occurrerunt. Inter quos maxime praestitisse feruntur Aetruriae exules; quos Guidoguerra Conteguidius, vir dignitate & bellicis laudibus clarus, ducebat. Is enim a reliquis gentilibus suis, qui, regio sanguine a Germanis orti, pro Ghibellinis fere stabant, ita segregaverat se se, ut secutus Guelfos, acerrime semper pro sua factione arma tractarit: usque adeo, ut a Florentinis cum quingentis equitibus Vrbevetanis auxilio missus, cum Aretium, qua illi iter erat, venisset, nulla publica auctoritate, ex suo privatim partium studio, Ghibellinos omnes urbe expulerit, civitatemque Guelfis tradiderit. Quod quia minime opportuno Reip. tempore est factum, non nisi magno negotio a Florentinis correctum inde est. Hos igitur Clemens Pontifex, quia & numero & genere & specimine virtutis & apparatu armorum, nequaquam spernenda pars virium est visa, donatos pecunia magnopere Carolo commendavit; &, quo magis ad bene de partibus merendum incitaret, familiae suae insignia vexillis praeferri ab iis jussit: quorum erat argumentum sanguineo colore aquila draconem unguibus premens. Quod insigne magistratus, qui Partium Florentiae dicitur, in hanc diem retinet. Hos Carolus comi atque hilari oratione appellatos, omnia ab se, a victoria, ab sua quemque virtute sperare jussit. Et Guidoguerra id modo petiit a rege, ut aciem locumque operae navandae ac testandae virtutis daret: praestituros Aetruscos, ut indignos judicaret, qui Manfredi vi atque injuria pulsi patria, inopes extorresque vitam agerent. Cum Carolus ab Roma, superatis

Carolus contra Manfredum.

Guidoguerra Guelforum dux.

ad Fanum Germani anguſtiis, ire porro ad hoſtem pergeret; Manfredus, qui initio illum Galloſque magnopere deſpexerat, legatos ad eum miſit, qui, injecta pacis mentione, quid animi quidve conſilii hoſtis haberet, explorarent. Ad quos Carolus, „ Mittite, inquit, ambages, & renunciate Luceriae Sultano, ut arma atque aciem paret, „ qua aut ego illum ad inferos, aut ille me ad ſuperos „ mittet. „ Sultanum, Barbarorum vocabulo, ad ignominiam appellavit; quod in Manfredi, ut ante in Federici patris, caſtris validae Saracenorum turmae militarent; iiſque ille plurimum fidere videretur, Luceriamque habere, conceſſo ſuorum Sacrorum jure, ſineret. Sed Carolus non vicit ſolum praelio hoſtem, ſed etiam in acie occidit. Collatis enim ad Beneventum ſignis, cum Carolus, ut laborantibus ſuis ſubveniret, confertiſſimis ſe hoſtibus objeciſſet, acri eorum impreſſione, transfoſſo equo, ad terram eſt datus. Vnde occiſi fama ad hoſtes atque ad ipſum Manfredum eſt perlata. Cujus nuncii laetitia elatus ille, ut victoriae ſuae non particeps modo, ſed patrator videretur, audacter ſeſe in hoſtes intulit. At illi nihil territi caſu Caroli, qui, ſtatim altero conſcenſo equo, rediens in pugnam, incolumem ſe ſuis oſtenderat, ita exultantem ac temere invectum Manfredum excepere, ut circumventum ſecluſumque a ſuis, cum paucis, qui circa illum fortiſſime dimicabant, trucidarint. Ita Carolus, prope nullo ſuo vulnere, utroque regno admirabili felicitate eſt potitus: & cum regno omnes vetuſtae opulentiae theſauri poteſtati ejus traditi ſunt. Ac fertur, cum inde Neapolim profectus in Capuana arce theſauros ipſos recognoſceret, & adeſſet regina conjux & Beltramus a Balzo, unus e Gallorum proceribus, ingentem ſignati auri acervum conſpicatus, afferri lances & Beltramum certis ponderibus partiri pecuniam juſſiſſe. „ Atqui, ille, nil opus eſt „ lancibus „ inquit: & pedibus tres in partes diſtracto acervo: „ Alteram tu, rex, inquit, alteram regina, tertiam „ milites tui, quorum virtute hae tibi partae ſunt opes, „ ferant. „ Et Carolus, excelſum viri animum admiratus, protinus ita fieri, quemadmodum ille cenſuerat, imperavit. Haec victoria, quae in annum MCCLXV. incidit, non reduxit modo in patriam priſtinamque fortunam Guelfos, ſed Ghibellinos graviter perculſos eo detruſit, unde exſurrexerant Guelfi: quos quidem victoriam Caroli ſua virtute, conſtantia, ardore pugnandi haud parum juviſſe ſcriptores memorant. Quin ferunt, cum inſtructi exercitus, certamen inituri,

Carolus ad Manfredi legatos.

Victus ad Beneventum Manfredus.

Manfredus occiſus.

Carolus ut victor theſauros diviſit.

ri, gressu militari incederent, Manfredum, animadversa inter Gallos, Italico armatu, maxime splendentibus armis, insigni acie, quaesisse quinam hominum illi essent; acceptoque, Guelfos esse, qui Carolo auxilio venissent, magnopere de Ghibellinis questum, qui admodum infrequentes, tam ancipiti suo tempore, in suis castris conspicerentur; damnataque eorum amicitia, jurasse, si fortuna praelii secunda sibi obvenisset, se, iis relictis, omni ope adnixurum, ut Guelfis conciliaretur. Buonus ergo sub strenuo ac bellicoso rege cum ipse ad primos militiae honores pervenit, tum ad similem laudem aditum Carolo filio aperuit. A rege, post victoriam pacatumque Neapolitanum regnum, in Aetruriam ad tuendos maxime Guelfos missus, ita rem utiliter pro partibus administravit, ut eum rex amplissimis saepe verbis collaudatum, Aretii, quam urbem praeter caeteras sui studiosam cognoverat, magna cum potestate esse, ac toti inde praesidere provinciae diu, jusserit. Quin tanti Carolo tueri Guelfos, adversariosque eorum premere fuit, ut ipse cum exercitu in Aetruriam venerit; &, nisi Saracenorum motibus, & rumoribus de Corradino Svevo, quem ad repetendum armis Neapolitanum regnum Ghibellini exciverant, quique in Italiam descendisse ferebatur, revocatus in Apuliam fuisset, videbatur universa Aetruria, in qua eum Vicarium constituerat Pontifex Max. Ghibellinum nomen exterminaturus. Reversus in regnum, ad Fucinum lacum in Marsis Corradinum praelio excepit: in quo fortunam, jam ante propitiam Gallis, ac Svevorum Regiae infestam, etiam arte adjuvit. Nam, ex consilio Alardi Vallerii Neapolitani, veteris ducis & multis exerciti bellis, praemisit cum parte copiarum Marescialllum (sic enim militiae magistros Galli appellant) eumque regio ornatu conspici & pugnam incipere jussit. Ipse idoneo loco, post imminentem campis collem, cum exercitus robore occultus subsedit. Acre sane, ac diu anceps, inter Mareschiallum & Corradinum certamen fuit; spernente altero Gallorum paucitatem, altero etiam sine rege pellere hostem adnitente. Ad extremum, superantibus multitudine Svevis, cum Marescialllus ipse restituere rem inclinatam contendens, dejectus equo obtritusque occubuisset, Galli terga verterunt. Et Germani, eo sublato, quem ex regio cultu regem esse crediderant, ut in parta consummataque victoria, fugientes, nullo ordine, ut cuique commodum, insequuntur. Carolus ex summo colle speculans omnia, ubi primum laborantes suos advertit, erumpere ac

Quid Manfredus de Guelfis.

Buonus a rege in Aetruriam missus.

Carolus Corradinum praelio vincit.

Militaris Caroli dolus.

ac ferre opem est conatus. Sed cohibuit ardorem Alardus; ac tamdiu sustinuit avidum pugnae, donec dissipata prorsus dispersaque insequendo hostium acies est. Tum, cohortante Alardo, rex recentibus viribus, instructisque ordinibus, palatos incompositosque, & quatuor ferme horarum certamine affectos adortus, Germanos ingenti clade profligavit. Corradinus rex, & Austriae dux cum ex fuga ad mare pervenissent, & appulsam littori piscatoriam cymbam nacti transmittere in Aetruriam tentarent, magnaque nautae praemia pollicerentur, si se in tutum trajecisset, agniti captique, & ad Carolum deducti sunt. Qui atroci judicio de utroque palam supplicium sumpsit. Atque hic finis Federici domus stirpisque R. E. infestissimae fuit. Ferunt, e principibus Gallis unum, Robertum Belgam, Caroli generum, cum truncata carnificis manu corpora tam clari sanguinis regum cerneret (quorum haud parum augebat miserationem Corradini aetas vix primam transgressi pubertatem) teterrimae rei indignitate commotum, arreptum judicem, qui de iis sententiam tulerat, sua manu confodisse: ne quis postea auderet privatus de regum sanguine decernere. Et Carolus, & si perstrictum eo facto judicium suum, saevitiamque objectam sibi intelligeret, tamen injuriam prorsus dissimulavit sic, ut ne ferre quidem aegre sit visus: satis habens aemulos regni sustulisse, quibus vivis nunquam sibi tuta possessio ejus futura videretur.

Corradinus capitur.

De Corradino supplicium sumptum.

Roberti Flandri facinus.

At Buonus, non solum quod ita regis rationibus conducebat, sed quia ipse proprio, tum suo tum familiae nomine, Guelforum partium studio ferebatur, tanta vigilantia tantaque cura institit injuncto sibi muneri, ut nunquam, in Aretinis circumjectisque urbibus, Guelforum res validior, nunquam Ghibellinorum fractior fuerit. Mortuo demum rege, Buonus, vergentibus jam ad senectutem annis, domum se receperat; & gestorum honorum gloria inter cives suos honesto in ocio fruebatur. Sed ocioso esse illi diu non licuit. Nam Aretini, quorum erat ea tempestate respublica in primis valida opulentaque, gravi seditione agitari sunt caepti. Quippe, ejecto per factionem Foresio Adimaro, duce ac praetore urbis, viro & suis & familiae suae opibus potentissimo, cum civitas in magno tumultu ac dissensione esset, in magnoque amittendae dignitatis discrimine versari videretur: cives, ut praesentibus imminentibusque occurrerent malis, communi consensu ad spectatam, & ante sibi utili experimento cognitam, Buoni virtutem atque fidem confu-

Buonus mandatum munus egregie implet.

Post mortem regis domum se recipit.

Aretini ad regendam eorum remp. Buonum accersunt.

fugerunt: & ducatum praeturamque, unde Adimarum exegerant, ad eum detulerunt: missisque Burgum oratoribus, ut ad componendas res regendamque & in pristinam tranquillitatem redigendam eorum Remp. veniret, magnopere rogarunt. Advenientem summo omnium ordinum studio acceperunt; deductumque in forum cum equitem, ut mos tum erat, honoris gratia creassent, traditis coram mandati muneris atque potestatis insignibus, praesenti quoque pecunia magnifice donarunt. Et Buonus, magistratu inito, primum quidem Foresium, armis jus amissi imperii reposcentem, non repulit solum, sed ita retudit profligavitque, etsi antea amicus privatim illi fuerat, ut prorsus incaepto absistere coegerit. Et fuit Foresius vir non solum magnae dignitatis & magnae tota Aetruria existimationis, sed in militaribus rebus egregiae virtutis. Eo bello, quo Guelfi Aetruria pulsi, Mutina ac Regio Lepidi Ghibellinos ejecerunt, admodum adolescens, ob insignem nobilitatem & spectatam indolem, dux partium fuit. Item, cum, post devictum Manfredum, Guelfi Florentiam reversi remp. in manu haberent, & tuendae concordiae gratia pacem cum Ghibellinis fecissent; &, quo ea firmior esset, multas inter se familias matrimoniis affinitatibusque junxissent: Novelli Conteguidii, Ghibellinorum ac totius Aetruriae facile principis, filia huic eidem Foresio nupsit: qui quidem Novellus aliquando & ipse apud Aretinos hoc praeturae honore fuerat functus. Exacto deterritoque Foresio, Buonus, intenta ad pacandum ordinandumque civitatis statum cura, cives in concordiam reduxit; &, rebus inde egregie constitutis, amplissimae potestatis jure, pari justitiae atque prudentiae laude, est perfunctus. Cujus quidem rei cernere est monumentum perhonorificis scriptum verbis in Aretinorum tabulariis. At apud regem tanta Buoni dignatio fuerat, atque ad tam familiare jus, tam intimum gratiae locum pervenerat, ut ei natum filium, cum sacratae infusu aquae Christiano ritu procuraretur, haud gravatus rex sit in honorem Buoni mittere, qui pro se e baptismi fonte susciperet, Carolumque de suo nomine appellari juberet. Sed quia Gallis Carolus „ Ciarles „ dicitur, Ciarlum nostri pro Carolo vocitarunt, atque in hanc diem vocitant. Verum ne is quidem, aut paternae virtutis splendore, aut nomine indito sibi a rege, inferior fuit; aut minus seque & familiam egregiis facinoribus condecoravit. A puero enim in regia Caroli filiorumque educatus ita militiae artes perceperat, equitando, corpus exercitatione ac labore

Foresius Adimarus.

Carolus Buoni filius.

re firmando, atque militaria munera omnia ultro atque impigre obeundo, ut ubi robustior aetas advenit, maxime strenuam bello operam iis navaverit. Nos, ne longius, quam pro instituta brevitate, progrediamur, praetermissis aliis, duo hujus viri peregregia facinora recensebimus; quorum & celebris adhuc manet in civitate memoria, & memoratu digna videntur. In insanis illis certaminibus, quae inania factionum nomina Guelforum Ghibellinorumque in Italia excitarunt, quorum rabie tot direptae, tot dirutae urbes, quarum ne vestigia quidem nunc extant, tot deleti internicione populi, tot afflictae, tot exitio datae familiae, tantum Italici sanguinis est profusum: maxime Mediolanenses mutuis se conficiebant caedibus, dum alii Vicecomites, alii Turrianos, Ghibellinorum & Guelforum duces, sequuntur. At illi civium sanguine de potentatu suo contendebant. Igitur, qui Guelfis, secundis adversariorum rebus perculsis, auxilium ferret, Marescialius a rege cum justis equitum ac peditum copiis in Insubres est missus. In eo exercitu Carolus sexcentorum equitum alae praefuit; &, ut omnis fere vis, omne belli momentum in equite tum erat, navavit ille quidem operam; labentesque partes non sustinuit modo, sed, prosperis aliquot expeditionibus repressa coercitaque hostium audacia, ad spem melioris fortunae victoriaeque erexit. Verum hujus quidem patrati officii gloria communis Carolo cum militibus, quos ductabat, fuit: illud proprium in eo bello ipsius decus. Erat in exercitu regulus Gallus, clarae idem inter suos nobilitatis, & inter equites non obscurae virtutis. Is Carolo praefecturae jus, quod obtinebat, cum invideret, laudibusque ejus assidue obtrectaret; postremo eo provectus est irae atque livoris stimulis actus, (& est Gallorum ingenium ad omnes motus animi praeceps) ut ad pugnam congrediendumque secum armis illum provocaret. Non abnuit Carolus, & hominum existimationem veritus, & magnum arbitratus dignitati suae stabilimen allaturum, si intellexissent omnes, non muneris solum honore se, sed robore etiam & praesentia animi aemulis suis antestare: in id modo petito tempore, ut regis voluntatem sciscitaretur, ad eum de tota re celerrimum nuntium, dies noctesque currere jussum, misit. Ne regi quidem, aut negare Carolo, enixe roganti, aut non retundere Galli reguli arrogantiam, utile est visum: & ipse Marescialus ob id ipsum Caroli causae magnopere favebat. Permittente igitur rege, dicitur certamini dies locusque, medio in campo, circumstante in armis cingenteque spatium universo exercitu,

Carolus equitatui praepositus.

Carolum Gallus ad pugnam provocat.

ac

ac multis etiam ex hostibus per inducias ad spectandum admissis. Conventum, ut armati ex equis pugnarent; victus, tradito equo atque armis, captivus victorem sequeretur. Vbi dies advenit, magna uterque pompa processit; accensis tacite animis alterius acerbitate atque odio lacessiti, ac sibi merito infensi inimici, alterius spe ferendae eximiae palmae, & cupidine refellendi factis ferocia aemuli dicta. Et circumfusa duorum prope exercituum corona, & conjecti intentique in unos tantae multitudinis oculi, & fervidus laudis amor ciebat acres sua sponte juvenum spiritus. Cum, impulsis circumactisque hinc atque hinc equis, avidos se pugnae habilesque ostentassent, paulum adversi constitere, ad signum invadendi certaminis, quod classico daturi tubicines erant, intenti. Quo accepto, concitant calcaribus equos, infestisque incumbunt hastis. Suam Gallus in imum adversarii pectus, in summum Carolus intulit; eo utriusque eventu, ut Carolus quidem integer inviolatusque transcurreret; Gallus ingenti ictu depulsus equo ad terram laberetur. Et cum corpus, & casu ipso ac pondere armorum, & vi atque impulsu hastae quassatum fractumque aegre humo moliretur; converso Carolo, & stricto ferro perniciem afferenti instantique, victum se fassus deditionem fecit. Victoriam Caroli exercitus omnis clamore atque gratulatione celebravit. Sed ipse magno excelsoque animo fortuna est usus. Captivum suum magnifice ac liberaliter aliquot apud se dies habitum recreatumque, sine ullo libertatis pretio, muneribus insuper affectum, dimisit; spoliis modo, victoriae suae testibus, jure pactorum, captis: haud minus decorum clementia & humanitate, quam armis, inimicum obtrectatoremque suum vicisse ratus. Caeterum eo successu ita laetatus est Carolus, ut insignia victi ab se reguli, quo posteris etiam virtutis suae memoria honori esset, familiae insignibus addiderit, scutoque appingi jusserit, gestaveritque exinde assidue in armis. Huic tam claro modestiae ac fortitudinis exemplo adjecit hic idem Carolus aliud eximiae ergà cives suos pietatis, tanto quidem illo praestabilius, quanto de patria benemereri, quam inimicos ulcisci, honestius est. Duo erant, tempestate illa, maxime importuni tyranni, Vgucio parens & Nerius filius. Cognomentum utrique a Fagiola, ignobili in Apennini saltibus togatae Galliae castello, unde ipsi erant. In pari scelere uter scelestior immaniorque esset, non facile discerneres: nisi quod pater ad iram atque vim promptior, filius fallendi artibus callidior. Vgucio humilibus

Pugna Caroli cum Gallo regulo.

Victoria Caroli de Gallo.

Vgucio & Nerius tyranni.

Vgucionis initia.

bus & patria sua obscurioribus parentibus erat natus, sed ingens corpore, animo audax & ferox, ac viribus praevalens, inter montanos agrestes factiososque homines, per caedes ac facinora, magnum sibi nomen atque auctoritatem fecerat. Et Fagiolae patriae, atque aliquot circa Sarsinam castellorum dominatum ita occuparat, ut apud vicinos quoque populos clarescerent, magnique aestimarentur ejus opes.

A Tarlatis stipendio conductus.

A Tarlatis, Aretinorum tyrannis, quos tum Florentini bello vexabant, stipendio conductus, & militiae artes usu percepit, & tyrannidis spiritus hausit: ad quam inde secundis audaciae successibus aditum sibi aperuit, & aliquando ad ipsos pellendos Tarlatos Aretinis auxilio fuit; alienamque profligando tyrannidem suam moliebatur. Atque inde in Aetruria militaribus saepe muneribus a Ghibellinis adhibitus multa egregia facinora pro partibus ediderat. Nec audacis solum ac strenui, sed callidi etiam, & ad subita belli maxime expediti ingenii famam tulerat. Itaque majora jam animo agitans, ut Florentinorum rebus, qui reliquas civitates longe opibus atque dignitate anteire videbantur, se se insinuaret, filiam Corso Donato Florentino, gratioso in primis, & amplissimae fortunae viro, in matrimonium collocavit.

Vgucio filiam collocat Corso Donato.

Quae res exitio inde Corso ipsi fuit: quem Florentini, ob eam maxime suspitionem, ut in exilium ejicerent, saepe gravibus seditionibus sunt agitati. Ad extremum ab magno populi tumultu magnopere timens sibi, dum urbe excedere, & fuga evadere nititur, ab insequentibus oppressus est.

Corsus in suspitionem appetitae tyrannidis venit.

Nam, quia posthabitis optimatum partibus, pro quorum dignitate antea pugnaverat, plebi se tradiderat, in ejusque gratiam magnopere se insinuaverat, ab adversariis appetitae tyrannidis haud ex vano est insimulatus. Itaque plebs, tam in efferendis, quam in deprimendis popularibus suis, nimia semper atque inconstans, cum accitum a Corso Vgucionem socerum justis cum copiis adventare ad ipsam invadendam remp. cognovisset, usque adeo illo affectati regni crimine est incitata, ut non deseruerit modo illum, sed acerrime armis sit persecuta; adeptaque fugientem, vivum in urbem retrahebat. Ille, veritus, ne ab inimicis statim ad supplicia cruciatusque raperetur, cum promissis ingentibus pellicere atque impetrare ab his, qui eum ducebant, ut conservaretur, tentasset; ubi id aspernari aversarique omnes intellexit, equo se se, quo vehebatur, dejecit; atque per iram ab uno eorum lancea transfixus est. Et Vgucio hanc quoque causam ulciscendae generi necis praetexens, infestis sem-

semper animis rem Florentinam est insectatus. A Pisanis ad propulsanda, quibus premebantur, post Henrici Caesaris mortem, Florentinorum arma, belli dux accitus, brevi, & belli & pacis munia, atque adeo ipsam remp. sub suum arbitrium redegit: &, quae illi ulciscendis hostibus permissa potestas fuerat, eam ipse subigendis civibus habuit. Pisis vi atque dominatu oppressis, Lucam quoque, vicinam nec postremae inter Aetruscas dignitatis urbem, traxit, & belli cladibus ita afflixit, ut idem subire servitutis jugum coegerit. Atque inde duarum nobilium civitatum opibus non solum tuebatur partam tyrannidem, sed injusta arma identidem ex occasione circumferens, per speciem adjuvandi Ghibellinorum partes, alienae libertati assidue insidiabatur. Et, victis acie ad Montem Catinum magnopereque contusis Florentinis, late metum sui tota Aetruria diffuderat: jamque Volaterris, jam Pistoriae vi & cupiditate imminebat. Hi ergo tyranni urbem nostram, Aretinas & Perusinas res affectantibus opportunam, & a Sarsina castellisque, quae in Apennini jugis possidebant, non longe distantem, invaserant; ereptaque libertate, quam ad illam diem inviolatam conservarat, acerbo ac duro servitio premebant. Nec civibus spes opisve ulla ostendebatur, qua se ab illa peste miseriaque eximerent. Subdiderant collum jugo, & fatum suum fracti maerentesque ferebant. Carolus, praeterquamquod injuria & calamitate patriae vehementer commovebatur, etiam privatim Nerio erat inimicus; non solum odio tyrannidis, sed instinctu factionis, quam uterque adversam alteri sequebatur. Nam Carolus in Neapolitanorum regum domo educatus, eorumque perpetuus miles, quorum maxime auctoritate atque opibus Guelfi omnes, tota Italia, nitebantur, certamen adversus Ghibellinos pene cum ipso suxerat lacte; vel ob id infensus Vgucioni stirpique ejus, quod praelio, quo ad Catinum Montem Florentinos profligarat, e duobus Roberti regis fratribus, primi Caroli nepotibus, qui Florentinis auxilio venerant, Petrum natu majorem in ipsa acie caeciderat: Philippum in fugam averterat. Carolus primus Neapolitano regno, post victum caesumque Manfredum, viginti ferme annis est potitus. Cujus filius, eodem nomine Carolus secundus dictus, cum Rugerio Loria, Petri Aragoniae regis praefecto, viro navalis rei scientissimo, sub ipsam patris mortem, temere congressus, amissa classe, in potestatem hostis pervenit. Sic uno tempore illi, & captivum esse & regem fieri, contigit. Fuisse is dicitur parvo, gibboso

Vgucio Pisarum tyrannus.

Vgucio Lucam subigit.

Fagiolae dominatum Burgi occupant.

Carolus ad liberandam patriam stimulatur.

Andegavensi Carolo orti reges.

& diſtorto corpore, & enormiter claudus. Sed hanc naturae injuriam, ſuaviſſimis atque elegantiſſimis moribus, & omnibus ingenii, humanitatis, beneficentiae atque adeo etiam bellicae rei laudibus, egregie refellere videbatur: & fortuna, quod detraxerat formae, maxime faecunda liberorum ſobole illi repoſuit. Suſcepit enim ex Maria Stephani Vngariae regis filia quatuordecim liberos; quorum fuere novem virilis ſtirpis. Ex his Carolus natu maximus, cognomento Martellus, ab Vngaris aſcitus eſt rex; & huic proximus Ludovicus, Sacris initiatus, ſpretis humanis opibus, divinarum rerum contemplationi animum intendit. Robertus patri ſucceſſit: qui nec militaris indolis, nec humanitatis laude magnopere Carolo avo, patreque inferior fuit, & utrumque litterarum ac doctrinae ſtudiis, & maxime pietatis & Chriſtianae religionis gloria, quam ſanctiſſime ſemper coluit, ſuperavit. Ad hujus filium Carolum Florentini, cum ſtudio Gallici nominis, tum metu Lucenſis Caſtrucii, a quo longe acerrimo bello urgebantur, publico decreto, plenum in ſe remque ſuam publicam imperii jus, ultro depoſita libertate, detulerunt. Quo accepto adoleſcens non multo poſt & Florentinorum & patris & domus ſpem immaturo e vita diſceſſu deſtituit. Nobiliſſimae ſtirpis genus, regnumque virtute fundatum, duae faedarunt everteruntque mulieres; ad quas, maribus extinctis, regni haereditas pervenit. Vtrique Joannae fuit nomen; famoſa utraque, paribus levitatis atque libidinis probris. Poſterioris Joannae morte, quae circa annum MCCCCXXXIIII. obiit, regnum ad Aragonios pervenit: atque ab his ad Gallos redierat, victis a Carolo octavo Aragoniis. Sed aeque facile & partum Gallis eſt & amiſſum; gente bello fere, quam pace, meliori: poſtremo in Germanici ſanguinis domum Auſtriam, Hiſpaniae ad imperium inſitam, eſt translatum.

Geminae Joannae regnum evertunt.

Sed nos, his paucis, de poſteris primi Caroli, interjectis, ad noſtrum redeamus Carolum; qui ſui maxime muneris ducens patriam ab tam diro infortunio, ut memoravimus, vindicare, ſumma in id contentione animi incubuerat. Coactis undique concitatiſque ab eodem partium ſtudio amicis; maxime Peruſinos, quibus cum illi publice plurimum juris intercedebat, (nam copiis eorum aliquando praefuerat) rogavit, ut ſibi, ſeu patriam liberanti, ſeu contra communem hoſtem rem gerenti, auxilio eſſe vellent; monuitque, ne paterentur in tam vicina urbe coaleſcere vires tyrannorum, proximo cuique populo, ni mature occur-

Carolus liberandae patriae conſilium ſuſcipit.

cursum esset, imminentium: &, maxime hostili in Guelfos animo, ad extinguendum illud incendium ante consurgerent, quam serperet latius. Vtrumque movit Perusinos, & Caroli pium studium oppressae patriae opem afferendi, & propinquae tyrannidis tum exemplum tum vis atque fraus minime libertati eorum tuta: & ea tempestate in Guelforum manu res Perusina erat. Delectu habito militum, Carolo, quantum ad rem conficiendam sat visum, tradidere. Qui nihil cunctatus, civibus de suo consilio adventuque per occultos nuncios factis certioribus, Burgum, quanta adhiberi potuit celeritate, contendit. Tyrannorum Nerius Burgi erat, & stabiliendae dominationi per caedes atque rapinas, ut mos tyrannis, operam dabat. Huic inopinanti, simul adventare Carolum, simul adesse, nunciatur. Oppressus re subita, nec in eo praesidio, quod secum ad continendos metu cives habebat, satis virium esse ad Caroli copias sustinendas intelligens; & Burgensium animos ad novam spem erectos cernens, ne tentato quidem certamine, cum jam Carolus ad maenia esset, per aversam portam urbe excessit. Quod veluti omen futurae mox ruinae, quae ipsum patremque & domum insecuta est, fuisse videtur. Nam Vgucionis opes tyrannisque maxime admirabilem exitum habuere. Cum enim hunc ipsum Nerium, praetoris titulo, Lucae dominum constituisset, & is, firmandis rebus, Castrucium Castracanem eximiae virtutis & nobilitatis adolescentem, quod acceptissimum popularibus esse intelligeret, tollere decrevisset; eoque conjecto in carcerem, magnopere commotam civitatem universam animadvertisset: quo tutius facinus perageret, patrem Pisis accivit. Qui cum propere, adducta Germanorum equitum ala, advenisset, laute a filio convivio accipitur: in quo large, ut erat cibi avidissimus maximeque edax, epulanti, Pisanos, discessu ejus sumptis animis, desciviste, ac magno tumultu concurrisse ad arma affertur. Nam Pisani jam ante Vgucionis tyrannidi infensi, atque ad tam saevum jugum excutiendum intenti, conjuraverant; & occulte Castrucium aliosque Lucensium principes ad idem audendum hortati fuerant: atque eo magis excubabant animis & in omnem occasionem imminebant, quod id ipsum timens Vgucio suspectos aliquot ex iis sustulerat. Quae res verentibus, ne quotidie singuli carperentur, & auxerat odium necessitatemque non ultra differendi, nec minuerat animos. Nihil ergo aliud, quam tempus patrandi consilii opperientes, occasionem absentiae ejus non omise-

Tyrannus metu Caroli urbe excedit.

Vgucionis exitus.

ferunt. His nunciis Vgucio feu parum fidei habuerit, feu rem ipfam contempferit, nequaquam ita commotus eft, ut propterea convivium ante dimitteret, quam ad bellaria ufque, poftremafque menfas, perageretur. Qui fi mature cum ipfo nuncio, ut oportuit, exiviffet, adfuturus in tempore fedandae feditioni creditur. Satiato demum oneratoque cibis Pifas recurrenti, perditae res defperataeque nunciantur: quando jam Pifani, familia ftipatoribufque ejus ad unum concifis, ac domo direpta, libertatem arripuiffent, atque urbem fuae poteftatis feciffent. Exclufus hoc modo Pifis Lucam fe recipiebat. Sed hic quoque aeque infeftam rebus fuis fortunam invenit. Nam Lucenfes, ad famam exemplumque Pifani motus, & ipfi, captis armis, Caftrucium eximunt carcere, eoque duce Nerium militefque ejus, ejiciunt. Ita Vgucioni, femihorae momento, utraque tyrannide depulfo, falfe aliquando objectum eft, duas eum uno prandio urbes devoraffe. Vixit inde apud Canem Scaligerum, Veronenfium tyrannum, & ab eo atque Spineta Malafpina adjutus, per Lanfrancos, inter Pifanos cives haud mediocribus pollentes opibus, reditum ad amiffam dominationem tentavit. Sed, re prodita, & difcuffus ejus conatus eft, & Lanfranci, concurfu populi, male funt mulctati. Itaque undique a fortuna repudiatus rejectufque, a Cane bellicis rebus praepofitus, in obfidione Patavii, exul & inops & alienae potentiae fatelles, oftentator olim fuae, vita exceffit. Nerius filius, tanta dejectus fortuna, fupra Burgum in Apennini jugis caftellis quibusdam, exiguis paternarum opum reliquiis, fe domumque tuebatur; & faepe, ut fuperiori volumine oftendimus, fe Burgenfium dominatui infinuavit; faepe fua fpe fruftratus, in priftinam inopiam deftrufus eft: donec, caftellis quoque ipfis eum filiofque Florentini, ut memorat Blondus, exuerunt. Manent tamen pofteri apud paucorum aedificiorum caftellum, iisdem in jugis, cui Corneto eft nomen, in originis fuae humilitatem egeftatemque revoluti: oftentantque monumenta diplomataque peramplae fuorum fortunae, degeneres ipfi, & nihil ex ea, nifi Vgucionum ac Neriorum nomina, retinentes. At Carolus, ut ad inftitutum revertamur, poft tyranni fugam, fumma civium laetitia & gratulatione recipitur. Ingreffus urbem, inter fauftos clamores parentem liberatoremque appellantium, manantibus & ipfi, & maxime fenioribus, prae gaudio lachrimis, pergit in forum: quo tantus populi concurfus fuit, ut ne mulieres quidem fexus & decoris fui refpectus conti-

ne-

Vgucio uno tempore gemina tyrannide excidit.

Vgucionis mors.

Carolus liberata patria fummis civium ftudiis excipitur.

neret, quo minus gregatim & ipsae forum peterent, miscerenturque virorum turbae, aspicere praesentem, & quaedam etiam adire propius, & contingere dexteram, & reditum & victoriam gratulari optarent. Carolus proximos quosque arcte complexus, ubi, petito per praeconem silentio, omnes conticuere· primo quidem quantum ipse doloris caepisset ex tam adverso patriae casu est testatus; deinde, quae pro ea liberanda egisset, disseruit, & grates Deo maximo egit, quod sibi dedisset, tyrannum, sine vulnere, sine sanguine ac sine discrimine ullo aut detrimento civium, exigere; quod sane supra spem suam accidisse fatebatur, qui non se solum, sed patriam quoque ancipiti certamine de sua salute dimicaturam crediderat. Quod quando eximio Dei munere secus evenisset, ipso bene juvante & propitio Deo, resumerent abolitas leges (nam nuper pro omnibus legibus libido tyranni fuerat) & pristinam libertatem usurparent; ejusque custodiae tanto vigilantius insisterent, quanto acerbius amissae damna experti essent. Postremo eos, secundum Deum, plurimum gratiae populo Perusino debere docuit; cujus maxime ope adjuti patriam libertatemque recuperassent; hortatusque, ut oratores Perusiam ad agendas gratias mitterent, concionem dimisit. Digressus inde domum, cum suorum gratulationi amplexibusque operam dedisset, ne gravis civitati afflictae exhaustaeque militaris multitudo esset, copias urbe eduxit, reversusque in Perusinum agrum dimisit. Ipse cum oratoribus, qui secuti eum a Burgo fuerant, Perusiam profectus, magistratum adiit, actisque pluribus verbis, pro merito civitatis, gratiis, mansuram perpetuo apud Burgenses ejus beneficii memoriam affirmavit. Cum responsum benigne a Perusinis, & retorta omnis in Caroli prudentiam virtutemque prosperi successus laus esset, ipse protinus in patriam, tanta cum gloria ab se servatam, rediit. Burgenses, populi concilio habito, ex omnium sententia decretoque, non solum gratias Carolo maximas egerunt, sed, quantum salva rep. tribui juris uni potuit, illi tribuerunt; praetoremque urbis crearunt: qui honor nulli ante civium fuerat habitus; cum, ex more aliarum quoque civitatum, externis ascitisque, non civibus, is mandari magistratus consuevisset, penes quem summa in omnes erat vitae ac necis potestas. Quem Carolus magistratum ea modestiae ac justitiae laude gessit, ut ejus nullum unquam civium paenituerit. Tantum aegre pati visi sunt Bocognani, qui,

Carolus libertatem patriae reddit.

Carolus gratias Perusinis agit.

Praetura a Burgensibus Carolo decreta.

qui, & si Carolo erant affinitate juncti, tamen assueti saepe, Ghibellinae factionis opibus, plurimum in civitate posse, tantam & civi & adversarum partium principi potestatem traditam iniquissimis animis ferebant. Omnia quippe sanguinis & amicitiae jura facile invidia & diversa factionum studia dirimunt solvuntque. Praeter haec, quod tum agri silvarumque in propinquis Apennini saltibus publice possidebatur, ei posterisque ejus dono dederunt; &, quod armorum Insigne civitas habet, idem esse Carolo jusserunt: quo animi grati, memorisque receptae per eum libertatis, perpetuum monumentum in posteris quoque ejus maneret. Additum decreto est, ut porta, per quam Carolus ingressus est, quae tum Castelli dicebatur, Libera in posterum appellaretur. Ager silvaeque hodie quoque magna ex parte a nobis, qui orti a Carolo sumus, possidentur.

Gratianis unde Armorum insignia.

Quoniam insignium familiae nostrae incidit saepe jam mentio, referam tibi hoc loco, quae de iis ipsis ad nostram notitiam pervenere. In veteribus monumentis lapidibusque sepulcrorum atque aedium, non aliud invenitur insculptum, quam caeruleus ille seu cyaneus quadrorum ordo, ab dextro summi clypei angulo ad imi sinistrum ductus, albo seu croceo In spatio. Vtroque enim colore usos esse nostros accepi: & mihi quidem croceus sive aureus magis placet; in quo caerulea eminere atque emicare luculentius videntur. Quadra ipsa, quia paulum oblonga sunt, Amygdala ab similitudine fructus ejus appellarunt. Quod autem initium ejus, quod argumentum, quis auctor, a quo institutum traditumve, quia nihil certi habeo, pro incerto relinquam. Buonus, quibus a Carolo rege donatus honoris causa fuerat, aurea lilia trina adjecit, caeruleo in spatio, rubri rastri quaternis dentibus interjecta. Rastro gens Andegavensis utitur, eoque ab rege ipso Galliae distinguitur. Mos est enim apud Gallos, ut regiae stirpis familiae, quibus terna lilia omnibus sunt pro insigni, singulae proprio alio signo ab ipso rege discernantur; quem, debere eximium atque unicum esse, aequum censent. Carolus, Buoni filius, victo, ut nuper docuimus, equestri certamine, principe Gallo, insigne ejus assumpsit sibi. Teres est hastae fragmentum, militaris imperii sceptrum, caerulei & ipsum coloris, oblique locatum: in quo aurea lilia integra tria, dimidiata quatuor aspiciuntur; ut totum liliis consperum videatur: spatiumque clypei distinxit utrinque atro colore alboque, patriae communis insigni, quod illi, populi decreto, ut osten-

tendimus, adtributum est. Gestasse haec ita in armis Carolum, & proditum memoriae erat, nec ambigebatur a nobis. Caeterum, incuria superioris aetatis, cujusmodi ea essent, haud plane constabat. Proximis superioribus annis, cum Episcopus templum majus ordinaret, arasque dirigeret, in moliendis iis, inventum Caroli sepulcrum est, Lunensis marmoris fasciis revinctum. Fasciae varie spoliis armorum insculptae erant auroque distinctae, tam recenti specie, ut mirarentur magnopere, qui viderunt. In sculptura insignia quoque ejus, qualia supra ostendimus, reperta sunt. In sepulcro nullum corporis humani vestigium apparuit. Credibile est, absumptum penitus tot annorum tabe. Haec pauca rudiaque inscripta lapidi verba erant.

Sepulcrum Caroli repertum.

CAROLVS DOMINI BVONI DE GRATIANIS HIC JACET.

Aram quoque juxta sepulcrum ab illo aedificatam, ac vetustate collapsam nos restituimus. Quamquam, qui curator ejus fuit, quia tum ipse abfuisti, nostro studio in ea ornanda non sane respondit. Tabulam in ipsa locatam ara, euntis in coelum Virginis genitricis, &, cum admiratione venerantium coelestem animam Apostolorum, pinxit Venetiis Jacobus Palma, fama atque existimatione nunc quidem in illa civitate artis hujus facile princeps, praecipuo quidem studio, ab aemulatione pictorum, quos esse Burgi haud obscuri nominis sciebat. Extat apud nos & imago Caroli ex vivo depicta, ut omnium opinio est, simillima vero. Cernitur flava & promissa caesaries, pexo & culto capillo, abrasa, ut mos ejus ferebat aevi, barba, virili plane forma; in qua vigor ingens animi apparet; purpurea in veste, purpureo item capitis integumento: sive is communis ornatus erat, sive magistratus ac praeturae, quam gerebat, insigne fuit. Huic, frater, Carolo debet familia nostra sane plurimum; ad quam ex ejus virtute atque dignitate plurimum videtur ornamenti, plurimum splendoris accessisse. Quippe & militares honores adeptus est amplissimos, &, quod omnem amplitudinem superat, tanta fuisse in patriam charitate praedicatur, ut ejus servatae titulum longe speciosissimum tulerit. Quid enim in tota est dignitate praestantius, quam bene ac praeclare de patria mereri? Aut quod meritum conferri cum illius merito potest, qui cives suos, servituti teterrimae ereptos, in libertatem vindicavit? Sed nimirum magni refert, quo quisque in loco nascatur, non

Tabula Jacobi Palmae.

Quam pulchrum bene de patria mereri.

Multorum egregia facta oblivio obruit.

non solum quo in tempore: & non absurde Graeco nescio cui [1] objectum olim dicitur, non illum tantam sua industria, quantam claritudine patriae, famam adeptum esse. Quot enim praeclarissimorum facinorum memoria interiit, quia locis, ubi gesta sunt, lux defuit; & ex eo ignorata aut neglecta scriptoribus sunt? Melius, si virtus per se ipsam aestimaretur, non fortunae munus fieret; nec locis, sed animis operibusque, expenderetur. Neque enim illa dignitatem ab insignibus aut viris aut urbibus recipit, sed facit ipsa insignes: sicuti accensa fax in editum sublata locum, quam in humili relicta, non magis lucet, sed longius cernitur, nec plus luminis fundit, sed a pluribus oculis spectatur. Quantus esset Carolus, quantum ejus ferretur nomen, quod nunc vix emergit, vix ipsis nobis, qui ab illo geniti sumus, vivit, si tam illustre beneficium, aut Romae aut Athenis aut alicui e veteris Graeciae urbibus attulisset; ubi ex magna Scriptorum copia ita nullum egregium factum obscurum patiebantur, ut humilia quoque, non solum mediocria, verbis extollerent? Agedum, apud

Thrasybulus. Graecos quanta in gloria Thrasybulus [2] est, cujus consilio atque usu Athenae, excusso, quod perpessae fuerant, triginta tyrannorum jugo, ad optatam magis, quam speratam

Junius Brutus. libertatem pervenerunt? In quanta apud Romanos Junius Brutus, qui ob illatum a filio regis nobili matronae stuprum, & regem & regnum urbe exterminavit? Et tamen, si conferre libeat, & Thrasybulus non nisi multa civium caede, ac pene interitu patriae, patriam redemit; & Roma, etiam per necem liberatoris sui, super filiorum supplicia, ab ipso exacta parente, ac tot praeterea belli clades ad libertatem evasit. Adde & illud. Quotusquisque est eorum,

[1] Themistocles is fuit, auctore Catone apud Cicer. lib. de Senect. cap. 8. (al. 3.) cujus illa sunt: „ Themistocles fertur Seriphio cuidam „ in jurgio respondisse, cum ille di„ xisset, non eum sua, sed patriae „ gloria splendorem assecutum: Nec „ hercule, inquit, si ego Seriphius „ essem, nobilis: nec tu, si Athe„ niensis esses, clarus umquam fu„ isses. „ Quem quidem locum ita edidi, ut est in Lugdunobatavo Gronovianae anni 1692 editionis exemplari, non quemadmodum sum ego eum in mea, quam jampridem adorno, editione, ex MSS. probatissimorum fide, vulgaturus.

[2] De eo Cornelius Nepos in Vita sic: „ Si per se virtus sine fortuna „ ponderanda sit, dubito an hunc „ primum omnium ponam. Illi sine „ dubio neminem praefero fide, con„ stantia, magnitudine animi, in „ patriam amore. Nam, quod mul„ ti voluerunt, pauci potuerunt, ab „ uno tyranno patriam liberare, huic „ contigit, ut a triginta oppressam „ tyrannis ex servitute in libertatem „ vindicaret. „

rum, qui res Romanas attigerunt, qui T. Manlii, & Valerii Corvini singulares cum Gallis pugnas, non summis fortitudinis laudibus in coelum ferat? Quamquam Corvini quidem victoriam obtundit elevatque commentum miraculi. At Manlio tanto honori fuit, ut inde Torquati cognomen inditum clarae inter patricios familiae ejus fuerit; quod strato ab se Gallo detractum torquem collo suo circumdedit. At Caroli nostri factum, ab pari virtute profectum, nequaquam par gloria est consecuta. Defuit scilicet illi studium ambituque Scriptorum, qui Graecis Romanisque superfuit: quamquam pari utriusque gentis labe: quippe idem utrisque mos, sua tantum mirari & celebrare laudibus, aliena obterere & invicem se vellicare semper & carpere. Ego vero, frater, magnopere cupio hujus & viri & facti, longe pulcherrimi, perpetuam in stirpe ac gente nostra propagari ac vigere memoriam; eaque excitari posteros nostros ad idem affectandum decus, idem imitandum exemplum: quando assecuti egregia illius virtute sumus, ut tantae indolis specimen domi habeamus, nec foris petendum nobis sit. Maxime vero inculcari Carolo tuo ab te velim; quo puer jam nunc intelligat, turpe fore sibi, si cujus retulit nomen, ejus & vestigia non persequatur.

Titus Manlius; Valerius Corvinus.

Memorantur cum laude inter majores nostros & alter Buonus, Caroli filius, & alter Carolus Buono genitus, cui Formichelae cognomentum fuit: cujus ita enituit virtus ac dignitas, ut Caroli avi laudibus aequaretur. Celebratur & vetus Leo & Franciscus & Bartholomaeus & Benedicti duo: quorum alter Firmi in Piceno praeturam gessit: quam nunc urbem Pontifices Maximi non nisi per necessarios & propinquos suos administrant. A priori Buono ad Carolum tuum duodecim stirpes numerantur. Nam Buono natus Carolus, Carolo Buonus, hoc Formichela, atque hoc Comes, Comite Nicolaus, Nicolao Leo, Leone Luchinus, Luchino Aloysius, Aloysio Iulius, Iulio nos orti, ab te Carolus. Supra Buonum ad quintam stirpem ascenditur, Gratianum, Borsolum, Andream, Malvicinum, Borsolum. Ita nos a Borsolo, gentis auctore, decem & septem gradus distamus. Mansere in familia, ut, ne hoc quidem omittamus, non solum Caroli, sed Aloysii & Claudii, propria vulgariaque Gallorum genti nomina. Credo de illis tum sumpta, cum Buonus & Carolus Caroli que filii Neapolitanis regibus Gallici sanguinis militarunt, inque eorum cohorte fuerunt. Vetustiora nomina familiae conditorum

Qui e Gratianis claruere.

A Borsolo gentis auctore decem & septem stirpe

Borfoli, Fragnii, Beccarii, Rufi, Buoni, quia, ut arbitror, fubhorrida vifa funt, penitus obfoleverunt: item Malvicini, & Palmae, Borfoli matris, & Freffiae uxoris. Quamquam tibi, frater, utrumque Buoni atque Aloyfii nomen eft inditum: fed Buoni ufus fere omifit. At non cum nominibus, a Buono Caroloque afcitis, & ad nos propagatis, fortuna quoque dignitafque eorum propagata eft: quam peramplam fplendidamque fuiffe, & alia multa argumento funt, & affinitates, cum clariffimis Italiae familiis initae, confirmant. Nam Benedictus Gratianus, cui Britello cognomentum fuit, Rufi pronepos, fororem veteris N. Feltriae familiae, atque Vrbinatium principis, uxorem duxit; ex eaque filios fufcepit: & Contefina, Petri filia, Beccarii abneptis, Nicolao Malateftae, (quae tum gens, ut fuperiori libro demonftratum a nobis eft, multis per Italiam populis dominabatur, patriamque noftram in ditione habebat) nupfit. Hujus filio Pandulfo genita Hermillina: quae Francifco Balnei Comiti, homini clari & vetufti generis, non mediocribus opibus praedito, in matrimonium tradita, dotalia oppida, Giazolum, Fontemfrigidum, Caftanetum, Binaldum, Petrellam, Meloram, Valpinnam, ut eft apud Leandrum, ad virum attulit. Idem affinitatis & connubii jus majores noftri & cum Manfredis, Faventiae dominis, & cum Brancaleonibus, qui de potentatu cum Feltriis diu contenderunt, cum Montedoliis, cum Vbertinis, cum Vbaldinis, praepotentibus olim Aetruriae familiis, junxerunt. Caeterum, fupra libertatis munus, pietate ac virtute Caroli, patriae allatum, illud quoque infigne ac praecipuum ornamentum ejus, ut, cum antea Oppidum diceretur, Civitatis nomen acciperet, atque Epifcopali honore nobilitaretur. Ab domo potiffimum noftra caepit; exque ea primus Epifcopus fumptus. Quae non gloriandi, fed teftandi gratia ftudium erga patriam familiae noftrae, memoramus, &, ut pofteri ad fimilem laudem aemulandam, beneque de civibus fuis merendum, his quoque exemplis incitentur. Chriftiano ritu ea demum urbs Civitatis appellationem adipifcitur, in qua Epifcopus praefidet Sacris. Epifcopi autem honos, nifi amplis ac frequentibus oppidis, a Pontifice Max. non tribuitur. Cum igitur urbs noftra digna, quae id honoris caperet vifa effet, noftris fummo ftudio contendentibus, Leo decimus Pontifex Max. anno MDXVII. [1] abrogato Abbatiae nomi-

Affinitates cum claris familiis.

Burgus Civitatis appellatione augetur.

1 Adfert Vghellus in *Italiae Sacrae* Tomo III. edit. Ven. an. 1718. *Leonis*, ut ipse ait, *Bullam erectionis Burgensis Ecclesiae*. Aft ea Bulla data eft

mine, quo antea templum majus Burgi nuncupabatur, amotisque Camaldulensis familiae Monachis, qui in eo res divinas procurabant, Episcopale ibi solium erigi, Episcopumque Sacrorum curae praeesse, & non amplius Oppidum,

 sed

est anno, non quem Gratianus memorat, sed 1515 qui tertius Pontificatus Leonis fuit, quem constat anno 1513. Summum Pontificatum esse renunciatum. Autographo parcens satis habui rem sic testatam relinquere. Bullam autem ipsam hic subjicere commodissimum ast visum.

„ Leo Episcopus Servus Servorum Dei Ad perpetuam rei memoriam. Praeexcellenti praeeminentia sedis Apostolicae, in qua post B Petrum Apostolorum Principem, quanquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate constituti sumus, in agro irriguo militantis Ecclesiae novas Episcopales sedes Ecclesiasticas plantare Romani Pontificis dignum esse videtur, ut per novas plantationes populorum augeatur devotio, divinus cultus efflorent, locaque insignia dignioribus titulis attollantur, & majoribus honoribus decorentur, subsequaturque animarum salus. Idque nos eo libentius agimus in iis locis, in quibus benedicente Domino, incolae, & alii Christifideles multiplicasse noscuntur, ut propagatione novae sedis, & assistentia honorabilis Praesulis, cum decenti ministrorum numero fideles Christi in devotione persistentes, ac etiam devotionis hujusmodi augmentum suscipientes aeternae felicitatis praemium, Deo eorum pium propositum adjuvante, facilius consequi mereantur. Sane attendentes, quod oppidum Burgi S Sepulchri Civitatis Castelli dioecesis, temporalis dominii excelsae reipublicae Florentinae, in cujus loco ante illius constitutionem ingens erat sylva, Nives ob nivium frequentiam dicta, & cum per eam iter facerent duo sancti Peregrini, Arcanus videlicet, & Aegidius a Sancto Sepulchro Domini tunc abscedentes, cum apud limpidissimum fontem, qui inibi tunc erat, aliquantulum requiescerent, divina visione, ut dicitur, admoniti, quoddam sacellum ibidem construxerunt, & ex tunc nonnulli Christifideles juxta sacellum ipsum aliquas domos aedificare, & burgum domorum facere, & tandem multiplicatis domibus, & moenibus erectis in oppidum, S. Sepulchri appellatum, fertur inter alia ipsius dominii oppida, admodum celebre, & antiquum, ac magna nobilium, & literatarum personarum, ac incolarum generositate, benedicente Domino, refertum, ac in illo unum notabile, & insigne monasterium Camaldulensis ordinis, sub invocatione S. Joannis Evangelistae dicatum, in quo adhuc fons, & sacellum per dictos sanctos peregrinos fabricatum hujusmodi consistunt, & ad cujus fontis lavacrum aquas haurientes febricitantes, divina operante clementia, intercessione ipsorum sanctorum liberantur, in loco celebri dicti oppidi situm, & sedi Apostolicae immediate subjectum, ac quamplures aliae seculares, & regulares Ecclesiae dicti monasterii censuales, in quibus divina celebrantur officia, existunt, adeo ut merito oppidum ipsum titulo Civitatis decorari, & Ecclesia ipsius monasterii, cujus Abbas pro tempore existens, baculo pastorali, & aliis Pontificalibus insigniis ex indulto Apostolico uti consuevit, in cathedralem ecclesiam erigi possent. Unde nos ex praemissis, & caeteris aliis rationabilibus causis moti, volentes dictum oppidum, & illius incolas, eorum devotione, & meritis id exigentibus, favoribus attollere potioribus, & honorabili . . . habita super his cum venerabilibus fratribus nostris deliberatione matura, de ipsorum fratrum consilio, & assensu, ac Apostolicae potestatis

ſed Civitatem appellari, Civitatiſque jura dignitatemque obtinere juſſit: &, quem primum Epiſcopum crearet, Galeotum Gratianum delegit; qui idem templi Abbas Antiſteſque erat, & civitatis ſtudium magnopere adjuvarat. Praedia bonaque, quae

,, tis plenitudine, auctoritate Apoſto-
,, lica tenore praeſentium in dicto mo-
,, naſterio nomen, & titulum; necnon
,, Abbatialem, & omnes alias digni-
,, tates, officia, ac beneficia quae-
,, cumque regularia, monachalea por-
,, tiones, ac dependentias, necnon
,, omnia, & ſingula membra, ſeu
,, grangias dicti monaſterii, prioratus,
,, & alia ad dictum monaſterium, il-
,, liuſque Abbatem, & conventum,
,, ſeu eorum collationem, proviſionem,
,, praeſentationem, electionem, ſeu
,, quamvis aliam diſpoſitionem con-
,, jonctim, vel diviſim pertinentia,
,, & ſpectantia beneficia quaecumque
,, ſecularia, vel dicti ordinis regula-
,, tia, dilecti filii Galeotti de Gratia-
,, nis Abbatia ipſius monaſterii ad hoc
,, expreſſo accedente conſenſu ſuppri-
,, mimus, & extinguimus, ac ad omni-
,, potentia Dei laudem, totiuſque tri-
,, umphantia Eccleſiae gloriam, & fidei
,, Catholicae exaltationem, ac dominii
,, decus, & amplitudinem, divinique
,, cultus augmentum, ac animarum
,, ſalutem praefatum oppidum in Civi-
,, tatem, & Eccleſiam monaſterii hu-
,, juſmodi in cathedralem Eccleſiam
,, ſecularem, cum Epiſcopali digni-
,, tate, juriſdictione, & ſuperiorita-
,, te, ac Epiſcopali, & capitulari men-
,, ſis, necnon fonte baptiſmali, ac a-
,, liis cathedralibua inſigniis, necnon
,, pertinentiis, honoribos, & privile-
,, giia, quibus aliae cathedrales Eccle-
,, ſiae de jure, vel conſuetudine utun-
,, tur, potiuntur, & gaudent, ac u-
,, ti, poriri, & gaudere poterunt quo-
,, modolibet in futurum, ac in ea u-
,, nam praepoſituram majorem pro u-
,, no Praepoſito, & unum archidiaco-
,, natum pro uno archidiacono, & u-
,, num archipresbyteratum pro uno
,, archipresbytero, majores poſt pon-
,, tificalem inibi dignitates, qui onus,
,, & curam animarum ejusdem Eccle-
,, ſiae, & capituli pro tempore incum-
,, bentia exercere, & ſupportare ha-
,, beat necnon novem canonicatus, &
,, totidem praebendas pro novem ca-
,, nonicis, qui ſimul cum dictis prae-
,, poſito, archidiacono, & archipresby-
,, tero capitulum ipſiua Eccleſiae inibi
,, faciant, & conſtituant, et almucias
,, griſeas, ſeu de pellibua griſeis, et
,, honorabilibus ad inſtar canonicorum
,, aliarum cathedralium Eccleſiarum,
,, tam in praedicta Eccleſia, quam
,, extra eam in proceſſionibus, et a-
,, liis actibus deferant, noſtri Achil-
,, lia Tituli S. Mariae in Tranſtybe-
,, tim Presbyteri Cardinalis, cui re-
,, greſſua ad Eccleſiam civitatis Ca-
,, ſtelli in certos tunc expreſſos even-
,, tua, dicta auctoritate conceſſua e-
,, xiſtit, et Balthaſſaris electi civita-
,, tis Caſtelli dilectorum filiorum ex-
,, preſſo etiam ad hoc accedente con-
,, ſenſu, perpetuo erigimus, creamus,
,, et inſtituimua, ac oppidum Civita-
,, tis, ac Eccleſiam hujuſmodi Cathe-
,, dralia titulo, et honore decoramus,
,, et inſignimus, ipſamque civitatem,
,, et illius diſtrictum, et territorium,
,, necnon Telenae, Corliani, S. Ste-
,, phani, S. Caſſiani, Prateghi, San-
,, ctae Mariae de Sovara, et S. An-
,, timi cum ſuis membria in praedi-
,, cto dominio Florentino conſiſtenti-
,, bus duntaxat, reliquia vero in di-
,, ſtrictu Civitatis Caſtelli, et oppidi
,, Ciſternae dictae Civitatis Caſtelli,
,, dioeceſis ſub eadem dioeceſi Civita-
,, tis Caſtelli remanentibua, ac dicti
,, Sancti Antimi ejusdem Civitatis Ca-
,, ſtelli dioeceſis, necnon quae in lo-
,, cis dicto oppido Burgi S. Sepulchri
,, contiguis montis Acuti Aretinae
,, dioeceſis parochiales eccleſias, pleba-
,, niaa, ſeu plebanatus nuncupataa,
,, ſen eorum parochias, et loca quae-
,, cumque, cum illorum clero, et po-
,, pulo, perſonis eccleſiaſticis, mona-
,, ſteriis, et piis locis, ac beneficiia
,, eccleſiaſticis cum cura, et ſine cu-
,, ra

quae Abbatis Monachorumque fuerant, ex ejusdem Pontificis auctoritate, Episcopo Canonicisque adjudicata sunt. Et fuere ante eum ejusdem templi aliquot e gente nostra Abbates: quorum Gratianus & Simon in Camaldulensium annalibus non

Abbates e Gratianis.

„ ra secularibus, et ordinum quorum-
„ cumque regularibus, necnon quic-
„ quid juria Episcopalia, ac jurisdi-
„ ctionis in illis civitatibus, Castel-
„ li, et Aretinae Ecclesiarum capi-
„ tulum tam conjunctim, quam di-
„ visim babebant, et percipiebant, et
„ habere, et percipere consueverunt,
„ a dioecesi, et sedibus Episcopalibus,
„ ac mensis, et capitularibus Civitatis
„ Castelli, et Aretinen penitus, et
„ omnino perpetuo dismembramus, et
„ separamus, illaque ab omni jurisdi-
„ ctione, superioritate, correctione,
„ visitatione, dominio, et potestate
„ nunc, et pro tempore existentium,
„ civitatesque Casteili, et Aretin. E-
„ piscoporum, et capitulo praedicto,
„ eorumque visitatorum, et officiorum,
„ necnon solutione quorumcumque ju-
„ rium eis per illorum populos, et
„ personas praefaras ratione jurisdi-
„ ctionis, et superioritatis hujusmo-
„ di respective debitis penitus eximi-
„ mus, et totaliter liberamus, et di-
„ strictum, et territorium civitatis e-
„ rectae, necnon castrum sanctae Ma-
„ riae in Balneo nullius dioecesis, et
„ singulas parochiales ecclesias prae-
„ dictas, cum omnibus juribus, &
„ pertinentiis suis eidem erectae Ec-
„ clesiae sancti Sepulchri, et illius men-
„ sae Episcopali pro illius districtu, et
„ dioecesi necnon omnes, et singulos
„ clericos, seculares, et ordinum quo-
„ rumvia religiosos pro clero, incolas-
„ que, et habitatores dictarum civita-
„ tis et dioecesis erectarum: et quoad
„ montis Acuti ecclesias hujusmodi,
„ dummodo venerab. fratris nostri mo-
„ derni Episcopi Aretin. ad hoc ex-
„ pressua accedat assensus, & omnes,
„ et singulos ipsius supradicti mona-
„ sterii, et illius annexorum, mem-
„ brorum, grangiarum, et prioratuum,
„ singulorumque aliorum beneficiorum
„ praedictorum ad collationem, pro-
„ visionem, praesentationem, electio-
„ nem, seu quamvis aliam dispositio-
„ nem Abbatis, et conventua spectan-
„ rium, ut supra fertur, suppressorum,
„ et extinctorum praedd. et ejusdem
„ monasterii Abbatialis, et conventua-
„ lis mensarum, fructus, reditus,
„ et proventus, ac bona quaecumque,
„ quorum omnium veros annuos valores
„ praesentes haberi volumus pro ex-
„ pressis, Abbatialibua videlicet Epis-
„ copali conventualis mensarum, nec-
„ non omnia, et singula alia bona
„ mobilia, et immobilia, seu stabi-
„ lia per dilectam filiam communita-
„ tem erectae civitatis donanda, con-
„ cedenda, et assignanda capitulari
„ mensis Ecclesiae erectae hujusmodi
„ pro earum uberiori dote respectivè
„ perpetuo applicamus, appropriamus,
„ aggregamus, concedimus, et assi-
„ gnamus, ita quod liceat venerabili
„ fratri nostro Episcopo Burgi S. Se-
„ pulchri pro tempore existenti, juris
„ Episcopalia, ac jurisdictionis illius,
„ et canonicis, et capitulo Ecclesiae
„ erectae hujusmodi fructuum, redi-
„ tuum, et proventuum, ac bonorum
„ monasterii, membrorum, et anne-
„ xorum, juriumque, et pertinentia-
„ rum praedictarum corporalem pos-
„ sessionem per se, vel per alium, si-
„ ve alios propria auctoritate liberè
„ apprehendere, et perpetuo retinere,
„ illorumque fructus, reditus, et
„ proventus in suos, et mensarum
„ suarum usus, et utilitatem conver-
„ tere, alicujus super hoc licentia
„ minimè requisita, et nihilominus
„ quoad singula praemissa quibusvis e-
„ xemptionibus, et privilegiis ejusdem
„ plebanis, et eorum plebanatibus, et
„ subditis per sedem praedictam quo-
„ modolibet concessis, confirmatis, et
„ innovatis derogamus, illaque omnia
„ penitus, et omnino revocamus, et
„ annullamus, ac revocata, et annul-
„ lata esse decernimus, necnon clerum,
„ et populum civitatis, dioecesis, ac
„ Ec-

non mediocri cum laude memorantur. Gratiano pene primas ingenii atque eruditionis defert Jo. Baptista Pichus, ordinis Servorum, in oratione, qua omnes, qui aliqua facultate praestiterunt, cives percensuit. Ab eo Monasterium ad fanum Leonis, ordinis, ut appellant, Minorum, aedificatum auctumque muneribus; atque alia item fana exornata tradunt. Simon, cum aliis doctrinae, religionis, humanitatis laudibus celebratur, tum eo etiam praestitit, quod & templum majus Burgi instauravit excoluitque, & adjunctas templo aedes in multo ampliorem formam construxit. Nam & ar-

Episcopales aedes a Simone Gratiano instauratae.

,, Ecclesiae erectarum praedd. curae,
,, & jurisdictioni Episcopi Burgi S. Se-
,, pulchri pro tempore existentis, quo-
,, ad legem dioecesanam, & guberna-
,, tionem perpetuo subjicimus, necnon
,, Ecclesiam, civitatem, et dioecesim
,, erectas praefatas ac illarum Praesu-
,, lem, seu Episcopum pro tempore
,, existentes, necnon clerum, et po-
,, pulum civitatis, et dioecesis erecta-
,, rum hujusmodi Ecclesiae ac Ar-
,, chiepiscopo Florentino Metropolita-
,, no jure subesse, et quoad omnia Me-
,, tropolitica, et Archiepiscopalia su-
,, perioritatem, jurisdictionem, jura
,, Archiepiscopo Florentino pro tem-
,, pore existenti subjectas esse, et de
,, Archiepiscopalibus juribus ei respon-
,, dere volumus. Et insuper Episcopo
,, pro tempore existenti, capitulo, cle-
,, ro civitatis, et dioecesis Burgi S.
,, Sepulchri hujusmodi, illorumque in-
,, colis, et habitatoribus praedictis,
,, et illorum singulis pro omnibus, et
,, singulis privilegiis, & exemptioni-
,, bus, libertatibus, immunitatibus,
,, favoribus, gratiis, et indultis, qui-
,, bus alii Episcopi, et aliarum cathe-
,, dralium Ecclesiarum capitula, ci-
,, vitates, et dioeceses, et eorum cle-
,, rici, incolae, et habitatores de jure,
,, vel consuetudine utuntur, potiuntur,
,, et gaudent, ac uti, potiri, et gau-
,, dere poterunt quomodolibet in fu-
,, turum, uti, potiri, et gaudere,
,, necnon Episcopo pro tempore exi-
,, stenti, et capitulo praefatis capitu-
,, lariter congregatis pro felici statu,
,, et salubri directione dictae Ecclesiae,
,, illiusque personarum, ac divinorum
,, officiorum in illa celebratione, et
,, quaecumque statuta, et ordinationes,
,, rationabilia, et honesta, ac sacris
,, canonibus non contraria facere, et
,, edere, illaque quoties eis pro uti-
,, litate dictae Ecclesiae visum fuerit
,, immutare, quae postquam edita,
,, et immutata, ac de novo concessa
,, fuerint, eo ipso Apostolica auctori-
,, tate approbata, & confirmata censen-
,, tur indulgemus: ac plenam, et li-
,, beram licentiam concedimus, et e-
,, tiam facultatem, non obstantibus
,, constitutionibus, et ordinationibus
,, Apostolicis, ac monasterii, et ordi-
,, nis praedd. &c. confirmatione A-
,, postolica, vel quavis firmitate alia
,, roboratis statutis, et consuetudini-
,, bus, caeterisque contrariis quibus-
,, cumque. Nulli ergo omnino ho-
,, minum liceat hanc paginam nostrae
,, suppressionis, extinctionis, erectio-
,, nis, creationis, institutionis, decu-
,, rationis, insignitionis, dismembra-
,, tionis, separationis, exemptionis,
,, liberationis, applicationis, appro-
,, priationis, aggregationis, concessio-
,, nis, assignationis, derogationis, re-
,, vocationis, annullationis, decreti,
,, subjectionis, voluntatis et indulti
,, infringere, vel ei ausu temerario
,, contraire. Si quis autem hoc atten-
,, tare praesumpserit, indignationem
,, omnipotentis Dei, ac beatorum Pe-
,, tri, et Pauli Apostolorum ejus se
,, noverit incursurum.

,, Datum Romae apud S. Petrum,
,, anno Incarnationis Dominicae 1515.
,, x. Kal. Octobris, Pontificatus no-
,, stri anno III.

area quadrato lapide ſtrata, & circa eam geminae porticus, gemino cum columnarum ordine, Simonis opus ſunt, adeo quidem ſplendidum, ut, fore aliquando Epiſcopale templum atque Epiſcopales aedes, inque iis Epiſcopum Galeotum, germanum fratrem ſuum, divinaſſe videatur. Hunc ipſum Simonem tradit Vaſarius in vitis Pictorum, Florentiae grandem tabulam a Petro Peruſino, praeſtantiſsimo aetatis ſuae artifice, magno pretio mercatum eſſe; eamque, non minori ſumptu, bajulorum humeris, Florentia Burgum, quinquaginta millia paſſuum, deportatam, in templo dedicaſſe. Simonis ea dignatio fuit, illud ipſe ſui deſiderium reliquit, ut a Galeoto Epiſcopo honor marmorei ſepulcri memoriae ejus habitus ſit; advecto marmore longe candidiſſimo e Lunenſibus lapidicinis: nec aliud ejus generis inſignius Burgi opus. Annales Camaldulenſium meminere cum laude & Joannis, qui circa annum MCCCXLVIII. cum Piſis Abbas Michaelis aedis eſſet, univerſi ordinis XXVIII. Magiſter eſt creatus: cui annos inde quadraginta praefuit. Exceſſit anno MCCCLXXXVII. cum ageret ipſe nonageſimum nonum. Galeoto Gratiano in Epiſcopatu ſucceſſit N. Tornabonus, atque huic Philippus Archintus, qui poſtea Archiepiſcopus Mediolanenſis, & Apoſtolicus Nuntius apud Venetos fuit. Huic inde ſucceſſere Tornaboni tres, Alfonſus, Franciſcus [1], Nicolaus; qui quadraginta ferme annis eo honore eſt potitus. Hoc mortuo Clemens VIII. Epiſcopum civitati dedit Alexandrum Burgium [2] a Mutiliana, virum multiplici atque inſigni eruditione & pari humanitate ac ſuavitate morum.

Joannes Abbas.

Epiſcopi.

1 Eſt hoc omnino Gratiani ἁμάρτημα μνημονικόν. Nam, qui Alphonſo in Burgenſi pontificatu ſucceſſit, Tornabonus, eum video ab reliquis ſcriptoribus non *Franciſci*, ſed *Philippi* nomine appellari.

2 Vghello ſi credimus (neque vero eſt, cur non credamus) Alexander hic Burghius in Burgenſem Epiſcopum adlectus eſt a Clemente VIII, Pont. Max. die 22. menſis Jun an. 1598 Aloyſium autem, Auctoris noſtri fratrem, ad quem hi miſſi inſcriptique ſunt libri, menſe Januario ejuſdem anni, diem jam ſuum obiiſſe conſtat ex ipſius Clementis litteris, quas ſupra pag. hujus voluminis ſecunda retulimus, extremo Januarii die an. 1598. datis. Qui potuit igitur de Burghii Epiſcopatu Aloyſium affari Gratianus, ſiquidem, antequam Burghius Epiſcopus fieret, eſſe jam inter vivos Aloyſius deſierat? Haec me mecum ipſum cogitantem, in eaque cogitatione valde defixum atque ſuſpenſum (res enim mihi et perdifficilis explicatu, nec exitum, niſi multa adhibita cura ſtudioque, habitura, et certe moram aliquam properanti Typographo, meaſque has adnotatiunculas in dies atque adeo in horas ſingulas flagitanti, allatura) doctiſſimus collega olim in rhetoricis tradendis meus, nunc in hoc Florentino S. Joannis Evangeliſtae noſtro Gymnaſio ſtudiorum Praefectus vigilantiſſimus,

idemque sacrarum litterarum plane admirandus interpres, Alphonsus Nicolajus, prope divinitus, certe admodum opportune, convenit: qui, ut me suspenso esse animo commotumque vidit, causamque ex me acrioris cogitationis illius curaeque cognovit, homo difficillimis Sacrorum Bibliorum locis expediendis assuetus. „ Noli, inquit, ista de re, mi Hieronyme,
„ laborare. Ego te paucis omni mo-
„ lestia liberabo. Nec tamen dubito,
„ quin, ubi audieris, miraturus sis,
„ tibi quoque idem in mentem non
„ venisse. Sed memineris pervulga-
„ tum illud Christophori Columbi de
„ ovo stante. Ea res nimirum in ho-
„ minum vita saepe contingit, ut,
„ quae facere omnes, ubi facta vide-
„ rint, videntur potuisse, ea, nisi
„ ab uno aliquo ante fiant, facere
„ non aeque omnes possint. Sed quid
„ ego haec tecum? De re sic habe-
„ to Scribere opus suum, vivente
„ Aloysio fratre, Gratianus instituit,
„ idque etiam, ut reor, absolvit.
„ Mors deinde incidit fratris. Non
„ destitit ille propterea apud se atque
„ in manibus suos illos commentarios
„ habere: in quos nonnulla, quae
„ mortem fratris consequuta sunt, po-
„ tuit, ad eos cumulandos perficien-
„ dosque, deinceps suis quaeque lo-
„ cis referre: quorum tu alia in re-
„ liquo opere exempla fortasse repe-
„ reris; et hanc certe ipsam de Bur-
„ ghii pontificatu mentionem, esse u-
„ num ex iis debes existimare. Di-
„ cerem etiam, ab alio quodam mo-
„ numenti id genus, non ab Gra-
„ tiano, additum (ut in extremo Deu-
„ teronomii libro, quem scripsisse
„ Moysen constat, mors ipsius Moy-
„ sis, certe non ab ipso Moyse, quod
„ tamen aliquot antiqui patres existi-
„ marunt, sed aut ab Josue, aut,
„ quod verius cum S. Hieronymo
„ puto, ab Esdra, funusque ac sepultura
„ describitur) nisi saepe ex te audissem,
„ Gratiani hoc tuum exemplar ab
„ ipso Gratiano esse recensitum, sua-
„ que ipsius manu multis locis corre-
„ ctum atque auctum: ut, quidquid
„ eo continetur, non nisi ab Gratia-
„ no possit esse profectum: nisi si us-
„ quam recentioris novaeque manus a-
„ licujus scriptura deprehendatur „.
Haec ille; quem ego, ingentibus gratiis actis, amicissimeque complexum, magna cura liberatus, ad rem ipsam memoriae continuo prodendam properans & ipsum ad sua studia properantem dimisi. Nunc, quum non nisi ad Alexandrum hunc Burghium Burgensium Episcoporum seriem Gratianus deduxerit, quumque de iis ipsis, quos commemoravit, vix quidquam, praeter nomina, de plerisque prodiderit, facturum me rem Burgensi Civitati (cui semper, non secus ac si Burgensis civis essem, impense favi, cuique studia erga se mea atque officia nota, neque ingrata fore confido) valde jucundam, si ejus omnes Episcopos uberius hoc loco percensuero, ex Vghelli *Italia Sacra* depromptos, iis additis ad nostram hanc aetatem, quos Vghellus, morte obita, commemorare non potuit.

I. „ Galeottus de Gratianis Bur-
„ gensis Abbas: perpetuusque Com-
„ mendatarius Monasterii S. Ioannis
„ Baptistae, suae patriae primus Epi-
„ scopus fuit à Leone X. ad ejus di-
„ gnitatis fastigium evectus anno 1520.
„ die 18. mensis Septembris. Deces-
„ sit an. 1522. die 16. mensis Aprilis
„ sepultusque est in Cathedrali.

II. „ Leonardus Tornabonus, no-
„ bilis Florentinus, Cubicularius,
„ Leonisque X. intimus Consiliarius,
„ ex decessu, sive cessione Galeotti,
„ in Burgensem Episcopatum successit
„ anno 1522. pridie Kalend. Septem-
„ bris. Ejus Episcopatus possessionem
„ iniit die 14. mensis januarii an. 1524.
„ Vir plane erat aeque doctus, ac
„ prudens, cujusque consiliis diu usi
„ sunt Leo, Clemensque Medicei.
„ Translatus deinde est a Paulo III.
„ summo Pontifice ad Episcopatum
„ Adiacensem in Corsica 1539. die
„ 24. mensis Martii, cum Burgen-
„ sem prius Ecclesiam ad 17. annos
„ summa cum pietatis laude rexisset.

III. „ Philippus Archintus, nobilis
„ Mediolanensis, ex Protonotario A-
„ postolico, tertius Episcopus Burgen-
„ sis adlectus est à Paulo III Farne-
„ sio an. 1539. die 24. mensis Mar-
„ tii. Diuturniori vicariatus opera pro
„ Pon-

,, Pontificibus functus est Romae, ,, ideoque breviori mora Burgensi Ec- ,, clesiae praesedit. Anno vero 1546. ,, ab eodem Paulo III. ad Salutii E- ,, piscopatum fuit translatus Pedemon- ,, tanae ditionis, ac paulo post Ar- ,, chiepiscopus Mediolanensis renun- ,, ciatus. De quo ibi postea plura.

IV. ,, Alphonsus Tornabonus Flo- ,, rentinus, cum Salutii Episcopus es- ,, set, cum Archinto Episcopatum ,, commutavit 1546. die 29. mensis ,, Octobris. Burgensis autem Episcopa- ,, tus possessionem iniit die 20 men- ,, sis Novembris ejusdem anni. Quam ,, Ecclesiam administravit usque ad ,, an 1557. deinde cum senio labora- ,, ret, eo munere se exsolvit.

V. ,, Philippus Tornabonus Floren- ,, tinus, Donati filius, nepusque Al- ,, phonsi antecessoris, ex Canonico ,, Metropolitanae Florentinae, ad Bur- ,, gensem Episcopatum translatus est ,, anno 1557 prima die exordientis ,, Octobris. In qua quidem dignitate ,, vixit ad duos annos: decessitque die ,, 2. mensis Novembris 1559.

VI. ,, Nicolaus Tornabonus Floren- ,, tinus, antecessoris Philippi conjun- ,, ctissimus frater, ex Plebano Eccle- ,, siae S. Petri Anglarensis, Pistorien- ,, sis dioecesis, renunciatus Burgen- ,, sis Episcopus est an. 1560. die 9. ,, mensis Maji. Hic non modo do- ,, ctrina, sed singulari eruditione prae- ,, clarus fuit Quamobrem ita Prin- ,, cipibus Hetruscis in pretio fuit, ut ,, Cosmo ejus nomine I. mandante, ,, apud Regem Gallorum legatione ,, sit perfunctus egregie. Res con- ,, troversas inter Catholicos, atque ,, Ugonottos, dum moraretur in Gal- ,, liis, Hetrusca lingua praeclare con- ,, scripsit, suisque (lege *suique*) inge- ,, nii alia plura monumenta reliquit. ,, Nobilem bibliothecam ad alendum ,, studium sumptuose collegit; quam ,, postea ejus affines minus addicti ,, litteris faedissime destruxerunt: cu- ,, jus haud ignobilis codicum pars ad ,, nostram Cistellianam bibliothecam, ,, me coemente, pervenit In quibus ,, ad marginem adeo doctas postillas ,, appinxit, ut inde facile colligat le- ,, ctor, valuisse illum quam qui ma- ,, xime in omnigena literatura. Ef- ,, foetae aetatis decessit anno 1598. ,, die 13. mensis aprilis; sepultusque ,, est in Cathedrali.

VII. ,, Alexander Burghius e Mo- ,, digliana Florentinae ditionis, septi- ,, mus Episcopus Burgensis adlectus ,, est a Clemente VIII. an. 1598 die ,, 22. mensis Junii. Principibus He- ,, truscis ob singularem doctrinam uni- ,, cè charus fuit, ac quatuor summis ,, Pontificibus summa cum prudentiae ,, laude maximo usui fuit. Burgen- ,, sem Ecclesiam ad septem annos ad- ,, ministravit, deinde a Paulo V. fa- ,, ctus Lateranensis Vicarius eo munere ,, se exsolvit ann. 1605. Decessit au- ,, tem anno 1613. Romae sepultus est ,, in eadem Ecclesia S Joannis in La- ,, terano, ubi ab affinibus nobile de- ,, positum cum hac sequenti inscriptio- ,, ne illi erectum fuit.

D. O. M.

,, *Quisquis sepulchrum videt Ale- ,, xandri Burgi Mutilianensis, Burgen- ,, sium Episcopi, hujus Basilicae Vi- ,, carii, tum Mausoleum quocumque ,, aere perennius videret, si monumen- ,, tum posuissent literae, quas finat vi- ,, vens coluit, candidusque arbiter aesti- ,, mavit, ita mortuum certatim eun- ,, dem eaedem lamentatae sunt, si ,, quatuor summi Pontifices, aliique ,, Principes viri, quibus operam, fidem- ,, que probavit suam, si amicorum do- ,, lor & vota, de quibus benemeren- ,, do diem nunquam perdidit. Inte- ,, rim omnium nomine Philippus, & ,, Claudius fratris filii majori pieta- ,, te, quam pompa maerentes meren- ,, ti posuerunt. Obiit anno Dom. M. ,, DC.XIII. aetatis suae LXIV. Ad ,, Dei misericordiam impetrandam, i- ,, dem Lateranensi capitulo pro anni- ,, versario funere censum perpetuum at- ,, tribuit, caeterosque, ut sibi opem ,, divinam implorent, mortuus mori- ,, turos rogat.*

VIII. ,, Hieronymus Incontrus Vo- ,, laterranus, Doctor ac Canonicus ,, Cathedralis, postea prior Ecclesiae ,, S. Petri in Silice, ut vocant, a Paulo ,, V. Burgensem Episcopatum obtinuit ,, in gratiam Magni Ducis Cosmi II.

„ An. 1605. die 19. mensis Decembris. Decessit an. 1615. in patria, „ ubi jacet in eadem Ecclesia S. Petri.

IX. „ Joannes de Goslteriis, Aretinoa, I. V. D. Hieronymo suffectus „ est anno 1615. die 4. mensis Decembris. Romae decessit an. 1619. „ die 20. mensis Maji, ibidemque sepulturam accepit.

X. „ Philippus Salviatus, Florentinos, filius Antonii, frater autem „ Marchionis Vincentii, ex Pratensi „ Praeposito, electus est Burgensis „ Episcopus anno 1619 die 20 mensis Augusti, inauguratusque est à „ Cardinali Bandino Decessit autem „ dom suam praesens gubernaret Ecclesiam an. 1634. Vir sane, qui „ claritatem generis multis virtutibus „ exornaverat.

XI. „ Fr. Zenobius Mediceus Florentinus Ord. Praed. olim S Mariae majoris Romae Poenitentiarius, Burgensem Ecclesiam adeptus „ est anno 1634 mense Julio. e vivis „ exemptus est an. 1637. die 17. mensis Octobris Florentiae die 19. ejusdem mens. sepultusque est apud D. „ Marcum, sui ordinis nobile monasterium, ubi a puero induerat monachum.

XII. „ Fr. Dionysius Bussottus, „ Florentinus, Generalis Ord. Servorum ab Vrbano VIII. Episcopus Burgensis electus anno 1638. Ei Alexander Adimarius inscripsit librum „ *Melpomene*, seu *Cinquanta Sonetti funebri, con altrettanti Elegii*. Ejusdem quoque gentis Bussottae Bartholomaeus fuit Pii V. Pont Max. „ Generalis Thesaurarius, Alexandri „ Mazzae Episcopi Forosempronieosis avuncolus. Hujus praeclarissimi „ Praesulis virtutes, quam libentes „ hic celebrarem, nisi viri modestia, „ veterisque amicitiae memoria, ne „ hoc ipsum praestarem, inhiberent. „ Obiit Dionysius Florentiae an. 1654. „ sepultusque est in Ecclesia D. Annonciatae.

XIII. „Fr. Cherubinus ex Marchionibus Malaspinis Ord. Praedic. Florentini Coenobii S. Mariae Novellae nobilis doctusque alumnus, Burgensem „ Episcopatum accepit die 30. Augusti 1655. ab Alexandro VII. Pont. „ Max quem pie hactenus administrat, „ & ob morum candorem, spectabilemque prudentiam omnibus perchatus.

ADDITIO.

„ De Cherubino its disserit Badius „ in Elogiis Vir Illust Vnivers Theolog Florent Cherubinus ex Marchionibus Malaspinis Ord. Praedic. „ jam Magister inauguratus collegio „ fuit addictus 17. Kal Febr 1636. „ ejusdemque decanus 1654. Literatura, spectataque prudentia clarus, „ studiis praefulsit diu, ac regiminibus praefulsit in ordine principalioribus, regendo ut Prior Sanctae „ Mariae Novellae Coenobium, Romanamque Provinciam, aliis omissis, quibus est semper peregregie „ perfunctus, usque ad Praesulatum „ Burgensis Ecclesiae ab Alexandro „ VII. cui maxime erat nota virtus, „ evocatus 30 Augusti 1655. qua omnibus, etiam suis ovibus pius Pastor, ac bonus, peraharus evasit usque ad oodecimum sui Praesulatus „ annum: post quem moerentibus bonis, piè in Domino obdormivit 14. „ Martii 1667. tredecim suae laudabilis, et incolpatae vitae lustris peractis, tumulatus in sua Ecclesia, „ suoebrique nobili pompa postea anno 1669. die 16 Januar. cohonestatus Florentiae in S. Mariae Novellae templo a PP. Magistris, oratore „ eloquentissime, et pro tanti viri dignis meritis Rodulpho Forasaxio Valiumbros meritissimo Abbate, qui „ pro eo sepulchrale solatium plusquam „ ingeniose elaboravit.

XIV. „ Jo. Carolus Baldovinettus, „ Florentinus, Ordinis Fratrum Praedicatorum, S. Theologiae Lector, „ & Concionator Generalis, pluribus „ Ordinis sui perfunctus praefecturis, „ tandem cum annum aetatis suae circiter 50. ageret, dictus est Episcopus Burgi S. Sepulchri die 12 Decembris 1667. Nec dio post obiit „ in Residentia mense Septembri 1671.

XV. „ Ludovicus Malaspina ex „ Marchionibus del Ponte in dioecesi „ Lunensi Sarsanensi natus, B. Mariae „ de

„ de Monte Carmelo institutum su„ scepit: ubi sacrae Theologiae Magi„ ster effectus, nonnullisque Ordinis „ sui praefectus coenobiis, Hetruriae „ Provincialis, Assistens Generalis Ita„ liae, et Congregationis Indicis Con„ sultor, tandem ad S. Sepulchri Ca„ thedram evectus est die 8. Februa„ rii 1672. Quam Ecclesiam eum pru„ denter rexisset ad annum 1695. cir„ ca Septembrem obdormivit in Do„ mino

XVI. „ Gregorius Compagni, Ro„ manus, Ordinis Fratrum Praedica„ torum, Philosophiae, et sacrae „ Theologiae Lector, et Magister, „ egregiusque divini verbi praeco, post „ obitos aliquot Coenobiorum ordinis „ Prioratus, tandem ex Poenitentia„ rio Basilicae Liberianae de Vrbe crea„ tus est Episcopus S. Sepulchri die „ 2 Januarii 1696. die 25. Junii 1703. „ ad Larinensem Ecclesiam transla„ tus.

XVII „ Jo Laurentius de Tillis, „ Presbyter Florentinae Dioecesis J. „ V. D et examinator Synodalis Ar„ chiepiscopi Florentini, olim Cano„ nicus Collegiatae Ecclesiae Castri „ Florentini, deinde Vicarius Gene„ ralis erium Episcoporum S. Minia„ tis, et bis Vicarius Capitularis ejus„ dem Episcopatus, tandem ornatus „ est infula Burgi S. Sepulchri die „ 21. Julii 1704.

Habes Burgensium Episcoporum catalogum, ab Vghello usque ad superiorem *Additionem* de Cherubino Malaspina, ab Coleto deinde hucusque contextum. De reliquis ad hanc aetatem haec pauca (non enim licuit mihi per tempus plura conquirere) accipito.

XVIII. Bartholomaeus Puccius Politianus Tillio, die 4. Jan. an 1724. e vivis sublato, successit: in Pisano olim Lyceo antecessor; in patriae cathedrali aede Praepositus, atque Episcoporum Lodigierii Provicarius, Arrighii Vicarius, rursusque Praepositus Emporiensis, denique Burgi S. Sepulcri Episcopatu an 1724. decoratus: quo, nimis commodae in Burgensi caelo valetudinis causa, quatuor post annis, abdicato, Piscienesis primus Episcopus constitutus, obiit die 6. mens. Februarii anno 1738.

XVIIII Fr. Raymundus Pecchiolius Florentinus Ordinis Praedicatorum Romani olim S. Mariae supra Minervam Coenobii Prior, Burgensis Episcopus mense sextili an 1728. renunciatus, pontificalibus Sacris a Benedicto XIII. Pont. Max die 26. Septembris ejusdem anni initiatus, mense Martio insequentis inito pontificatu, commissum sibi gregem pari probitatis ac doctrinae laude ad hanc diem tuetur, annos natus octo supra sexaginta.





ANTONII MARIAE

GRATIANI

A BVRGO SANCTI SEPVLCRI

DE SCRIPTIS INVITA MINERVA

AD ALOYSIVM FRATREM

LIBER III.





T flexerat multo ante retro, paulatimque gradu suo delapsa fortuna domus erat. Cujus rei & si initium causaque nulla traditur, non tamen est ad divinandum difficilis. Nos scilicet a majorum virtute industriaque descivimus. Ibi enim prosperae res bonaeque sunt, ubi ingenium, ubi artes bonae coluntur. Ab inertia socordiaque Fortuna longe refugit. Illi foris arma tractabant: labore, periculis, sanguine ipso laudem decusque sibi ac familiae mercabantur: domi honestis studiis aetatem transigebant; contendebantque officiis & modestia cives, comitate & magnificentia hospites demereri. Nos eadem arma, adversum justos hostes tradita, per civiles dissensiones ac discordias, domi exercuimus: ut prope saepius bona familiae in fiscum redacta, quam ad haeredes transmissa sint. Cujus pestis & si non iniqua origo videatur, (si quidem verum est, quod nos ea de re a senio-

Cur retro res labuntur.

Origo dissensionum.

nioribus accepimus) exitus tamen calamitosus extitit. Initio cum in Florentini populi ditionem translati ab Eugenio Pontifice sumus, adjunctum conditionibus ferunt, pactoque conventum, ne quid novi tributi imponi nobis liceret, neve novum ullum exigi vectigal. Quod cum Florentini (nec aliter facturos credi poterat, nec id a reliquorum quoque principum consuetudine abhorret) promissum violarent, nec tamen vim adhiberent, sed a volentibus subiri nova onera, & sponte ferri praeoptarent, id agebant, ut cives non adversarentur. NN, una e primoribus urbis nostrae familiis, & maxime numero pollens, cum Gratianos ob antiqua in Guelfos merita, quorum memoriam nondum penitus oblitteratam apud Florentinos credi poterat, aliquo in pretio fore arbitrarentur; ut & ipsi novorum dominorum gratiam inirent, conatui favebant, sociosque consilii aliquot, ab eodem studio conciliandae gratiae, cives habebant. Nostri contra pugnabant; &, majorum suorum perpetuo instituto insistentes, civitatis jura tuebantur, & pactorum fidem ratam esse optabant. Atque idem sentiebant contendebantque Ruberti, Catanei, Bernardinii, Alexandrii, Bubulci, Docti, Palamidessii, & prima quaeque familiarum. Non dubium fuit, quin illi rem obtinerent, & auctoritas Florentinorum praevaleret, penes quos etiam cogendi potestas erat. Sed quantum NN. Florentiae inierunt a magistratibus gratiae, obsequendo eorum voluntati, tantum Nostri, patriae illo patrocinio, ab universis civibus benevolentiae atque studii traxerunt. Nec tamen Florentinos Patres offenderunt; qui, non officii detrectationem illam, sed fidem erga patriam esse intelligerent, & privatim etiam collaudarent. Verum hinc caepta inter utranque familiam contentio, in tam saeva odia brevi exarsit, atque adeo infestis animis in partes inimicitiasque discessum est, (cum alteri Florentinorum magistratuum haud dubio favore tumerent, sibique plus aequo fiderent; alteris animos, satis sua sponte elatos, studia civium adderent) ut civitatem saepe seditionibus tumultibusque turbulentissimis agitarint; interdum etiam in ultimum discrimen adduxerint. Nam & illis aliquot se familiae junxerant, atque ipsi per se magno numero erant; & Gratianorum nomen cum optimus quisque civium, tum plebs pene omnis sequebatur, adeo horum aemulis infensa, ut anno MDXXXVII. pene novi, atrocis certe ac saevi exempli rem sit ausa. Singulas memorare caedes, tum, ne longior aequo sim, supersedeo, tum, quia

nec

nec operae pretium fuerit, nec fine dolore atque infectatione infani certaminis fieri poffet; in quo viciffe, quam vinci, exitiofius fuit. Illud tamen non videtur praetermittendum, in quo non parva origo ejus mali, quod infecutum eft, refidet. Irati infenfique praecipuo odio NN. erant Simeoni Gratiano, Benedicti filio, qui Mevania cognominabatur, homini inquieto, ftrenuo, manu prompto: cujus vim ferociamque experti illi magnopere formidabant, fic, ut ad eum tollendum prope univerfi confpirarent. Nacti folum, cum duo eorum nihil fufpicantem ac rei fuae intentum a tergo aggreffi, arrepto repente crure, ad terram traxiffent, caeteri undique coorti multis vulneribus occiderunt: adeo conferti, adeo cupide jacentem conficere properantes, ut e fuis quoque aliquot fauciarint, & Bernardinus NN, cui Borchiae cognomentum fuit, haftilis aduncum ferrum alte fublatum dejiciens, Angelo filio manum praeciderit. Gratiani, re audita, pro fe quifque, ad vindicandam injuriam occurrunt. Ac tum quidem Horatium NN, Thefei filium, adepti occiderunt. Caeterum, & fi concurfum fit ad eos ab incitantibus ad ultionem, & operam offerentibus, (nam, difficile dictu eft, quantum irarum apud univerfum populum Mevaniae caedes fuccenderat: & praeterea incitabat magnopere multitudinis odium, paribus infidiis occifus ab iisdem, Bernardinus Alexandrius, vir primarius, &, ob vitae fplendorem ac lenes & manfuetos mores, magna apud omnes cives gratia:) tamen, quia illi, ut in re praemeditata, fe fe amicorum & clientum manu egregie communierant, opperiendum tempus fuit, quod ipfa fpe maturius opportuniufque obvenit. Interfecerat Florentiae Alexandrum Medicem, Ducem ac Principem civitatis, Laurentinus familiaris & neceffarius ejus; nefario quidem atque execrando fcelere, fed quod, ex fucceffione Cofmi, civitati in bonum vertit: quae, pro inconfulto, & luxu ac libidine perdito juvene, & fui juxta ac reip. incuriofo, continentem, temperatum, intentum atque altae indolis Principem eft nacta: cujus virtute, & Florentina res conftituta, & Mediceae domus potentia regnumque fuis aliquando ponderibus libratum ac ftabilitum eft. Verum, Alexandri caede nunciata, non Florentiae folum in magno motu animorum fuerunt, fed exules quoque, tam qui pulfi legibus ob facinora, quam qui voluntarium exilium, quod unius dominatu teneri patriam inique ferebant, fibi ipfi confciverant, (qui permulti erant, atque aliquot inter eos magnae fortunae atque dignitatis viri) erexe-

Caedes Mevaniae.

Bernardinus Alexandrius occifus.

Alexandri Ducis indigna caedes.

Exules ad novam fpem erecti.

xerant ad novam ſpem animos: nec eam propterea, quod ad Coſmum juſtam in Alexandri locum ſucceſſionem delatam Florentiae a magiſtratibus eſſe audiſſent, depoſuerant; partim contemptu aetatis Coſmi, qui XVIII. annum non exceſſerat, partim quia non ſponte ſua cives ad id conſilium deſcendiſſe, ſed metu armorum militariſque praeſidii, quod Coſmi fautores anteverterant in urbem inducere, coactos intelligebant. Convenerant igitur Bononiam magno numero, ac de reditu ſuo in patriam conſultabant, haudquaquam concordibus ſententiis. Nam Joannis Salviati Cardinalis (is avunculus Coſmi erat) & Philippi Strotii conſilia a vi atque armis abhorrebant. Joannes, quia Caeſarem offendere, ne adverſarium in petitione Pontificatus maximi haberet, nolebat; Philippus, quia fortia loqui exules pecuniae ſuae fiducia (nec erat aliter) facile ſenſerat; cujus vim ingentem habere eum omnes ſciebant: quam ipſe, partim acceptam a majoribus, partim ab ſe induſtria partam, nequaquam profundere in animo habebat. Hi locum agendi de pace, & rem tolerabili aliqua conditione tranſigendi, quaerebant. Contra Petrus, Philippi filius, ferox juventa, ingenio acer, & gerendae rei cupidus, bellum malebat; & Bacio Valorio, cujus inter exules, ſecundum Cardinalem & Philippum, eminebat auctoritas, hujus ſententiae principi vehementer, poſthabito patre, aſtipulabatur; & cum eo dies noctesque ſeparata conſilia habebat. Praeter Florentinos, aliarum quoque urbium exules ad ſpem novarum rerum Bononiam undique confluxerant. Non enim ſolum Florentiam, ſed aliorum quoque populorum, qui civitatis imperio continentur, animos Alexandri caſus commoverat. Quorum, qui inteſtinis inter ſe diſcordiis factionibuſque diffidebant, excuſſo magiſtratus & legum metu, paſſim vi atque licentia graſſabantur. Sed nuſquam majori impetu, ad opprimendos adverſarios exſatiandaque, inimicorum caede, odia, concurſum eſt, quam Piſtorii & Burgi: nec aliae ullae hoc morbo tam aegrae civitates erant. Exulabat tum Burgo Camillus Gratianus, Camilli hujus, generi tui, avus, non malae vir mentis, ſed factionum facibus vehementer incenſus, quibus Burgus agitabatur. Huic cum Petro Strotio amicitia atque intima familiaritas intercedebat. Itaque ad famam belli, quod ex illo Bononienſi conventu oriturum homines conceperant animis, Bononiam & ipſe cum aliquot factionis ſuae hominibus conceſſerat. Quem Petrus & Valorius, opportune conſiliis ſuis oblatum, laeti accepere. Agitaverant enim

Exules Bononiam conveniunt.

Petrus Strotius.

enim diu inter se illis diebus, ut, quando ad apertam vim parati non dum essent, urbem aliquam, maxime in finibus, furto occuparent, in qua sedem bello haberent; haud vana spe, si successisset incaeptum, secuturas & alias, & magnum ad summam totius rei momentum futurum. Maxime ad Burgum adjecerant animum: ubi forte amicum habebant eum, qui urbi praeerat Alexander Rondinellus: sed sine scitu atque ope alicujus e civibus, qui populum partibus conciliaret. Nec ausurus rem tantam Rondinellus, nec perfecturus, si auderet, videbatur. Camillum igitur peropportune nacti Valorius & Petrus, de Burgo intercipiendo & in fide Florentinae reip. conservando, quando Florentia ipsa armis oppressa teneretur, appellarunt, magnopereque cum eo, ut rem susciperet, egerunt. Camillus, & insita exulibus cupidine miscendi ac novandi omnia, & auctoritate permotus tot illustrium civium, quos nemo arceri patria diu posse credebat; & communi lapsus errore opinantium, Cosmi adolescentiam, in novo nec ullis dum satis firmis praesidiis munito principatu, tantis rerum fluctibus, tantae moli ferendae non esse, adipiscendae in patria novae potentiae vel vanam spem cupide est amplexus. Venerat cum eo Bononiam N. Bartholinus Archidiaconus, homo minime sacerdotalibus muneribus, quibus se addixerat, accommodatus, vafer, audax, factiosus, & odio adversus NN, praeter caeteros, inflammatus. Hic & Christophorus, cui cognomentum Borgiae, praemissi Burgum, portam se exulibus aperturos, prolixe atque ardenter recepere. Rebus constitutis, Petrus Strotius, praetexens alienum aes solvendum esse sibi, tantum a Philippo patre corrasit pecuniae, ut partim praesenti stipendio conscriptos, partim spe & auctoritate evocatos, ad mille milites confecerit; & eos, quam potuit occulte, in castella Hieronymi Pepuli circa Bononiam coegit. Cum convenissent, adeo celeriter, noctu profectus, rapuit agmen, itinere per silvas deviosque saltus facto, ut, cum idib. Apr. movisset, XVII. cal. [1] in Apennini montibus, Burgo imminentibus, Petrus ipse cum antecursoribus apparuerit. Nec caruisset effectu res, magnumque inde negocium exortum Cosmo, novo Principi, foret, nisi patratam pene jam avertisset Deus, & ante, imprudentia Rondinelli, consilia emanassent. Vt cum eo coram colloqueretur, occulte in agrum Burgensem, aliquot ante diebus, venerat Philippus, Valorii

Florentini exules de Burgo occupando agitant.

Camillus communi lapsus errore.

Bartholinus.

Rondinelli imprudentia exulum consilia emanant.

M filius

1 Omnino post vocem cal. subaudiendum est, Maii.

filius. Congressi noctu extra maenia, intentos, & omnia; ut in tam suspecto tempore, circumspicientes quosdam non fefellere. Missus Rondinello est successor Jacobus Spina, fidus Cosmo, & tantae rei nequaquam indormiens. Is exulum cognito adventu, praeter Corbizum, qui in praesidio cum ducentis militibus erat, Othonem Montacutum & Rodulfum Balionum, trepidis nunciis, aliis super aliis ab Aretio evocavit. Nec illi sibi moram ullam fecere. Milites, quot circa se habebant, ducentes, satis valida cum manu in tempore advenere: & Balionus etiam equites levioris armaturae centum in urbem introduxit. Sed momento parvo maximum periculum discussum est. Vix enim tres horae ab eorum adventu ad adventum exulum intercessere. Qui ex superiori loco speculati, & a suis certiores facti, teneri firmo praesidio urbem, cum ipsi ad furtum non ad praelium instructi venissent, retro iter avertere. Eadem nocte, quae diem discessus exulum secuta est, Gherardus quoque Gherardius Florentinus, vir gravis & primarius, advenit a Cosmo missus, magna cum potestate in omnes vitae necisque. Videre te hic videor, frater, contrahentem supercilium, mirantem, ecquid in mentem venerit mihi de Camillo id memorare, cujus obruenda nobis memoria esset. Equidem non prolapsum in fraudem eum mallem, ac, si possem, errorem ejus magno redimerem; qui non id solum tentanti Strotio adfuit, sed etiam, cum ad Montemurlum armati exules progressi sunt, illum est secutus. Et ferunt, Camillum, cum Philippum & Valorium licentius in iis locis, quam in hostico oporteret, versantes sine ullo justo praesidio videret, etiam atque etiam monuisse, ut se inde in tutum reciperent: quod cum neglectum ab iis consilium esset, Camillum Bononiam rediisse, atque illos mox inopinato adventu hostium oppressos, captos omnes esse. Non tamen est, frater, quod magnopere commovearis. Primum, novus erat Princeps Cosmus, nullis dum actis potentiae radicibus, nullo dum specimine sui dato: ea aetas illius, quae, etiam in succedentibus ad minime ambiguum jus, contemni solet; ut non alii solum, sed ii ipsi, qui Principem eum fecerant, in difficili ac lubrica regnandi ratione versari eum confiterentur; usque eo, ut mater quoque ipsius, cui & unicus & unice carus erat, accuratis precibus diu deterrere eum a consilio capessendi ejus honoris conata dicatur: metu videlicet tam ancipitis fortunae periculique, quod subibat. Deinde, motum ab exulibus bellum, & ci-

Burgus praesidiis adversus exules firmatur.

Exules irrito incaepto abeunt.

& civile videbatur & reddendae patriae libertatis speciosum titulum praeferebat: & Camillus extorris & exul, & amicitia Petri Strotii, juvenis nobilitate, opibus, clientelis, gratia, spe florentissimi, illigatus, odiis insuper civilibus domi, & factionis studiis stimulabatur: ut potius dolendum, quam mirandum sit, hos eum veluti marinos aestus transversum egisse, rationesque illius ad earum partium scopulos appulisse, quas demum & causa & exitus damnavit: in quibus ipse fortunarum suarum omnium naufragium fecit. Verum Cosmo hinc vel praecipua materia firmandae dignitatis sibi liberisque sumpta: siquidem firmissimum Imperii vinculum est ipsa parentium voluntas. Quod enim jus non poterat, spectatae clementiae laus obtinuit; ut, qui ante aversis mentibus potentiam ejus detrectabant, benignitate & ignoscendi facilitate victi, etiam libentibus animis paterentur. Quot enim contra infesta arma tulerant, qui, bello confecto, reditum in patriam a victore impetrarunt? (in quibus fuit ipse Camillus: quamquam eo beneficio usus non sit.) Reditum dico? qui venia, vita, fortunis donati, honoribus etiam restituti sunt. An non haec ipsa virtus ex acerbissimis inimicis fidissimos illi ministros dedit? Non est longe vagandum: exemplum in conspectu atque in oculis habemus: neque enim plura referre necesse est, cum innumera sint. Montacutus, is, qui civem nostram Jo: Taurini filiam duxit uxorem, cui, quia glaber erat, cognomentum Anui fuit, vir egregie fortis & peramplis militiae muneribus functus, non ne hunc ipsum Petrum Strotium secutus adversissimum se potentiae Cosmi praebuit, non nascenti illi ac dubiae, sed adultae jam & confirmatae? Non ne is, cum saepe antea, tum, Senensi bello, avertere ab eo Aretium, ubi amicos propinquosque habebat multos, summo studio tentavit? Nonne, parum succedentibus consiliis, etiam vi, admotis militibus, irrumpere in urbem est conatus? At hunc ipsum Montacutum, non solum restitutum suis, sed commissam fidei & custodiae ejus Pisarum arcem, & in honore gratiaque apud Cosmum vidimus. Et quota quaeque est familiarum nobilium Florentiae, ex qua non aliquis in eadem noxa fuerit? ut, nisi ignovisset utrisque [1] Cosmus, vix habiturus fuisse videatur, quibus imperaret. Quam multi etiam ex populis imperio parentibus? Natura hoc sit civilium armorum, frater, partiumque dissidentium, ut alii alias sequantur;

Cosmo ex clementia firmatur regnum.

Montacutum in gratiam recipit Cosmus.

1. Puto legendum *plerisque* non *utrisque*. Sed hoc habet autographum.

tur; ut quemque aut studium suum, aut aliena auctoritas aut sors aut necessitas traxit. Offensam, qualiscunque contracta sit, mutata temporum ratio omnem abstersit. Nos modo id praestemus, frater, id Carolo tuo, id posteris nostris commendemus, ut fidem erga Principem sancte colant; secundum Deum & Religionem, antiquius nihil habeant; pro ea vitam quoque & sanguinem profundere, si res poscat, non vereantur. At Cosmi hanc ignoscendi facilitatem non gloriae solum plenam, sed salubrem dominantibus esse, cum ipsa ratio docet, tum summorum virorum exempla confirmant. Quorum duo, maxime insignia, recensere non videtur esse, cur nos pigeat; vetus alterum, alterum hujus seculi. Augusto Caesari, in quem Scriptores regnandi artes laudesque omnes certatim conferunt, tamdiu cum insidiantibus vitae suae anxia ancepsque luctatio fuit, quamdiu ipse severius in iis ulciscendis versatus est. Neque enim suppliciis grassando deterreas hominum odia, sed acuas alasque; nec unum, quantumvis sontem, punias, quin multorum adversus te irrites iram. Paena quippe haeret in uno, ignominia & dolor ad plures, etiam ad posteros, permanat. Stulta fiducia metus est. Neminem acrius odimus, quam quem timemus. Quis tam temere credidit conjurationes indicantibus, aut ipsas conjurationes crudelius vindicavit, quam *Nero*? qui, cum nihil deprehendisset, ipsam suspicionem suam, plerumque a mala conscientia ortam, punivit: *donec eo ipso, quod paenarum atrocitate discutere moliebatur, oppressus est*. Nimirum spernitur periculum; ubi praevalet ira; urensque vindictae cupido stimulat animum; & alienam vitam in manu habet, qui contemnit suam. Augustus, Salvideno consciisque interemptis, non terruit Lepidum, quo minus eadem auderet; non hujus paena Caepionem, non hic Murenam, nec Murena Ignatium; non denique hi omnes Cinnam; quem conspirasse in necem suam, tam grave Augusto, quam inopinatum, accidit. Ac initio quidem eo ferebatur, ut parricidae ac latronis morte salutem sanciret suam; idque ut exequeretur, vocari in sequentem diem amicorum consilium jusserat. Interim magno ipse consiliorum aestu agitari ac distrahi: quoties paribus appetitus insidiis esset, quam multos ipse ab pari causa neci dedisset, secum reputare: quando se quietam tutamque a fraude vitam victurum? quem finem aut periclitandi aut ulciscendi futurum sibi, si eo modo res agatur? aut succumbendum insidiis, aut abolendum omne nomen nobilitatis, & cum dissimilibus sui vivendum. Ergo juvenem summo

Duo nobilia clementiae exempla.

Augustus Caesar.

Odia suppliciis intendi, non comprimi.

Nero.

Cinna in Augusti necem conjurat.

Anceps animi Augustus.

loco natum, Magni Pompeji nepotem, faede cruciatum, publici carnificis manu necari aſpiciet Populus Romanus? Pauci ſcelus cogitati facinoris credent: omnes ſua ſaevitia, ſua fraude, ſuo internecino in clariſſimi viri progeniem odio circumventum exiſtimabunt: unum denique omnes omnium voces increpabunt. Ne, qui credent, quidem, aequos fore ſibi: ſuis injuriis, ſuis contumeliis inſanire ac furere coactum ferent: neque enim in juſtos & bonos principes conjurari: ita verſurum omne in ſe invidiae ejus incendium, unde novae ſubinde ad ſui perniciem faces irarum accendantur. Adverſus haec, pati ne poterit vivere & in ſuis verſari oculis eum, qui tam impium in ſe machinari facinus eſſet auſus? Ad id ergo tot bellis ſe, tot praeliis terreſtribus navalibuſque, tot periculis, tot caſibus ſuperfuiſſe, ad id ſtabilitum Populi Rom. imperium, ad id fundatam ab ſe pacem, datamque terrarum orbi eſſe, ut in unius adoleſcentis gloriam caderet? Vt tutum ſe ab illius ſcelere ſua vigilantia praeſtaret, an tacitas hominum exiſtimationes ſpernendas ſibi? Neminem ſponte ac benignitate ſua conſervatum illum; omnes, aggredi & violare juvenem, animis, nobilitate, gratia Populi Rom. fidentem, veritum opinabuntur. Ita timidi, non clementis, famam ſe eſſe laturum; & improborum audaciam non beneficio vinci, ſed impunitate conciri. Ab his rurſus animum ad clementiae nomen referebat, invituſque adducebatur, ut necati tam clari juvenis invidiam ſubiret. Hac tam ancipiti cura diſtractum aeſtuantemque, nec ſomnum nec quietem capientem, tori ſocia Livia compellare auſa, oravit, ne ſe ignaram ſineret ejus, quicquid eſſet, quo tantopere angeretur. Cum ei Auguſtus conjurationis ordinem auctoremque aperuiſſet, & ſi, ut par fuit, vehementer eſt commota, animo tamen minime muliebri, hortari inſtitit virum, ut bonitatis & manſuetudinis gloriam amplecteretur: qua & tutior multo futurus, & fama in coelum aſcenſurus eſſet. „ Imitare, inquit, medicos, qui, cum aegrum, datis medicinis, minime levari intelligunt, commutant medendi rationem, & contraria prioribus remedia adhibent. Expertus inutilem in puniendo ulciſcendoque ſeveritatem, atque adeo intendi inde incitarique invidiam atque odium noſtri, & ex punitorum ſanguine novam ſemper veluti renaſci puniendi materiam, abjice damnoſum conſilium, atque contrariae inſiſte rationi. Experire, quantum clementi ac benigno animo remiſſum jus a ſummo & ad duram legum normam exacto differat jure. Quan-

Liviae conſilium viro allatum.

„ to

„ to illius scelus atrocius, quanto apertius, tanto tua ma„ jor atque illustrior gloria fuerit: nec ab illo erit ultra, „ quod timeas, & obstricto tibi tanto tuo beneficio, & edo„ cto, nihil tuam vigilantiam fugere. Data erratis venia „ feroces quoque animos flectit ac mollit; acerbitate suppli„ ciorum vel imbelles & mites accenduntur. Ulcisci ac per„ sequi injurias privatis fortasse non indecorum; principis „ certe fastigio humilius est: quem publicas punire contu„ melias convenit, suas spernere. „ His a Livia aliisque multis in eam sententiam dictis, non sedatus modo est Augusti animus, sed, quo sponte sua inclinabat, penitus impulsus. Actis igitur uxori gratiis, ubi illuxit, amicos, qui ejus vocatu convenerant, dimisit, atque acciri Cinnam jussit, introductumque propius accedere, & allata sella considere cum jussisset, remotis omnibus arbitris: „ Recipe, inquit, mihi, Cinna, te, quae dicam, patienter auditurum, „ neque dicentem interpellaturum: respondendi enim vicissim, „ quantam voles, copiam faciam tibi. „ Quo annuente, rursus Augustus: „ Ego, Cinna, cum ex meorum hostium acie „ hostis ipse hostilique ortus domo, in potestatem meam ve„ nisses, vitam concessi tibi, & cum vita patriam, bona „ fortunasque omnes reddidi: auxi etiam atque amplificavi „ sic, ut victi fortunae victores inviderent. Sacerdotium, „ quod a me petisti, tradidi tibi, negatum iis, quorum pa„ rentes pro mea victoria pugnarant. Pro tantorum bene„ ficiorum gratia tu occidendi mei consilia inivisti. „ Exiliente hic atque exclamante Cinna, &, veluti ad rem novam nec cogitatam sibi, obstupescente: „ Jam nunc, in„ quit Augustus, a promissis tuis discedis, qui silentium pol„ licitus mihi, non praestas. Tu tu, inquam, in meum ca„ put conjurationem impiam conscivisti; tu de mea caede „ cum tuis agitasti: nec interficere solum me, sed sacrifi„ cantem, tanquam sceleris vestri victimam, mactare, & sa„ cratas aras meo sanguine polluere cogitastis. „ Quo inde loco, qua die, quibus sociis, quo denique ordine modoque aggredi se statuissent; qui etiam sermo ab eo cum consciis, & ubi habitus fuisset, prompsit. Perculso his Cinna, & conscientiae manifesto, attonitoque simili terram intuente, perrexit Augustus: „ Quo id meo merito, Cinna? & quo, „ quaeso, tuum spectavit consilium? An ut imperares? id„ que assequi te, nisi me sublato, non posse credidisti? Sci„ licet nihil aliud tam vastae cupiditati obstat. Tuam ipsius „ domum tueri, & adversus hominem libertinum, quo cum

Augusti ad Cinnam oratio.

„ lis

„ lis erat tibi, obtinere nuper causam nequivisti: & nihil
„ aliud obstare tibi, quam Caesaris vitam, ad Caesaris lo-
„ cum occupandum, arbitraris? Cedam ego imperio, si
„ solus spes tuas moror. At L. Paulum, Fabium Maximum,
„ Cossos, Servilios totque alios clarae nobilitatis viros, qui
„ genere suo virtute inferiores non sunt, te sibi praeferri
„ passuros esse censes? Falleris, si imperium scelere parari,
„ aut aliter, quam nutu ac numine divino, dari existimas. „
Executus est deinceps bene longam orationem, quam refer-
re nobis operae non est. Qua perorata, adjecit: „ Vitam,
„ Cinna, quam antea hosti tibi dedi, proditori quoque ac
„ parricidae reddo. Age nunc, praeteritis aeterna oblivio-
„ ne deletis, amicitiae mecum fac veluti novum initium ca-
„ pias: & experiamur, ab utro nostrum sanctiori fide fue-
„ rit culta; a me, qui bis donavi vitam tibi, an a te, qui
„ accepisti. „ Atque ita incolumem dimisit. Nec multo post,
etiam consulem, qui, secundum Caesaris potentiam, summus
erat in urbe magistratus, ultro fecit; questus, quod ipsi,
ad eum honorem a se petendum, parum animi fuisset: &
exinde in intimis amicorum semper habuit, atque ab eo hae-
res bonorum suorum testamento est scriptus. Et, quod ca-
put est, tantam ejus clementiae & facti fama gratiam a Po-

Augustus ignoscendo se tutum praestitit.

pulo Rom. inivit Augustus, ut, post id tempus, nullam,
quamdiu vixit, conjurationem sit passus, nulliusque amplius
fidem suspectam habuerit: omnes, non jam metu, sed pu-
dore violandi tam benignum principem, continente. Fran-

Franciscus Dux Guisiae.

ciscus Lotharingus, Guisiae Dux, qui inter Galliae ulterio-
ris principes, superioribus annis, magnitudine animi & rei
militaris gloria longe enituit, magnisque saepe exercitibus
Gallorum praefuit; in funesta illa Galliae defectione, quae
ab Vgonoviorum [1] ducibus, per speciem propagandae novae
ac sacrilegae religionis, novae opes atque adeo regnum ipsum
petebatur, summum belli jus imperiumque erat adeptus.
Nam, suspecta ac labante prope omnium fide, unus pro in-
columitate pueri regis impigre pariter atque incorrupte ste-
tit; unusque maxime conatibus impiis Vgonoviorum se obje-
cit,

1 *Vgonovios* perpetuo Auctor appellat, quos reliqui *Hugonotos*, nescio quud etymon sequutus. Sed ne Hugonotorum quidem appellandorum satis certa ratio traditur. De qua re Spondanus in Annalibus ad an. 1560. num. 10. „ Observant autores, hoc primum „ tempore Calvinianos in Gallia coepisse dici Hugonotos: nec tamen „ de vocis origine, quae multiplex „ affertur, adeo consentiunt. Conveniunt plerique, deductam a porta „ urbis Turonis, quae regis Hugonis „ appellatur; ad quam Calviniani sua con-

cit, audaciamque repressit, sic, ut Vgonovii, eo amoto, & regem & regnum in manu sua fore existimarent. Et erant in illa secta multi regii etiam sanguinis Principes, quorum auctoritatem maxima jam Galliae pars, ea pravitate corrupta, sequebatur. Horum instinctu undique Guisio fraudes struebantur; quando ad apertam vim inferendam nec virtute nec armis pares ei erant: a quo, quoties congressi acie sunt, victi profligatique abierant. Et tum ille Rhotomagum, validam urbem, interceptam ab iis, magna vi obsidebat. Summiserant e sua factione Andegavensem quendam, non postremae dignitatis & nobilitatis hominem; qui, fidei & benevolentiae simulatione, locum insidiis captaret: cui a magistris impietatis persuasum fuerat, gratissimam Deo hostiam immolaturum, ac longe maximum novae, ac, ut ipsi per scelus jactabant, coelesti disciplinae beneficium allaturum, si Guisium quocunque modo oppressisset. Atque ille ita imbiberat hanc animo opinionem, ut etiam non inquinaturum tam faeda proditione ac latrocinio genus nomenque suum existimaret. Data igitur opera est, ut is, amicorum Guisii commendatione, se in aliquod familiaritatis jus apud eum insinuaret. Et ille quidem aditum nactus, qui facilis ad Guisium, propter humanitatem ejus liberalemque naturam, *erat*, non frequens solum, sed pene assiduus in ejus domo esse, deducere, affectari, summum observantiae ac navandae operae studium praeferre. Interim speculari diligenter omnia, &, qui locus, quod tempus patrando *facinori aptissimum*, & secum ipse animo volvere, & clam cum consciis confer-

re.

Vgonovii percussorem Guisio summittunt.

„ conventicula celebrare consueverant.
„ Quidam expressius; quod cum singulae Galliae urbes peculiaria nomina habeant, quibus Mormones, Lemures, Mandueos & caetera hujusmodi monstra inania anilibus fabulis ad incutiendum infantibus ac simplicibus faeminis terrorem vulgo indigitant, Turonis Hugo rex celebretur, qui noctu pomoeria civitatis obequitare, & obvios homines pulsare ac rapere dicitur: ab eoque Hugonoti appellari fuerint, qui ad ea loca, ad conciones audiendas, ac preces faciendas itidem noctu agminatim conveniebant. At convenientissime id quidem, si mores eorum, studia, conatus, seditiosa turbulentaque consilia spectes; si saevitias & crudelitates in Deum, Ecclesiam, Regem, Patriam, divinas & humanas leges, omnes bonos, quibus ingentem ubique & terrorem, & horrorem strepitumque Acheronris primum, deinde perniciem & subversionem attulerunt . . . Hugonotorum non adeo ineptam olim retulimus rationem sumptam a voce faederis Helvetici, qua se invicem *Eydgenossen* vocitant, male a Gallis pronunciatam. Seu denique, ut alibi eam interpretatam reperimus, ad rem item convenientissime, quasi *Hens-guenaus*: quod apud eodem Helvetios significat gentes & homines seditiosos. „

re. Dum ille haec deliberat, occasionemque aucupatur, ab uno conſciorum indicium ad reginam, regis matrem, defertur; atque ab illa Guiſio omnia aperiuntur. Cujus tanta fuit animi cum magnitudo tum bonitas, ut nihil de illo in vincula rapiendo, torquendo occidendoque cogitarit: ſed, re ſilentio tecta, biduo poſt, cum ad viſenda opera progreſſus, ad fanum Catharinae, unde Rhoto magi maenia tormentis quatiebantur, ſpatiaretur, & cum eo eſſent Jacobus Amiotus Epiſcopus, regis, ut Galli vocant, Eleemoſynarius, & alius item Epiſcopus, conſpectum forte Andegavenſem Guiſius vocari ad ſe juſſit. Venit ille quidem extemplo: ſed, cum in conſpectu fuit Ducis, & ſe gravi ac ſevero vultu accipi ab eo animadvertit, ictus conſcientia ita expalluit, ut facile, quae de proditione ejus delata erant, vera eſſe appareret. Cui Guiſius. „ Cauſam, inquit, cur „ accerſitus a me ſis, divinaſſe te, ſatis ipſa vultus tui per- „ turbatio confuſioque demonſtrat. Cave igitur, ne, quae „ cognita mihi explorataque ſunt, inficiando, delicti tui cul- „ pam graviorem facias. „ Et prior ipſe, quibus auctoribus, quorum hortatu impulſuque rem ſuſcepiſſet; a quibus immiſſus; qui ſocii facinoriſque adjutores dati illi; quae & quo tempore quoque loco cum iis de ſua nece conſultaſſet, diſſeruit, nominibus etiam ſingulorum editis. „ Atque haec, „ inquit, promenda fatendaque ſunt tibi, & tota ordine „ exponenda conjuratio. „ Ille vero, ubi patere omnia, ſeque proditum eſſe intelligit, nec inficiandi ſibi nec defendendi locum relictum, fractus atque amens metu, nihil aliud, quam ſe ad Guiſii pedes abjecit, & veniam miſericordiamque ejus ſuppliciter imploravit. Guiſius jacere non paſſus, benigne allevavit, & timere a ſe quicquam vetuit: effarique ſacratis illis viris coram juſſit, cum nuper admodum in amicitiam notitiamque ſuam veniſſet, an re, an verbo ullo laeſus unquam ab ſe eſſet, aut omnino, quid cauſae, cur ſibi necem machinaretur, habuiſſet. Andegavenſis non ſolum non laeſum ſe ab illo, ſed humaniter habitum, trepidus tremenſque reſpondit; & nullo privato odio ea ſuſcepiſſe: ſed provectum nimio ſtudio ejus ſectae, quam ſequebatur, eſſe; cujus Antiſtites inculcaverant ſibi, nihil quicquam eſſe, quo de Deo, de religione, de patria, de rep. magnificentius mereri poſſet, quam ſi eum partium hoſtem ſuſtuliſſet, qui unus, ne regnum Galliae univerſum nova Sacrorum jura acciperet, obſiſteret. „ Vide, inquit Guiſius, „ quam veſtrae doctrinae immanitas a noſtrae pietatis ratio-

Regina inſidias Guiſio indicat.

Guiſius ad inſidiatorem.

„ ne differat. Illa tibi, me inauditum, innoxium, amicum „ ut proderes occideresque, suasit: mea me tibi, perfidiae „ ac sceleris manifesto falsoque, ignoscere jubet; &, cum „ ipse vitam meam nullo meo merito petieris, ego te, cui „ jure succensere possum, de quo justum capere supplicium „ licet, donatum vita dimittam. Abi a catholicis hisce castris; & posthac, quorum consiliis credas, cautius statue.„ Nullum, ne apud veteres quidem, memini me legisse clementiae specimen praeclarius. Verum nos, frater, ad humiles res nostras, a quibus nos summorum virorum commemoratio abduxit, revertamur.

Guisii clementia & magnitudo animi.

Burgenses praesidium ejiciunt.

Burgenses, ubi, irrito incaepto, abiisse exules, & plenam urbem externis militibus, seque veluti in custodiam datos videre; cum alios conscientia, alios consciorum periculum sollicitaret, omnes metus, ne qua quaestio institueretur, incessisset, (cujus suspicionem Gherardi severitas dignitasque faciebat) animos ad memorabile ausum terrendi ultro, quos timebant, applicuere. Primores civium cum Gherardo & ducibus in foro agunt, ut urbem externo milite exonerarent. Non grave solum sibi cives, sed etiam turpe ducere, si alienis viribus ad urbem suam tuendam custodiendamque viderentur indigere. Quorsum dexteras *sibi*, quorsum data arma, si defendisse patriam alienae opi, *non* suae virtuti, acceptum esset referendum? Respondente Gherardo, deliberaturum se, quid magis tutandae civitati expediret, succlamavit unus: „ Exteri foras.„ *Quae vox accepta* ab aliis, clamore omnium totam momento urbem pervasit: simul ad arma undique discursum. Denunciatum inde militibus, ut excederent urbe. Loca opportuna capta; & vis haud dubie ostentata recusantibus, adeo ferociter, ut Gherardi, Othonis aliorumque voces, ut tumultu absisterent irasque ponerent, orantium, superbe rejicerent. Milites quoque, captis armis, ad signa coiverant; aversis a custodia urbis ad sui tuitionem animis. Sed duces, perspecta populi pertinacia impetuque, cum prope jam esset, ut caedis initium fieret, petiere, ut saltem abire sine injuria milites cum armis & rebus suis paterentur. Atque ita praesidio decessum est: testante palam Gherardo, contumaciam quidem, rebellioni proximam, displicere sibi; sed ferociores homines & audaciores in armis se nunquam vidisse. Ac tum quidem non solum seditio conquievit, sed, inclamato passim Cosmi ac Mediceorum nomine, fausta illi omnia sunt precati: ut intelligeretur, non imperium ejus aspernari ci-

vi-

vitatem, (cum nihil civitates omnes mallent, quam rem Florentinam ademptam civibus, a quibus superbe atque avare imperitatum sibi meminissent, unius potestati subjici, & Mediceae familiae reddi, quae populos semper mansuete & clementer habuisset) sed militare praesidium a militaribus hominibus repudiari, & privato in NN odio omnes sollicitari. Gherardus & Otho sine militibus Burgi restitere, permittentibus civibus; quod Othoni cum multis amicitia notitiaque intercedebat: qui, ne omni prorsus militari auxilio, cujus aliquo pignore fidem obstrictam haberet, oppidum destitueretur, scribere ex ipso populo milites est conatus. Apposita mensa, prolataque pecunia, circummisit, ut mos, cum tympanis, qui volentes ad accipienda stipendia invitarent. Mirum, quod narrant, neminem ex omni populo, qui acciperet, neminem, qui Othonem ejus rei causa adiret, inventum; cum constaret, permagnum Burgi numerum esse eorum, qui stipendia facere, iisque sustentare vitam consuessent. Ea res molestum habuit Othonem, verentem, ne quid majoris fraudis in tanto consensu subesset. Sed docuit exitus, & portas Strotio fuisse aperturos [1], & praesidium refutasse eos, non defectione a Cosmo Mediceisque, sed odio adversus NN, quos Florentiae audiri foverique indigne ferebant. Adeo caute Principes uni tribuere, quod ab universis expetitur, debent; & etiam atque etiam videre, ne, quod gratiae omnibus, ex cujusque merito, dispertiendum sit, id totum una trahat ac praeripiat domus. Saepe enim fit, ut, quantum illa devincitur beneficio, tantum caeterae aemulatione atque invidia alienentur. Nam postera die, cum Florentia rediisset Sandrinus N. elatus, ut videri volebat, favore Principis, ad quem indicium detulerat eorum, qui introducturi in oppidum Strotium exulesque dicebantur, quique ejiciendi praesidii auctores fuerant: & descendens equo, ex limine domus suae minitabundus, ut exaudiretur, vel invitos accepturos jugum, qui detrectare conati essent, jactasset; quo non tam Gratianos, quam populum ipsum visus est perstrinxisse: eaque vox perlata statim ad Gratianorum amicos aliquot, qui forte non longe in-

Burgenses stipendia renuunt.

Quid Principi cavendum.

Sandrinus occiditur.

 de

1 In autographo *aperiturer* legitur; & quoties in hoc opere id participium occurrit, haud alia inflexione occurrit. Librarii peccatum, ab auctore nimirum animadversum, existimans, eo modo correxi, quo semper apud Latinos veteres me legere memini. Utinam Jacobum Facciolatum meum liceret mihi nunc per intervalla regionum convenire, eumque tamquam quoddam universae Latinitatis oraculum hac super re consulere! Nae ille me, in ea non nihil, ob Gratiani auctoritatem, incertum, responso sententiaque sua certum dimitteret.

de aberant, esset: extemplo indignatione perciti eo feruntur, & arreptum Sandrinum, domusque suae aditu in viam protractum; exprobrantes infame munus rimandi observandique singulorum dicta factaque, & ad magistratus clam deferendi, cum duobus aliis, qui opitulari illi conati sunt, obtruncarunt. N. Rigius, Nicolai filius, qui & ipse ad opem Sandrino ferendam accurrerat, gravi accepto vulnere, fuga est elapsus. Hac patrata caede, cum Gherardus & Otho ne reprehendere quidem factum ausi essent, ne malum remedio irritarent, nemo tum quidem se commovit. Sed Gratiani, quique Gratianos odio adversus NN. anteibant, ipsa impunitate audaciores ad omnia facti, noctu inter se colloquuntur; &, memorata Mevaniae indigna caede, malisque adversariorum artibus increpitis, statuunt utendum tempore, quod fortuna obtulisset, dum silerent leges, dum magistratus auctoritas omnis concidisset, dum populus promptus & sponte sua infensus communibus inimicis, & capiendae ex iis vindictae avidus esset; neque expectandum, dum revalesceret jus imperii, cunctaque sub leges redirent, ipsisque inde indiciis subjicerentur, quibus potentiores adversarii semper fuissent: si concedendum in exilium relinquendaque patria esset, operae pretium extaret. Ab hoc sermone digressi, duodecim factionis ejusdem exules, homines, & ipso exilio & exilii causis, ad quodvis facinus efferatos, accersunt; atque eadem nocte (erant enim in pago proximo, cui a Fano Justini est nomen) in urbem introducunt. Mane postero, & si ob hesternam Sandrini caedem licentiamque & audaciam adversariorum, omnia suspecta NN. essent; tamen, cum nullus tumultus, nullus cujusquam motus, & plenum civibus forum cerneretur, ipsi quoque ad res quisque suas exierant. Tum repente exules armati domo erumpunt, & veluti emissae caveis rabidae ferae, in NN. inque eorum amicos invadunt, &, quotcunque sors obtulit, immaniter trucidant. Adjunxit se statim sociam furoris plebs, ipsis infestior ardentiorque exulibus. Omnia fuga, omnia terrore complentur. Qua proripientes se cerneres; qua aliorum fidem implorantes; qua vulnera cum probris atque contumeliis inferentes. In sepulcris quidam, in cloacis aliisque turpibus immundisque locis, se abdiderant. Ex omnibus latebris protracti necatique sunt, numero decem & septem. Quorum ut augerent ludibrium, traxere pedibus cadavera in forum, per magnumque stravere spatium. Non contenti scelere, sceleris etiam spectaculo frui laetabantur. Cum circa

Consilium accersendi exules.

Exulum furor.

Faeda Burgi caedes.

ca jacentes plebs ludibunda populusque omnis constiparetur, non solum faeda illa specie diraque tot honestorum civium carnificina nihil commoti, (tanta rabies obcaecatos odio invaserat animos, tantum civilibus contentionibus agitatae mentes concipiunt nefas) sed incusantes modo singulos, modo universos, & meritas hunc arrogantiae, illum calumniae, alium aliarum fraudum habere paenas objicerent; unus exulum, homo trux ac ferus, cui, ut credibile est, a moribus inditum Cagnacio nomen erat: „ Ecquid intelligitis, inquit, „ cives, nihil actum nobis horum caede esse? potiusque ani- „ mis nostris justae ultionis voluptatem indultam, & Meva- „ niae manibus parentatum esse, quam affectae, atque hoc „ maleficae & pestilentis familiae morbo laboranti patriae „ medicinam ullam satis efficacem allatam? Nunquam in „ tranquillo sita civitas nostra erit, nunquam delatores no- „ bis, nunquam calumniatores insidiatoresque deerunt, do- „ nec ex intestabili genere quisquam superstes fuerit. Hacte- „ nus quidem quid aliud, quam ramos aliquot, amputavi- „ mus, qui novo germine brevi renascentur? Truncus ar- „ borque ipsa excindenda est nobis radicitusque eruenda ita, „ ut ne fibrae quidem remaneant, si sanatam aliquando ur- „ bem quietamque volumus. En illi nunc metu in duas aut „ tres coivere domos, ut, quod armis nunquam ausi sunt, „ parietibus se objectisque foribus, & obditis pessulis, de- „ fendant. His expugnatis, (quod audentibus viris adver- „ sus faeminis timidiores & tantum dolis & lingua conten- „ dere suetos, facile erit) quid prohibebit, quominus cer- „ tam stabilemque in civitate pacem constituamus? Ite ergo „ mecum, qui de inimica stirpe capere vindictam, & satia- „ ri tandem inviso sanguine vultis. Jam ego faxo, ut in „ iisdem domibus, in quas pleni timoris perfugerunt, fer- „ ro flammisque absumptos, atque ipsas super aequatas so- „ lo domos cernatis. „ Nec difficilis nec vana apud sponte sua furentes exhortatio fuit. Vadunt truces impetu, divisis inter se muneribus; ut uno omnes tempore oppugnarentur. Nec NN. initio segniter se tutabantur. E fenestris superioribusque locis, telis, lapidibus, ferventi etiam aqua, subeuntes arcebant. Sed populus certamine ipso incensus, ac magis atque magis irritatus, paleis, fascibus, sarmentisque convectis, ignem admoverant. Jamque non fores solum ardebant, sed ad ipsas quoque aedes pervenerat flamma. Simul ex proximis domibus in tecta evaserant; &, detractis tegulis, ab illa quoque parte armati irrumpebant: at-

Cagnacii oratio amentiae plena.

Impetus insanientis plebis.

atque in arctum adducta res videbatur. Interea Gherardus & Otho & Florentinus magistratus, qui initio tumultus, cum intrasse urbem exules accepissent, domi se continuerant, incerti, quo motus ille spectaret, & ipsimet urbi magnopere timuerant; ubi privatam vim, privatum dissidium, &, nihil e re publica peti, intellexere, ad sedandum tumultum prodierunt. Verum neque auctoritate neque precibus apud amentes ira, atque ipso pugnae ardore inflammatos, quicquam proficiebant. At illi, qui in supremo discrimine versabantur, instantibus hinc ferro atque minis inimicis, illhinc grassante flamma, flebilibus vocibus Othoni & Gherardo suam suorumque salutem commendabant. Postremo pollicebantur, si salvi emissi essent, Burgo se abituros cum liberis & conjugibus suis, translatisque rebus alio habitatum demigraturos, relicturosque patriam, in qua tanto se odio civibus esse intelligerent: miserabiliterque ipsos quoque orabant inimicos, ne in supplices & ipsa iis urbe cedentes ad ultimum saevirent. Hanc conditionem ut populus acciperet, summo studio Gherardus & Otho contenderunt: &, adhibitis Gratianorum quoque ipsorum precibus, tandem impetrarunt. Gratiani in toto illo motu, sumptis armis, circa forum domosque suas, veluti spectatores, constiterant: nec ipsi per se quenquam violarunt; & quibusdam, dato effugio, saluti fuerunt: probassque magis, quae fiebant, quam adjuvisse videbantur. Joannem Taurinum, qui jam tum militaribus honorum titulis eminere caeperat, adeo infeste in re versatum ferunt, ut non incitasse solum plebem, sed quosdam etiam sua manu confodisse memorent. Confugerant ex NN. aliqui in domum Marci Franciscii, qui Elissam, propinqua illis cognatione junctam, in matrimonio habebat, spe aut latendi in ea, aut, si proditis repellenda vis esset, tutius propugnandi; quod domus ipsa altior munitiorque caeteris est visa. Hanc quoque oppugnantes incenderant; ignisque jam ad tecta pervaserat. Receperat se metu in partem superiorem domus Elissa: unde interclusae amplius ad fugam receptus non patebat; quod cuncta corripuerat flamma. Vociferabatur illa, vapore jam undique circumventa, fidemque Dei atque hominum implorabat. Et movit tam instans periculum matronae integrae aetatis & formae spectantium animos. Quod te ipsum narrare solitum memini, frater; qui tum puer, vix dum sevennis, Julium parentem nostrum secutus, ei spectaculo interfuisti. Parens, ad eam eripiendam, praelongam e proximo Francisci fano scalam afferri jussit; qua admota, hor-

Gratiani spectatores.

Elissa.

hortatur, ut se per eam demitteret. Cunctabatur illa; nec tam atrociter furentibus committere se, videbatur audere. Credidit demum Julio patri, benigne invitanti, & ponere omnem metum jubenti, quando non cum faeminis, sed cum viris, illud esset susceptum certamen: recaeptamque incolumem praestitit, viroque reddidit. Et re, ut ostendimus, composita, magnae curae habuit, ut restingueretur ignis, ne totam vastaret domum, scienter & honorifice a Petro Franciscio, cujus supra [1] meminimus pernobili aetatis suae Architecto, aedificatam. Versatum quidem clementius in tota illa re Julium patrem de multis accepi, praecipuumque auctorem populo fuisse accipiendae conditionis delatae a NN. de discessu eorum. Sed, praeter caetera, studiose Elissam domumque ejus servavit. An aliquid praesagivit patrius animus, frater? an tuam aliquando eam domum, tuamque Elissam socrum futuram praesensit? Triginta enim post annos, Hiolantem [2], unicam filiam, cum domo fortunisque suis, tibi in matrimonium tradidit: tuque domum, qua [3] diruta incendio erat, restituisti. Sed ut ad NN. revertar: ut, placata non nihil multitudine, aut certe a furore atque impetu revocata, e praesenti discrimine exempti sunt; caeperat spes, Othonem flecti etiam ad ineundam cum iis pacem posse. Sed, re tentata, tantum non in pristinam rabiem atque vim retrusit: adeo ejus mentionem aversati sunt omnes. Jussi igitur discedere NN. nec ulla concessa imperii dilatio. At, quibus, dum majus circumstabat periculum, pro maximo munere dimitti fuerat, igne telisque summotis, ipsum quoque patria, domo fortunisque abigi, durum jam miserumque videbatur: donec, clamoribus plebis, & maxime Cagnacii truci ac minaci voce, abire, excedere, festinare ac liberare oculos, jubentis, territi sunt. Tum praebuere spectaculum non quidem, quale illud, cum ignis, ferrum, caedes & mors intentabatur, tetrum atque horrificum, sed tamen haud minus triste: dum huc atque illhuc faeminae, pueri virique discurrunt ad tollendas colligendasque res quisque suas; hinc metu, hinc dolore muliebribusque lamentis, hinc ipsa festinatione praepediti confusique; nec quid agant, nec quid secum ferant, nec quid relinquant, satis sciunt; pa-

Mentione pacis recrudescit seditio.

Coguntur abire.

1 Vide lib. 1. pag. 41. ubi de Pictoribus Architectisque Burgensibus.

2 Haec est autographi lectio. Quid si *Violantem* legamus?

3 Nihil de menda verendum. *qua*, subaudi *parte*. neque enim, ut proxime demonstratum est, tota Franciscii domus, sed ejus pars aliqua conflagrarat.

pariter animo atque consilio destituuntur: dum inde parvos liberos infantesque; dum aut praegnantes conjuges aut affectas senio matres componunt; dum sarcinas colligunt, dum jumenta onerant; & mulierum aliae consulunt e fenestris viros, aliae clamant e via, aliae in domum recurrunt, aliae exeunt. Tandem mixtum viris faeminis equisque & jumentis, quibus maxime imbellem aetatem imposuerant, per ora vulgi miserabile incessit agmen; adeo nulla miseratione tam indignae ac tam deformis rei, ut etiam sibilis, contumeliis & malis ominibus abeuntes incesserent. Deduxere extra fines ducenti ferme armati, qui inde in urbem haud secus exultantes gaudio rediere, haud secus excepti ab aliis sunt, quam si insigni aliqua potiti de hostibus victoria fuissent. Factum non insaniae solum & vecordiae plenum, sed novi pene exempli; & eo quoque mirum, quod regressis, qui deduxerant NN. ubi rem festis epulis aliisque, quibus vulgus significare laetitiam suam solet, celebrassent; veluti expletis omnibus, quorum causa insanierant, & tantam ac tam saevam seditionem excitarant: & exules abire jussi, & sponte ab omnibus deposita arma, & magistratui suum jus, & rebus quies reddita est. Sed Cosmus ut civitatem, quae pene alieni juris esse jam videbatur, in potestate haberet, praesidium mille quingentorum Hispanorum in oppidum introduxit: & mox ex auctoritate ejus reducti domum NN. Sancita praeteritorum oblivio, & pax cum inter eos & Gratianos, tum inter caeteros composita: &, quo firmior posteris quoque esset, monumentum ejus lapide inciderunt; si etiam animis incisum insculptumque esset, & major concordiae, quam injuriarum aut acceptarum aut illatarum memoria haesisset. Quamquam illi quidem, qui jungendae interfuere paci, quamdiu vixere, ab illa violanda, seu metu Principis seu fide, abstinuerunt. Quae iis successit juventus, ab ea voluntate constantiaque statim descivit; senioribus assidue refricantibus memorando non dum satis obductas animis superiorum vulnerum cicatrices. Equidem memini, me saepe audisse puerum, primam aetatem ineuntem, credo item te, frater, cum a majoribus natu juvenes incitari dicerentur. Nam Bernardinus N. quem vulgus Borchiam vocitabat, senex exactae aetatis, sed in quo acre & callidum vigebat ingenium, & divitiis & auctoritate apud suos praestabat, crebros habere domi juniorum caetus ferebatur; atque eos non stimulare solum atque incendere ad reposcendas, cum possent, ab atrocibus inimicis ultionis paenas, sed vafris instruere consiliis, quae vi

Exules, ejectis adversariis, urbe excedunt.

Juvenes improbe a senioribus incitantur.

vi atque armis tutiora & efficaciora fore praedicabat, si iis uti scivissent. Quem etiam instituisse quoddam tributi genus, quod ab omnibus pro cujusque facultatibus conferretur, ad sumptus communium inimicitiarum sustinendos, ajebant. At contra Leo Gratianus hunc ipsum Borchiam suos crebris orationibus accendentem imbuentemque pravis consiliis juventutem, increpabat; &, perinde esse violare initam semel ex auctoritate Principis pacem, & ad renovandas inimicitias adhortari, arguebat. At ipse haud minus acriter suos stimulabat, & memores esse jubebat aeterni atque internecini illius familiae in nostrum sanguinem odii, & cavere ab eorum insidiis admonebat; eos alte conditam premere in animis iram, & cupiditatem acceptas ignominias cladesque ulciscendi, ferens, nec ullum unquam nocendi locum praetermissuros. Quin illud etiam atque etiam praedicebat, sperni posse, cum palam inimicos agerent; tum pertimescendos, cum amicitiam simularent, familiaritatemque appeterent: quippe ad vim, ad pugnas, ad pericula haudquaquam tantum audaciae esse iis, quantum ad dolos fraudesque: quarum ajebat miros artifices esse, tradique has artes inter eos per manus filiis a parentibus, atque cum ipso pene lacte exugi: non officiis ullis, non affinitatibus vinci mitigarique. Haec Leo ab exulcerato animo maxime filiorum adolescentium auribus insonabat; nec sentiebat, ipsum se admittere, quod in Borchia tam invidiose increparet damnaretque. Pestifera vero res inficere venenatis sermonibus teneros adolescentium animos: quos inde nisi aut occupatio avertat aut ratio ac disciplina corrigat, quid, nisi pestiferos fructus, gignere necesse est? Quam praestitisset, filios ab horum recordatione malorum abducere, & iis instituere morum atque doctrinae artibus, quibus ipse sane perquam instructus esse videbatur! Fuit enim in Leone summa gravitas, summa severitas, magnum atque omnibus ingenuis studiis eruditum ingenium; ut inter praestantissimos aetatis ejus Jurisconsultos numeraretur. In hoc certe genere laudis, Burgi primae ad eum, omnium concessu, deferebantur. Et ipse, quod rarum inter istos, venalem scientiam nunquam habuit, nec quaestum ex ea, sed gratiam petiisse est visus. Quippe tenuioribus ita patrocinabatur, ut aut defenderet sine pretio ullo susceptas causas, aut lites inter illos auctoritate dirimeret componeretque. Amicis atque adeo omnibus ita patuit semper, ut nemo operam, nemo consilium ejus desideraret. Qua re fiebat, ut & a plebe

Leo, quod in aliis improbabat, ipse admittebat.

Leonis laus.

perstudiose coleretur, & multos civium officiis devinctos haberet, essetque magno apud omnes in honore atque dignatione. Quin ex ipsis quoque NN. eos, qui a Sorice cognominantur, qui alios gentiles suos, cum copiis tum quodammodo etiam vitae dignitate anteire videbantur, benevolentia amicitiaque obstrictos habebat sic, ut, non solum cum aliis suae gentis consilia non sociare, sed etiam ab Leone stare, ejusque tueri partes, crederentur. Ego certe memini, me puerum admodum interfuisse, cum non longe a nostris aedibus Annibal quidam N. quatuorque cum eo alii item e NN. Julium a Sorice in via publica armis aggressi sunt, &, vulnere in faciem inflicto, ita infestis gladiis circumsteterant, ut hominem haud dubie occisuri viderentur, quamvis ille stricto ense strenue se unus adversus plures tutaretur, ni magna voce Gratianorum nomen inclamasset: ad quam vocem erumpentes domo nostri, non solum periculo ac prope praesenti jam pesti exemerunt, sed etiam adversarios in fugam averterunt. Julium Leo, qui cum aliis accurrerat, in domum suam introductum consuto atque obligato vulnere, datis, qui tuto deducerent, domum remisit. Postera die, fratres & propinqui ejus frequentes ad Leonem venerunt; gratiisque actis, vitam Julii se Gratianorum studio, humanitati, virtuti debere palam professi, suam vicissim operam studiumque Leoni ac nostris liberaliter obtulerunt. Caeterum ad Leonem non ex vicinis solum locis quotidie multi, consulendi causa, conveniebant, sed ipse etiam Cosmus Princeps interdum opera & consilio ejus est usus. Vir certe fuit non indignus, cujus cum honore memoria usurpetur, si superbiam ac saepe efferentem se plus aequo animum demas. Quo non solum non lenivit accensa in se inimicorum odia, sed magnopere irritavit. Et illi quidem machinas omnes ad eum labefactandum adhibuere, omnibus consiliis, omni contentione animi eo incubuere, ut illum everterent. Nam & benevolentiam civium fidemque, & studia plebis adversus illum, Florentiae criminari ferebantur: & Burgi varie patientiam tentarunt, multa arte vehemens ingenium ejus lacessentes. Sed Leo seu charitate liberorum seu amore coniugis, quae & forma erat eximia, & pari in virum fide, ne fortunas suas (& pro modo civitatis satis copiosus habebatur) praecipites daret, naturam, quamquam acrem & elatam, cohibuit semper, artesque inimicorum prudentia vigilantiaque elusit: & satis habuit conjecta in se tela retorquere in ipsos, & metu ac minis continere, ne

Amici Leonis a Sorice cognominati.

ne quid palam auderent. Quin huic rationi ejus, & consilii viae debetur, quod circa annum MDXLVIII. in antiqua mala civitas relapsa non sit. Erat Leonis & familiae in primis studiosus Francia Goracius, vir spectatae in re bellica virtutis, quem, ob multa audaciae & fortitudinis facinora, duces, sub quibus militaverat, ex gregario milite, ad ordines promoverant, trecentisque militibus praefecerant. Huic cum Lactantio N. non solum ab studio factionis, sed privatim quoque, magna contentio erat, uter eorum militiae laude praestaret: quae aemulatio ad capitale odium processerat. Et Lactantii dignitas eminebat inter suos, nec ulla militari laude Francia inferior habebatur: quippe & ab pari virtute ad parem militiae ordinem pervenerat, & praeterea recenti fruebatur gloria, quod ex singularis pugnae certamine, quam cum Melchiore quodam a Liniaco, Venetiae oppido, feroci ac strenuo milite, pugnaverat, victor discesserat. Hi, cum forte domum e castris reversi, Burgi essent, & obviam facti, nulla dicta aut reddita salute, minacibus se se oculis respexissent; ne gladiis quoque, quibus succincti erant, illico depugnarent, intercursu multorum prohibiti sunt. Sed ea res ita utrinque animos irasque commovit, ut & Lactantius, ne qua nocturna vis inferretur sibi, multos, e sua gente factioneque eadem, armatos in domum suam contraxerit; & Francia, ea re cognita, ne vana Lactantio sua suspicio esset, conventis aliquot e Gratianis, ad invadendum inimicum & ad impetum in domum ejus faciendum, se comparaverit. Jamque instructis omnibus, satis magno comitatu (ad quadraginta enim erant electi ex tota factione; in quibus Ursinus & Carolus, fratres nostri, fuerunt) circa mediam noctem in domum Leonis venere: ne rem tantam aggrederentur, eo inscio, quem suarum partium caput ac moderatorem habebant: illumque de suo consilio certiorem fecerunt. Ac speraverant illi quidem, non solum probaturum rem Leonem, sed etiam animos ad audendum agendumque oratione atque auctoritate sua additurum. Sed Leoni longe alia mens fuit. Questus, quod, tanta de re, secum, non, nisi in ipso momento exequendi improvidi consilii, communicassent, (neque enim passus fuisset, eos in tam praecipitem locum progredi) quaerit, quo tandem illa arma, quo impetus, quo vis illa spectaret? quid opus intempestiva & nocturna armatorum coitione? quae nam injuria, quae insanabilis contumelia accepta? quid tam atrox, quid tam saevum admissum, quod tanto motu tumultuque, ac

Francia Goracius.

Franciae & Lactantii contentio.

Leo periculosum motum auctoritate compescit.

ac prope exitio civitatis vindicandum esset? An ergo, ob torvum oculorum obtutum, miscenda armis, caedibusque faedanda omnia videri? quem unquam tyrannorum, non rectis se oculis aspicientes punivisse, auditum? Ut, quam anceps subituri certamen forent, in oppugnanda per tenebras noctis domo, in re ante provisa, omitteret: an pro NN. adversariis, quos contemnere, quos, cum libuerit, ulcisci & conterere possent, ipsum Cosmum Principem adversarium suscipi, ipsum laedi, ipsum violari, ipsum lacessi; &, quae privata unius familiae causa sit, eam publicam Principis fieri, tam crebris seditionibus non sentirent? Quid aliud adversarios ipsos velle? quid aliud votis omnibus expetere? quid vero aliud agere? quid moliri aliud? quo tot eorum fraudes ac machinationes spectare? Non hanc esse viam premendi eos, sed favore magistratuum & Principis muniendi ac vallandi; neque his minui ac frangi, sed augeri & confirmari eorum res. Hac correpti oratione, cum reliqui remisere impetum, tum ipse Francia in Leonis auctoritate futurum se esse ostendit. Duo erant juvenes, qui & si Leonem verebantur, dicta tamen ejus, ab nimia ferocia & cupiditate pugnandi, aspernari sunt visi. Alexander Sernardus, avunculo nostro genitus, & Franciscus Venutus, uterque manu promptus, uterque aetate & ingenio fervidus, uterque odio inimicorum ardens. Hi clamabant, cur tantam e manibus occasionem mitterent, cum inimicos in unum coactos locum haberent? An memoria excidisse, qui superioribus annis excidendam invisam stirpem suscepissent, plus in consectandis iis eruendisque e latebris, quam in mactandis negotii habuisse? Ipsum sibi monstrasse Lactantium, quid facere eos oporteret, qui facturos suspicatus domi se inclusisset & ad eam defendendam suos convocasset. Aut non coitum, non conventum, non sumpta arma oportuit, aut non, nisi cruenta sanguine inimicorum, ponenda esse; nec committendum, ut eo progressi, metu ab incaepto destitisse, videri possint. Si Princeps, si magistratus, si leges respiciantur, neminem quicquam ausurum; nihil sua arma ipsis, nihil animos armis pares profuturos. Non, qui fortior audaciorque, sed, qui nequior & versutior, dominaturum: sic sibi locum in civitate nullum fore; omnem potentiam, omnem fortunam in adversarios versuram. De Principe, de magistratibus quaerendum, differendumque senibus relinquerent: ipsi vi atque armis inimicos ulciscerentur. Leo complexu utrumque juvenem tenens, cum virtutem eorum ac magnitudinem animi collaudasset, ita ver-

Leo duos feroces juvenes auctoritate placat.

verbis demulsit, ut ipsos quoque in sententiam suam pertraxerit. Ita discussa res est; & postera die Florentinus magistratus, qui civitati praeest, cavere sibi utranque partem, nihil vi acturos, jussit. Quaeres fortasse, frater, unde haec ego tam singillatim acceperim. Ipse huicmet caetui atque his orationibus praesens fui, omniaque auribus atque oculis hausi. Cum enim armari fratres vidissem, puerili studio cognoscendi, quae fierent, in domum Leonis, quae nostrae juncta est, obrepsi; omniaque curiose, ut illa est aetas (decimum enim agebam jam annum) excepi: quae nunquam postea animo effluxere. Sed contentio inter Lactantium & Franciam, aliquot post annis, egregio utriusque specimine, decreta est. Senensi enim bello cum uterque in Cosmi Principis castris militaret, atque alter alterum assidue captaret, demum, permissu ducum, inspectante exercitu, ferro congressi sunt: illatisque & acceptis vulneribus, & decoro utrinque animorum ac virtutis edito spectaculo; cum infesti subiissent, & amplexi inter se uterque alterum ad terram dare nequicquam adniteretur, diuque luctati & multo madentes jam sanguine, nullum finem, nisi alterius nece, facturi viderentur; tandem, intercursu ducum, dirempta pugna est, &, quemadmodum in incerto mansit, uter eorum virtute praestaret, ita, fortissimum utrunque virum esse, duces pronunciarunt; eosque jungere dextras ac redire in gratiam jusserunt. Caeterum non me fugit, de nocturna, quam diximus, coitione longe aliter existimatum a plerisque fuisse; totiusque motus ejus auctorem impulsoremque Leonem creditum. Sed hi, magis ex odio inimicorum in ipsum, ipsiusque infenso adversus eos animo, quam ex vero, rem conjectabant. Notae enim erant insidiae, quae illi vitaeque ejus quotidie fiebant; quas ipse patefactas ita non reticebat, ut objiceret saepe iis cum probris & conviciis. Aggredi palam eum nunquam, ne incomitatum quidem, sunt ausi. Quamquam ille, ne aditum calumniae aperiret, (gnarus, studia in se civium, ut crimen, delata ad Principem) & deduci ab amicis, & frequentari domum, officii causa, prohibuerat: raro per urbem, nec, nisi solus, & publicis in locis, in foro, in templo, in praetorio conspiciebatur. At, nec forum nec viae nec templa nec domus ipsa satis tuta illi ab occulta fraude fuissent, nisi intenta in se custodiendo cura vigilantiaque ejus ubique insidiis inimicorum occurrisset, ubique pravos conatus frustrata esset. Quo minus simile vero videbatur, ipsum, aliis grassari sanguine communium inimicorum cupien-

Singularis inter Lactantium & Franciam pugna.

pien-

pientibus, ferrum pene e manibus extorsisse. Verum e multis, queis Leo appetitus est, dolis, de quo a non dubiis auctoribus narratum est mihi, non omiserim. Statuerant adversarii intercipere eum in aedicula Virginis genitricis extra portam Liberam, cui ab Rivo, quo alluebatur, erat nomen: quo Leo, spatiandi atque adorandi causa, frequenter, praesertim sabbatis, venire solus, aut uno comite puero, solebat. (Ea postea aedicula, quia officere arci videbatur, alio translata est.) Hic conducti pretio & immissi ab iis duo percussores triduum ipsum occulti consedere. Saluti fuit, quod Leo, sive suspicionis aliquid afflaverat, sive casu & fortuna, sive, quod credibilius est, ipsius Divae instinctu, eo, ut consueverat, non venit. Quarta die alter e sicariis, tactus, ut ajebat, religione, eum convenit, & totius ordinem conjurationis, & quantum ipse pecuniae & a quo accepisset, aperuit, protinusque abiit. Quod cum auctores facinoris ex illius fuga intellexissent, Florentiae clam non avertere solum id ab se crimen, sed in ipsum transferre Leonem conati sunt. Quod eum cum non latuisset, profectus Florentiam adiit Principem, quem Averardus Seristorius, vir primarius, illi magnopere conciliaverat. Is enim Seristorius bello, quo Paulus tertius Pont. Max. *Guidobaldum*, Vrbini Ducem, conterruit, ad custodiam Burgi, huic armorum motui maxime objecti, missus, Leonis nostrorumque praecipuo studio fuerat usus, atque exinde rebus eorum magnopere faverat; & ejus apud Cosmum *gratia auctoritasque* permagna semper fuit. Benignas ergo Cosmi aures Leo nactus, non suam solum, sed familiae quoque causam egisse fertur: orasse, ne quid fidei deferentibus ex occulto in se crimina haberet: diem dici sibi, ac refutandi locum dari juberet: nisi, quae objicerentur, dissolvisset, nisi manifestae calumniae accusatores arguisset, atque adeo nisi ipsos delati nuper maleficii reos probasset, non recusare, quo minus, quas jussisset, paenas lueret: quae clam inimici in aures ejus insusurrarent, ea nec sciri ab se, nec dilui posse, nec fraudi esse sibi debere. Exposuit inde, quae insidiator idem atque index enunciasset sibi, & quoties parem insidiarum fraudem, beneficio Dei & sua diligentia, evitasset. Adjecit, non sibi animum, non prompta ad ulciscendum familiae atque amicorum studia viresque deesse, sed, quia sine magno civitatis motu tumultuque id non fieret, non solum temperasse sibi, injuriasque vorasse suas, sed alios quoque se ipso multo ardentiores, nunc hortatu,

nunc

Insidiae Leoni positae indicantur.

Leonis ad Principem oratio.

nunc precibus, nunc auctoritate continuisse, ne iterum ad vim atque ad caedem prorumperent: idque non alia causa, quam respectu ipsius, quem sciret, populorum, qui suo imperio continerentur, paci & tranquillitati studere, offendique factionum violentis ac saevis motibus: sed aequum esse, ut, qui ultro legibus & voluntati Principis obsequerentur, ii justum quoque in Principe atque in legibus praesidium invenirent. Ne illud quidem ignorari ab se ostendit, seditionum atque turbarum omnium, quae superioribus annis civitatem agitassent impulissentque, Gratianos auctores & concitatores ferri, idque ipsius saepe inculcatum auribus esse. Verum, ut laetatos inimicorum cladibus Gratianos non inficiaretur, facile probatu esse, neminem eorum ii illa licentia atque impunitate, in illa vi atque rabie universi populi, violatum a Gratianis fuisse: quin ab iis maxime repressum impetum furentium, ne ad ultimum gentis excidium saevirent; ab iis decepta, per vanam exilii speciem, plebe, e medio incendio, e mediis flammis ereptos & conservatos fuisse. Suis vero ipsos perfidiosis artibus, suo livore, sua insolentia atque arrogantia, non Gratianorum instigatione ulla, tantum publicum odium contraxisse. Quae quanti essent & ad quam multa pertinerent, ipsius maxime prudentiae expendendum aestimandumque ab se relinqui: certe publicae quietis in ea civitate magnopere interesse, unam familiam, jactatione nimia, & forsitan falsa, gratiae ipsius, plus aequo non efferri. His liberius a Leone dictis, non solum non offensum Cosmum ferunt, sed ei multo benevolentiorem factum. Certe comiter appellatum, & bono esse animo, & aequa omnia a se sperare jussum, dimisit, & litteras Burgum ad magistratum dedit, curaret, ut Leo non solum tutus, sed etiam honoratus Burgi esset. Quod cum percrebuisset, ipsi quoque inimici animos contraxere, ut etiam blandiri & assentari illi viderentur.

Leo benigne a Principe dimissus.





ANTONII MARIAE

GRATIANI

A BVRGO SANCTI SEPVLCRI

DE SCRIPTIS INVITA MINERVA

AD ALOYSIVM FRATREM

LIBER IV.



Vodecimo post anno, qui fuit MDLX. decessit Leo, tanto desiderio sui relicto, ut, cum efferretur, funeri ejus universa civitas operata sit. Tres reliquit filios, ita indulgenter ac solute educatos, (quod, in homine alioqui priscae severitatis & moris, mirum videri potest) ut nullus eorum paternae virtutis vestigia sit secutus; ac non solum paribus officiis paribusque artibus studia civium non retinuerint, sed etiam veteres familiae amicos plerosque, per contemptum atque incuriam, alienarint; praepostera prorsus ratione. Quippe, qui civilibus discordiis agitantur, illud in primis spectare videntur debere, ut omnium, etiam infimorum, gratiam omni studio colligant, omnes vitent offensiones; quo assidue & amicorum augescat, & inimicorum decrescat numerus. Comes, natu maximus, venator assiduus, in silvis, in montibus, consectandis feris, lustrisque earum vestigandis, aetatem egit; donec mortem ab eo studio sibi accersivit. In transiliendo enim fossa forte prolapsus, ita in ferrum vena-

Mors Leonis.

Leonis filii a patre degenerant.

Comes Leonis filius.

toriae hastae, qua nitebatur, se induit, ut cuspis, per pectus adacta, in dorsum penetrarit. Vulnus, & si lethale non fuit, lethum tamen illi attulit. Cum enim conglutinari atque obduci nunquam potuerit, lenta tandem tabe juvenem, alioqui praevalidum, absumpsit, paucis post eum casum mensibus. Is, non multo ante, seque & patriam in magnum discrimen conjecerat, justa tamen ex causa. Suspecto transitus Gallorum tempore, miserat Cosmus, qui urbi praesidio essent, Germanorum cohortem. Horum unus cum in porta, cujus praeerat custodiae, sive sueta militibus licentia, sive vino (quod proprium Germanorum vitium est,) paulo plus incaluerat, praetereuntem ingenuam matronam liberius, quam civitatis mos patitur, alloqui atque adeo etiam attrectare est conatus. Intervenit forte rei Comes, militemque non pro disciplina facere, &, nisi faeminis manus abstinerent, non inultum laturos, dixit. Aversum a matrona in se Germanum, pro caetera contumacia respondentem atque etiam intentantem minas, stricto, quo accinctus erat, gladio, in ipsa porta occidit, seque proripuit. Ex ea re magnus in civitate motus fuit. Coiverant Germani, frementesque, more suo, nisi dederetur sibi auctor caedis, minabantur, se urbem incensuros. Cives quoque, animadverso periculo, arma caeperant. Donec Praefecti praesidii, & magistratus auctoritate sedatus est tumultus. Cosmus quidem, re cognita, Comitem crimine liberavit; & civis & viri boni strenuique officio functum pronunciavit. Nicolaus, alter Leonis filius, vix dum adolescentiam egressus, ex magnis animi & corporis viribus, tam stolide ferox evasit, ut etiam, per ludum & lasciviam, homines congredi secum gladiis cogeret; atque eo insaniae, secundis successibus, proveheretur, ut valentissimum quenque non ab ira, nec alia ex causa, quam, ut ipse ajebat, experiundae virtutis, stricto ferro ad pugnam provocaret; ex eoque novas quotidie rixas, novas inimicitias susciperet. Quibus moribus assecutus quidem est, ut timeretur ab omnibus, sed omnibus taedio fastidioque tam effrenatum ac praeceps ingenium esset. Scilicet primus aetatis fervor, ubi liber solutusque erupit, nec ullius consilio & auctoritate temperatur, eo, imprudentia atque impetu, saepe effertur, unde recipere se, nisi casu & ruina, non queat. Hunc quidem adolescentem tanta confidentia audaciaque abripuit, ut non hominum jam, sed prope Dei ipsius divorumque contemptor videretur; in quos atrocia maledicta atque impia verba jacere

Nicolaus.

pro

pro elegantia haberet: non quidem religionis despectu, aut ab imbuto scelesta ulla opinione animo, sed consuetudine prava & neglectu bonorum morum. Verum tam importunae seu naturae seu corruptelae, brevi, quod fieri necesse fuit, consentaneus finis vitae advenit. Nam, quae in homines improbe admittimus, saepe accidit, ut impune feramus: adversus Deum nullum maleficium inultum esse potest; cui plerunque graviora supplicia, quia tardiora, penduntur: quanquam piaculi, obtrectantium sacrilega lingua divinae bonitati, raro dilatam animadversionem videmus. Documento is ipse juvenis fuerit, in quo alioqui animi magni & liberalis specimen enituit. Cum enim nescio quem armis invasisset, &, illatis vulneribus, haud dubie victor appareret, redactumque in arctum ferociter urgeret, ense ab illo punctim impulso, ictum in os recepit, &, trajecta ac discissa lingua, & palato faucibusque convulneratis, vim magnam sanguinis eructans, ejus demum exundantis affluentia intercluso spiritu, miserabiliter periit: cunctis, veluti a praesenti numine exactas blasphemiae paenas, praedicantibus. Praetereundum, frater, hujus exitum juvenis non duximus (qui, si illa ferocia atque animo omnis metus experte, moderatius esset usus, eximiae virtutis militem habitura patria familiaque nostra videbatur) ut posteri nostri domestico quoque exemplo ab hoc scelere deterreantur; in quod qui labuntur, non minorem ignominiae ac turpitudinis, quam impietatis, contrahere noxam videntur; nec in Deum ipsum ac religionem, quam in civiles & homine ingenuo dignos mores, atque in communis vitae decorum atrocius peccare. An, pro eo ut conditorem, auctorem, liberatorem humani generis agnoscamus confiteamurque, & pie sancteque veneremur, contumeliose appellare & maledictis incessere audebimus Deum? Aliis quidem flagitiis peccatisque qui se obstringunt, digni tamen aliqua venia videri possunt; cum aut utilitatis aut voluptatis specie fere decipiantur: (neque enim furetur aut faeneretur quisquam, nisi, cupiditate augendae rei, a recto honestoque abductus; nec amorum illecebris vinci, atque libidinum luto inquinari se patiatur, nisi falsa delectatione pellectus ac delinitus.) Soli, qui ista dementia tenentur, non scelerate solum, sed quodammodo etiam gratis delinquunt. Quod enim lucrum, qui fructus, quae voluptas nefariam procacitatem maledicentium Deo sequitur? An, cui ad agendas pro merito grates laudesque nulla humana vox sufficiat, eum appetere probris, & in-

Quantum scelus Deo maledicere.

Pandulphus. incesto ore proscindere, extremae impietatis, extremi furoris esse negetur? Tertius filiorum Leonis Pandulphus etiam tristiori ac funestiori letho est defunctus, paribus & ipse inimicitiarum & armorum studiis ab paternis odiis exercitus. Erat in adversa factione Federicus Rigius, strenuus juvenis, & bene sibi fidens, pariterque laudis & vindictae avidus; quod ejus pater triginta ante annis, in illa, quam commemoravimus strage, utraque mutilatus aure, inter caesorum corpora, quae tracta in forum fuerant, pro mortuo jacuisse, & ea astutia periculum effugisse ferebatur. Inter hunc & Pandulphum, praeter studia partium, proprium certamen erat, quod pares aetate, pares militiae muneribus, pares animis, etiam aemulatione ferociae contendebant. Florentiae uterque cum esset, & alter alteri occurrisset, mutuo oculorum conjectu, veluti ex composito, provocati, strinxere gladios, ferocemque iniere pugnam, futuram haud dubie cruentam, nisi, multorum interventu, dirempta fuisset. Ab hoc initio irritatos utrinque animos, ad redintegranda veterum odiorum mala, magnopere accenderunt tam nostrae, quam aliarum urbium exules; quorum magnus numerus in vicinis locis circa Tifernum erat, adhaeserantque alii aliis, ut cujusque usus fuit: omnium quippe intererat alere discordias & turbas ciere. Eorum, qui a Gratianis stabant, caput erat Silvester N. ejus, cujus supra meminimus, frater, homo ad quod vis facinus impiger, & NN. nomini nimio plus infensus. Is urbanum agrum omnem ita excursionibus infestum habebat, ut neque ex inimicis, neque ex iis, qui eorum partibus studere credebantur, quisquam porta efferre pedem auderet. Nam deprehensos alios occiderat, alios pulsaverat, alios aliter multatos male habuerat: atque adeo successu creverat audacia, ut noctu, admotis scalis, ipsa quoque transilire maenia, & in media urbe cum sicariis, quos secum ducebat, grassari caedibus non vereretur: tantumque sparserat terroris, ut adversarii, veluti justa obsidione, pressi clausique tenerentur; & universae civitati grave jam & molestum negocium esset. Itaque NN. cum se faedius quotidie carpi vexarique viderent, multis jam suorum amissis, ne tantam indignitatem inultam diutius paterentur, Scipionem Silvestri patruelem fratrem in foro adepti, interfecerunt; & alium item ex eadem gente, cui nomen Necio, vulneraverunt: &, paucis post diebus, Federicus N. Benedictum Norchium, hominem senem, quod Gratianis junctus amicusque esset, e villa redeuntem in via aggres-

Federicus Rigius.

Inter Federicum & Pandulphum rixa.

Silvester N.

Scipio Silvestri frater patruelis occiditur.

greſſus trucidavit: coactaque inde exulum & facinoroſorum manu, dabat operam, ut Silveſtri audaciam licentiamque reprimeret. Atque ingreſſus urbem illos, qui, poſt-caedem factam, metu adverſariorum, in turrim ſe receperant, ex eaque vim inimicorum propulſabant, periculo exemerat, & continuo, ne a Silveſtro, quem cum magno ſuorum numero adventare cognoverat, opprimeretur, abierat. Silveſter medio diei per patentem portam intravit urbem, totamque cum armatis percurrit, &, quoſcunque ex NN. aut factionis eorum ſors obtulit, caecidit, & quorundam etiam domos invaſit, refractiſque foribus e latebris erutos confodit. Magna patrata caede, nec tamen ſanguine ſatiatus, caeterorum quoque domibus igne ac ferro vim afferre parabat. Sed Montacuti, qui, tumultu audito, eo accurrerat, & Tornaboni Epiſcopi precibus & auctoritate permotus, oppido exceſſit. Federico propinquis in locis cum multis ſuorum ſe tenente, minus jam libere Silveſtro vagari licebat; & cum ſe mutuis inſidiis aſſidue captarent, & NN. large non cibaria ſolum Federico ſummitterent, ſed pecuniam quoque ad homines conducendos ſuppeditarent, Silveſter magni referre ad omnia ratus, ſi ex Gratianis ipſis aliquis negocii caput apud ſe eſſet, magnopere a Pandulpho poſtulabat flagitabatque, ut ad ſe veniret, unaque in communes inimicos rem gereret. Qui, ne deeſſe cauſae partibuſque videretur, quamvis retinentibus ſuis, ad Silveſtrum ſe contulit. Interea Florentiae hic motus Burgenſium in magna ſuſpitione erat; tot externis exulibus, quibus nec fides nec fas nec penſi quicquam eſſet, contentioni civium ſe ſe miſcentibus, & dies noctesque licenter admodum non in agro ſolum, ſed in urbe quoque verſantibus, quam ſuae poteſtatis ſaepe feciſſe videbantur. Itaque Franciſcus Princeps (nam Coſmus curam procurationemque rerum filio tradiderat, partim morbis feſſus, partim ut populi imperio ejus, vivente ſe, aſſueſcerent) Montacuto & Petro Carpiniae Comiti, quorum alter uxorem inde duxerat, alter ſororem Burgenſi civi in matrimonium collocaverat, mandavit, darent operam, ut eum motum componerent, parteſque aut in gratiam reducerent, aut ab tam infeſtis armis caedibuſque removerent: quod futurum apparebat, ſi exules omnes ex iis locis diſceſſiſſent. Et ipſe ex utraque factione pleroſque Florentiam evocaverat. Neutrius partis hominibus iis, qui domi remanſerant aut Florentiae retinebantur, difficile erat perſuadere, ut pacificarentur, & praeſentium incommodorum

Pandulphus ad Silveſtrum ſe confert.

Jubente Principe de pace agitur.

rum taedio fessis, & imminentium non securis. Sed exulum, & maxime Silvestri, saevum & tot caedibus efferatum animum mollire, & ad mitiora sanioraque consilia flectere durum atque operosum videbatur. Ac ne Federicus quidem, juvenis & vindictae cupiditate ardens & ingenii ferocitate elatus & tum satis firma audacium hominum manu subnixus, magnopere laetari pace videbatur. Et uterque, tam Silvester quam Federicus, quique cum iis erant, diffidentium fortunis facultatibusque alebantur; custodesque, veluti vectigales suos, carpebant quotidie hauriebantque. Tandem & fatigati precibus a suis, & auctoritate pacificatorum adducti, & metu Principis permoti, quem incubuisse ad eam voluntatem intelligebant, ut eum civitatis tumultum pacaret exulesque omnes iis locis expelleret; & parum tutam jam suam in agro Burgensi moram, & alibi difficiliorem sibi receptum, Francisci respectu, esse sentientes, consenserant, ut de compositione ageretur. At Princeps, dum inter eos de pace agitur, praeceperat suis, ut, si exules, quod saepe fit, remissa armorum contentione, negligentius custodiam sui agerent, locum capiendi eos quaererent, captosque in cathenis haberent. Quo Montacutus & Petrus, cum opus esset, coram colloqui cum Pandulpho & Silvestro possent, petitum, ut in castellum, quod vocant Bascium, in Apennini saltibus, quod Petri juris erat, concederent; ubi tuto fore eos Petrus ipse recipiebat. Exules, quanquam nec de fide Petri dubitarent, nec id juris esse ei, in suae ditionis oppido negarent, tamen postularunt, ut ei rei ipse quoque Princeps annueret. Nec cunctanter Franciscus litteras ad Petrum dedit, quibus probari sibi, ut Bascii illi essent, scribebat, ac tuto futuros, quandiu pax agitaretur, pollicebatur. Lectis Principis litteris, signoque & manu ejus visa, veluti auctorata eo pignore, non Petri solum & Montacuti, sed Principis ipsius fide, Basciu mcum duodecim admodum suorum concessere. Sed Princeps urbem in ultimis finibus regni sui sitam, quae aliquando R. E. juris fuisset, tam crebris agitari seditionibus minime tutum rebus suis existimans, sanandae ejus aliquando, & in perpetuum ab ea peste liberandae occasionem, quae afferretur, omittendam non judicavit. Misit igitur Bascium cum impigro centurione trecentos milites, datis mandatis, ut, si capere vivos non posset, omnes interficeret. Ille, paulo ante lucem, domum, ubi Pandulphus & Silvester cum suis dormiebant, circunsedit, ac, dispositis ad omnes aditus sclopetariis, ne qua effugium pa-

Silvestrum missi a Principe aggrediuntur.

pateret, praeparatos ante ignes vicinis aedificiis injecit. Exules ad primum ſtrepitum concurſantium militum excitati, arma capiunt, & homines aſſueti periculis, nihil multitudine illa magnopere territi, acerrime pugnam capeſſunt, & e parietibus domus, quos[1] ante ad omnes caſus idoneis locis perforaverant, ita ſclopis rem gerebant, ut accedere propius ad irrumpendum nemo auderet. Sed graſſabatur interea ignis, tantumque incendium jam erat, ut univerſum brevi abſumpturum caſtellum videretur. Itaque Fabius, Petri fratris filius, qui a Gattheo, proximo oppido, ſtatim advolarat, & mox Petrus ipſe, veriti, ne caſtellum ipſum perderent, hortari Pandulphum & Silveſtrum caepere, ut ſe dederent Principi, nec obrui ac cremari flammis miſere paterentur. At illi irarum pleni, deceptos ſe ac proditos increpantes, ne mentionem quidem ejus rei auribus admittebant; &, cum ancipiti jam malo urgerentur, hinc igne, hinc ferro circunventi, quo armati, nec inulti oppeterent, ut fortes viros decebat, eruptionem facere, & in oppugnantes impetum dare parabant. Sed ſuccedens ad colloquium Petrus, & ſuam iterum fidem interponens, novas litteras Principis ad ſe ſcriptas oſtendens, pervicit, ut, certis adjectis conditionibus, Petri conſilio aſſentirentur. Qui quidem cauſam eorum apud Principem accurate egit, & ſuam fidem, ſuum jus agi violarique magnopere eſt queſtus. Sed Principi ſtetit ſententia, ſeque & urbem ea moleſtia atque eo periculo liberare. Ergo ab iisdem militibus omnes Gattheo, quo primum cum Petro tranſierant, addito quinquaginta equitum praeſidio, Florentiam ſunt perducti; ac de omnibus ſupplicium ſumptum. Silveſter ſociique, ſaevi ſane homines ac truces, plauſtro impoſiti, per urbem ad ſpectaculum circunvecti, ac deinde ſtrangulati, & in quatuor ſecti partes ſunt. In Pandulphum minus atrociter animadverſum. Nam & ſubtractus ſpectaculo eſt, & ſimplici morte affectus. Cum ducerentur, unus ex NN. (tanta rabies agitabat animos) tam miſeram fortunam exprobrare Silveſtro non eſt veritus, & propius adiens: „ En, inquit, tandem, „ fera bellua, juſtas ſcelerum paenas habes. „ Quem ille minacibus intuens oculis, ac ne in ipſo quidem mortis limine, ſupremaque calamitate, ferociae oblitus: „ Nunc demum, inquit, prodire atque in conſpectum meum te dare, ignaviſſime, audes; cui, dum liber fui, nullae late-„ brae

Silveſter ſociique dedantur.

Supplicium de Silveſtro ſociisque ſumptum.

1 Librarii mendum, qui *quas* pro *quos* ſcripſerat hoc loco, ſuſtuli.

„ brae satis tutae videbantur? „ Ille quidem incessentibus convicio omnibus, qui spectaculo intererant, confestim in carcerem est raptus. Atque hic finis ejus aetatis turbarum civitatis fuit. Nam Federicus quoque, paucis post diebus, interiit in Gallia, quo profectus ad bellum erat, ab Alexandro Amico Aesino, cujus turmae vexillum ferebat, occisus: & finis idem trium Leonis filiorum fuit; a quibus ne soboles quidem ulla relicta. Leonis stirps in Constantia filia, quae Perhieronymo [1] Gratiano nupsit, propagata est: ex quo conjugio tres nati filii; Scipio, qui proxime ad Vngaricum bellum jussu Principis profectus, honeste pro Christiano nomine adversus Barbaros arma ferens occubuit: Astor domi retentus, ducta in matrimonium Laura Alexandria, liberis dat operam. Franciscum haud sane laetior, quam Pandulphum avunculum, fortuna tulit, adolescentem, in quo pulchritudinem corporis, pene virginalem, aequavit vis & praesentia ingens animi. Qui, & si ab impetu effervescentis primae aetatis avitas inimicitias, quae post Pandulphi mortem, viginti annos conquieverant, renovavit, &, incitantibus perditis hominibus, initium caedis fecerat; tamen consilio & auctoritati suorum, ab insita moribus modestia, facile cessit, suadentium, ut absisteret pravis inceptis, & animum a civilibus odiis ad studia belli, quando illo ingenium ferre videretur, adjiceret. Sed spem, quam sui peregregiam fecerat, in ipsis statim initiis fortuna destituit. Cujus dirum infortunium ego (quanquam invitus in tam tristibus nostrorum casibus versor) tamen non omiserim, si prius ad infortunii ipsius causam exponendam non nihil divertero. Paulus [2] Jordanus Vrsinus non suae solum familiae, sed Romanae nobilitatis facile princeps, vir fuit vasto & elato animo, & magna humanitatis & eloquentiae specie, sed ingenio truci ac faedo, & cupiditatibus suis usque adeo serviens, ut, quo spem intendisset, eo ut potiretur, non jus, non fas, non fides illi quicquam pensi essent. Is Victoriam Acorambonam a foro Sempronii, Romae Francisco Pereto, Felicis Cardinalis Montalti sororis filio, nuptam perdite impotenterque amabat, adolescentulam integra & pueri-

Federici mors.

Franciscus Leonis ex filia nepos.

Paulus Jordanus Vrsinus.

Victoriam Acorambonam perdite amat.

1 Non alia autographi lectio. Puto esse conflatum ex duobus nominibus *Petro* & *Hieronymo* nomen: id quod Etruscis atque adeo Italis est usitatissimum. Sed certe plus vernaculae consuetudinis retineretur, si *Pierhieronymo*, quam *Perhieronymo* scriberetur.

2 Ex Sallustii, de bello Catilinario cap. 5. imitatione ducta narratio: „ Lucius Catilina, nobili genere na„ tus, fuit magna vi & animi & cor„ poris: sed ingenio malo pravoque, „ &c.

rili forma. Et illa quidem nunc amorem in eum, nunc famae atque honesti studium, nunc metum viri praeferens, diu ductum ita irretivit fascinavitque hominem, ut, qui filiam Cosmi, Magni Ducis Aetruriae, in matrimonio habuerat, ex eaque liberos susceperat, ad hanc sibi jungendam conjugio, ardentem cupiditatem adjiceret; neque eum ab tam vesano consilio, aut sua aut familiae suae dignitas, aut Principum Aetruriae, quibus tam arcte junctus erat, respectus deterreret. Erat Paulo in intimis cubiculi ministris Marcellus N. flagrantissima apud eum gratia, quam & ipse flore aetatis, & pudicitiae damnis meruerat. Hic Victoriam hero conciliabat; tanquam parum haberet, ipsum esse turpem, nisi in eandem turpitudinem illam quoque pertraheret, &, quod flagitium vel sanguine ulcisci oportebat, ejus auctor ipse atque impulsor existeret. Sed neque Victoriae, virum virique avunculum timenti, facile erat obsequi infinitae Pauli libidini; nec Paulus, tanta mole corporis, occultos aditus alienaque tempora expectare obireque poterat; nec sibi his incommodis ex pleno haurire voluptates videbatur. Ergo ad necem viri innoxii, & nihil aliud, quam uxorem alienis placentem nacti, [1] ferum atque impotentem animum vertit, ut, eo sublato, vacuam sibi ac scelestis nuptiis adulteram faceret. Negocium eidem Marcello mandavit, datis idoneis ad caedem hominibus, quorum ei copia ex sua ipsius domo semper suppetebat. Marcellus misit, qui Peretum, sororis virum, nocte concubia, in Sfortianos hortos in Quirinali accerseret; cui ipse manu sua scripsit, esse sibi, quod cum eo magnopere communicatum vellet; rogavitque, ut solus venire ad se ne gravaretur: (& erat tum Marcellus exul; quod N. Paravicinum occiderat.) Pe-

Q re-

1 Haec est autographi lectio, paullo illa quidem obscurior. Hoc intelligi Gratianus voluit: nullam aliam ob culpam causamve ad necem quaesitum esse Peretum, nisi quod ei egregia forma uxorem, quaeque alienis ob eam rem viris placeret, quamque propterea suam fieri, eo sublato, Vrsinus vellet, habere contigisset Non dissentit ab hac interpretatione Petrus Antonius Aoteooreus S. J. in hac nostra S Joannis Evangelistae aede facundissimus Concionator: qui etiam locum illum mihi ex S. Ambrosii Lib. I. *de Virginibus* verbis non minus pressis atque obscuris, sed aeque ingeniosa sententia, expositum indicavit: „ Et haec sponsi injuria est exspectare placituram. „

2 De loco, non de persona, sic loqui Latinos veteres memini. Cic. in Catil. I. cap. 14 edit. Venetae an. 1557. „ Cum, morte superioris uxoris, novis nuptiis domum vacuam fecisses. „ In quem locum Muretus, in manu sua scriptis apud me adnotationibus: „ Libet, *inquit*, vetus „ *vacuefecisses: ἔδιος vacu' effecisses.* „ Sed illud superius tectum. Macrob. „ Mihi in caena vacuefecisti locum. „ Lucr lib 5. Multusque vacuefit In „ medio locus. Vbi vulgo male *vacefiet*. & infra: Vnde vacuefit Cunque locus, &c. „

retus, ut in nulla suspecta re, statim cum ipso nuncio exivit, retinente uxore, &, ne eo noctis prodiret domo, rogante; sive inscia fraterni sceleris, sive eo conscientiam tegente (nam id quidem in incerto fuit). Peretum ascendentem clivum, in cujus summo aditus est in hortos Sfortianos, coorti ex insidiis sicarii aggrediuntur, & multis vulneribus pene prius, quam vel gemitum edere posset, faede contrucidarunt. Nec multo post, quamvis & Victoria in vinculis est habita, & Paulus ipse in Adriani arce custoditus, utroque dimisso, illam in domum suam traductam matrimonio sibi conjunxit, omnique uxorio ornatu cultuque amplissime instructam pro uxore palam habuit. Caeterum adeo non occultus auctor caedis fuit, ut Montaltus Cardinalis injuriam silentio obtexerit, ne cum homine saevo, facinoroso, praepotente inimicitias susciperet, damnosas sibi, ad Pontificatum maximum nitenti, futuras. Eum honorem si aliquando esset adeptus, tum facilem sibi futuram vindictam: interea voranda omnia dissimulandaque esse rebatur, usque adeo, ut Paulum ad se venientem, & magno cum honore acceperit, & gratulatus sibi sit, quod Victoria, post acerbum Francisci sui casum, tam clari conjugii conditionem esset nacta. Sed nec sua eum spes fefellit, nec diu laetum scelus auctoribus fuit. Nam, mortuo paucis post mensibus Gregorio XIII. consensu Patrum, summus honor ad Montaltum Cardinalem est delatus: qui se Sixtum quintum appellari jussit. Ea res primo non nihil concusserat Paulum. Sed brevi, *recepto animo*, assueto facinoribus & ad pericula interrito, adeundi etiam Pontificis, & ei gratulandi audaciam sumpsit. Nec monentibus amicis, ut secederet aliquo, nec aut sibi aut praeferoci ac laeso Pontifici nimium fideret; nec oranti ac summis precibus contendenti Victoriae, ut e medio abiret, prius cessit, quam a Francisco, Magno Duce Aetruriae, & Ferdinando Medice Cardinali, prioris uxoris fratribus, denunciatum illi est, videret, ut saluti & incolumitati suae suarumque rerum mature consuleret, & praecipitibus consiliis abstineret: neque enim ipsis Pontificis gratia antiquius quicquam fore. Tum Paulus cum conjuge Venetias est profectus, atque inde ad lacum Benaci, loca situ ac coelo peramena, transiit; atque ibi, ira atque dolore immitem atque effrenatum animum assidue exedente, paucis mensibus contracto morbo, absumptus est. Victoria, morte viri, e magna repente fortuna delapsa, confecta luctu afflictaque Patavium cum Flaminio fratre se receperat: misso Venetias Marcello, ora-

tum

Victoriae vir contrucidatus.

Paulus Victoriam ducit.

Sixtus quintus.

Paulus Venetias secedit.

tum, ut vidua ac omni ope destituta in fidem Reip. reciperetur [magnopere enim sibi ac vitae suae a Sixto Pontifice timebat, nec, amisso Paulo, usquam satis tutam se ab ejus ira arbitrabatur] Cum ei, unde suspicari non poterat, exitium venit. Paulum ab domo proficiscentem Ludovicus Vrsinus, Jordani filius, secutus erat; qui paulo ante sub Gregorio XIII. Vincentium Vitellium Tifernatem, Pauli ipsius, ut credebatur, instinctu, in Vrbe interfecerat, exilioque multatus, confluente ad eum aliorum exulum ac facinorosorum multitudine, Romanum agrum caedibus ac latrociniis infestum habuerat. Sed Venetiis, memoria patris avique, qui Reip. fortiter ac fideliter militaverant, perhonesta stipendii conditione a Senatu conductus fuerat, & Corcyram, cujus insulae custodia illi mandata erat, navigaturus, Patavii ad eam se profectionem comparabat. Et trajecturi cum eo erant aliquot spectatae virtutis centuriones, ex veteribus Jordani militibus, &, ex tota Vmbria Picenoque, fortissimorum juvenum manus: inter quos Franciscus Gratianus, de quo supra institueramus dicere, ob egregiam ad omnem virtutem indolem, Ludovico longe acceptissimus erat. Is igitur Ludovicus, qui nuper, vivo Paulo, assentari Victoriae atque ejus affectare gratiam erat solitus, quaecunque eum causa impulerit, [nam & varie traditur, nec sciri ad rem magnopere pertinet] eam nihil tale timentem, domum ejus ingressus, inspectante se, jugulari, & juxta Flaminium fratrem occidi jussit. Facinus per se atrox ac faevum, ut faedius & crudelius videretur, miseratio aetatis, sexus & solitudinis faeminae fecit. Itaque Venetus magistratus, ex auctoritate Decemvirum, penes quos Venetiis supremum jus rerum capitalium est, quaerere de ea caede (nam caedis auctores ignorabantur) instituit. Cum patescere res caepisset, atque omnis in Ludovicum suspitio incumberet, neque id eum falleret, licuit illi discessu ac fuga declinare atque eludere judicium: idque magistratus ipse non gravate initio tulisset. Sed, sive ille nihil temere in se acturos Venetos, sui ac familiae suae respectu, sibi persuaserat; sive adversus omnem vim fiduciam ei globus ille virorum juvenumque audacissimorum, quo erat succinctus, faciebat; sive eum divina mente manans fatum suum jam agebat: ita cum ipso magistratu est locutus, ut, ultro sibi injuriam fieri, & quasi in ordinem se redigi quereretur: simul domum, quam incolebat Patavii, munire armisque ac telis affatim instruere caepit; veluti vi repulsurus,

Ludovicus Vrsinus.

Ludovicus Victoriam fratremque jugulat.

Ludovici ingens temeritas.

si quid magistratus in se aut suos conaretur. Haec, quibus & usus rerum major, & Veneti moris notitia erat, ex amicis ejus magnopere damnasse ferunt, & Ludovicum, ut tam contumaci, tam temerario ausu absisteret, protinusque aut discederet Patavio aut erumperet, etiam atque etiam monuisse. Si enim pergeret, se, secumque una tot praestantes nobilitate ac virtute juvenes, qui ejus auctoritatem sequerentur, pessum daturum & in non dubiam pestem praecipitaturum. Qua enim spe prope in conspectu ipsius Senatus, in urbe valida, validis maenibus clausa, ac firmo equitum peditumque praesidio tuta, vim contra magistratum atque adeo contra ipsam Remp. cum octuaginta admodum hominibus, quantum vis fortibus atque audacibus, parari? Sed salubre ac unicum consilium juvenis, stolida superbia elatus, tanquam timoris speciem habiturum, rejecit. Perverterat enim inflaveratque animum ejus falsa atque inani spe quidam, qui ei ab epistolis erat, cui ipse tribuere plurimum erat solitus; qui non progressuros ultra minas Venetos disseruerat; atque ipsum ex vana denunciatione periculi, egregiam constantis atque invicti animi gloriam esse laturum. Ita ab imbelli atque imperito scriba fortes & gnari militiae viri in manifestum exitium sunt dati. Nam haec ubi audita Venetiis, non jam caedis crimen, sed ipsam Reip. majestatem agi petique censentes, eadem nocte, quae diem Natalis Christi antecessit, proficisci Patavium unum e Triumviris, quos ipsi Avocatores vocant, quorum magna est in civitate auctoritas, & in Ludovicum sectatoresque ejus, ex Venetorum legibus vindicare ac severe animadvertere jusserunt, & documentum statuere, ne quis posthac vi atque armis adversus jura legum & Reip. imperium se tueri auderet. Triumvir cum Patavium venisset, evocatis undique militibus militumque praefectis, & populo in armis esse jusso, consilium habuit, quonam modo, quoniam cum praeferocibus hominibus & ipsa desperatione irritatis atque ultima ausuris res esset, ex tuto, nec ullius, nisi sontium, sanguine redigi in potestatem rebelles possent. De omnium sententia statutum, cum feris non congrediendum, nec iis milites in apertam pugnam objiciendos esse. Igitur, occupatis omnibus circa aedificiis, ubique firmas sclopetariorum stationes locant; qui aut parietibus aut pluteis tecti, quibus viarum exitus obstruxerant, ita in domum obsessorum ex tuto jaculabantur, ut nemo usquam apparere, quin multis simul plumbeis glandibus, igne excussis, peteretur,

Salutare consilium spernit Ludovicus.

Triumvir ad habendam de Ludovico quaestionem missus.

Oppugnatur tormentis Ludovici domus

tur,

tur, posset. Productis. inde muralibus bombardis, idoneisque locis constitutis, ex longinquo verberare & quatere magnis ictibus domum instituerunt, ut, si illi in pertinacia perseverarent, domus totius ruinis vivi omnes obruerentur. Ludovicus ubi, contra quam existimaverat, tantum in se apparatum, tantum undique terroris minarumque intentari cernit, primo quidem tentavit rem conditionibus transigere; deinde, quia Veneti negarunt, se cum armatis velle pacisci, scribae ejusdem instinctu, veluti de industria augens paenarum atque irarum causas, arrogantiae plenas ad Triumvirum magistratumque litteras misit: Mirari se magnopere, quo tantus motus virorum armorumque; & quid extraordinarii juris tam acerbe contra se suosque exigeretur; & quid judicata damnataque causa prius, quam cognita, sibi vellet. Meminisse eos debere, se Ludovicum Ursinum esse, Jordani filium, Valerii Alvianique nepotem, virorum ac ducum clarissimorum, qui, pro Venetae Reip. dignitate atque imperio, toties caput periculis objectassent, toties sanguinem profudissent. At se, quando tot tantisque majorum suorum meritis haec praemia redderentur, non ultra quicquam dicturum, sed exitum rei eo animo expectaturum, ut, quicquid sors ferret, impavidus nec degener subiret, &, quoniam nihil jure ac legibus, quarum ipse auctoritatem nunquam esset detrectaturus, sed omnia vi atque injuria agere liberet, Deum atque homines testari, nihil se nomine ac stirpe sua indignum esse facturum; vitaque, quam illi inique ereptum sibi venissent, adnixurum, ut oppugnatoribus suis multo sanguine staret; ac sua morte clarum, quamvis triste, suae innocentiae ac infelicis Ursinae gentis erga Venetam Rempublicam studii exemplum posteris relinqueret. Triumviro nihil necesse fuit ad haec respondere; sed, irrisa insolentia insanientis juvenis, admoveri bombardis ignem jussit, cujus vi illati ferrei ingentes globi, paucis ictibus ita anteriorem domus parietem perfregerunt, ut omnis repente, vasto cum fragore strageque, prorueret, defensoresque nudaret, ac certis eminus petitionibus aperiret. Tum fracta Ludovici arrogantia est, qui promptissimos suorum, illa oppressos obtritosque ruina, cernens, animum penitus despondit; seque, ut jussus erat, traditis armis, potestati Triumviri permisit; contradicentibus plerisque e suis, qui pugnando occumbere, quam ad faedum nec dubium supplicium dedi praeoptabant. Sed ille, quando eo necessitatis redacti essent, ut effugere mortem nequirent, animam fal-

Ludovicus fractus animo se Triumviro dedit.

faltem Chriſtianis Sacris procurare expiareque ſatius eſſe contendit. Ita ipſe prius, ac deinceps reliqui ſtrangulati ſunt. Quorum in numero Franciſcus fuit, adoleſcens non dum vigeſimum annum egreſſus, tanti quidem animi ferociaeque, ut Venetiis, cum a quodam provocatus eum fugientem inſequeretur, atque ille in grandem [1] aeſtuantis maris canalem ſe projeciſſet, hominem ſub aquis adeptum pugione confecerit. Sed infelix adoleſcens alienae culpae ac temeritatis paenam luere neceſſe habuit, & tantae indolis ſpes ante eſt ſuccisa, quam ad ullam maturitatem pervenire potuerit. Vxor Leonis, ut ne hanc quidem ſilentio praetermittam, fuit Livia Palamideſſia, Cyriaci, cujus initio meminimus, filia, viri haud dubie aetatis ſuae in civitate noſtra longe praeſtantiſſimi, atque ipſa pari pudicitiae & formae laude; ſed eo in primis memorabilis, quod vitam ad ſeptimum & nonageſimum annum perduxit, valetudine adeo proſpera, ut nunquam, niſi ſupremo morbo, aegrotaverit; &, quod alterius vitae inſtar eſt, nihil labefactata mente, nihil ſenſibus imminutis, non auditu, non viſu hebetato; ut neque ad ſublevandam aciem conſpicillis [2] unquam ſit uſa, & legerit, neverit, ſuerit, acu pinxerit, muliebriaque alia opera ad ultimum uſque diem fecerit [3]. Atque illud etiam mi-

Lodovicus ſociique ſtrangulati.

Leonis uxor.

1 *Grande* . . . *Canale* exhibet autographum, librarii certe negligentia.

2 Rebus novis nova eſſe imponenda vocabula, non uno loco Cicero docuit, idque ipſe ſaepe fecit. Quod minime ignorans Gratianus & alia aſibi, ut *bombardas*, *ſclopos*, *ſclopetarios* &c. & hic *conſpicilla* uſurpavit, ſic a *conſpiciendo* vitreas orbiculatas lamellas illas appellans, quibus adhibitis hebes oculorum acies acuitur in videndo atque adjuvatur. Alii ab eodem etymo *conſpicilia*, alii ab ſimili *perſpicilia*, alii ab oculis, quibus eae admoventur, *ocularia* dixere. (Nam qui *ſpecilla* etiam dici putant poſſe, idque Plinii auctoritate confirmant lib. 7. cap. 53 „ C. Julius medicus „ dum inungit, ſpecillum per oculum trahens „ nae illi, *ſpecillum* chirurgicum quoddam eſſe inſtrumentum ad vulnerum aut abſceſſuum profunditatem explorandam, ad alioſque ſimiles uſus, videntur ignorare.) Conſpicillorum fuiſſe inventorem Salvinum Armatum Florentinum paullo ante annum a Chr. nato 1290 prodidit eruditiſſimus Dominicus Maria Mannius, qui de ea re egregios commentatios Tomo IV. *Scientificorum Philologicorumque Opuſculorum* Venetiis edendos permiſit doctiſſimo Patri Angelo Calogerà an. 1739. litteratiſſimo Viro Joſepho Bondelmontio, litteratae juventutis tum Principi, inſcriptos: iterum Florentiae, aliquanto retractatiores (eoque certe emendatiores, quod laus, in Veneta editione immerenti mihi ab humaniſſimo auctore tributa, in Florentina hae eſt praetermiſſa) anno 1738. typis diligentiſſimi Cajetani Albizzinii excuſos.

3 Crudae hujus ac viridis, ut ait ille, ſenectutis exemplum ſuppeditat Valerius Maximus lib. VIII. cap 14. „ Siciliae, inquit, rector Hiero ad „ nonageſimum annum pervenit. Maſiniſſa, rex Numidiae, hunc modum exceſſit, regni ſpatium ſexaginta annis emenſus, & ante o-

„ mnes

mirabilius in ea, quod, cum suorum tam adversis casibus incredibiliter affligaretur, tamen tot funeribus parentum, viri liberorumque ac nepotum superfuerit. Demum, quam tot aerumnarum, tot dolorum sensus non confecerat, breve gaudium oppressit. Astor nepos, qui solus ex tanta sobole reliquus erat, juvenili studio visendi externa, nihil commotus aviae obtestationibus, absumptam jam annis in solitudine deseri se querentis, profectionem in Galliam parabat. Tandem expugnatus ab ea, non solum abeundi consilium abjecit, sed etiam, quam ipsa voluit, uxorem duxit. Id vero adeo laetum anui accidit, ut, ex nimio gaudio, levi contracto morbo, in ipsis sponsalibus expiraverit.

Julius Aloysii & Antonii Mariae Gratianorum pater.

Julius, parens noster, Leonem aetate antecessit, ac discordes fere egere: quae res utriusque commodis saepe offecit. In tuendae tamen familiae dignitate adversus oppugnantes egregie consenserunt. Vt Leo studiis litterarum, ita militiae studiis pater deditus. Prima rudimenta sub Nicolao Vrsino, Petiliani Comite, clarissimo Venetorum exercituum imperatore, posuit; atque inter cataphractos equites adolescens meruit; praelioque ad Abduam anno MDIX. commisso, quo Venetae Reip. magnopere fractae vires sunt, interfuit, adversoque pectore vulnus accepit. Confirmatus inde pene prioris Caroli 1 equestre decus retulit. Cum enim re-

" omnes homines robore senectae admirabilis. Constat, eum, quemadmodum Cicero refert libro, quem de senectute scripsit, nullo unquam imbri, nullo frigore, ut caput suum veste tegeret, adduci potuisse. Eundem ferunt, aliquot horis in eodem vestigio perstare solitum, non ante moto pede, quam consimili labore juvenes fatigasset: ac, si quid agi e sedente oporteret, toto die saepenumero nullam in partem converso corpore, in solio durasse: ille vero etiam exercitus equo insidens, noctem diei plerumque jungendo duxit: nihilque omnino ex iis operibus, quae adolescens sustinere assueverat, quo minus senectute ageret, omisit "

Locus autem Ciceronis, a Valerio indicatus, legitur libri de senectute capite 34. (al. 10.) in hunc modum. " Arbitror, te audire, Scipio, hospes tuus avitus Masinissa quae faciat hodie, nonaginta annos natus: cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non adscendere; cum equo, ex equo non descendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit; summam in eo esse corporis siccitatem: itaque exsequi omnia regis officia & munera. "

1 *Priorem Carolum* Gratianos appellat Buoni veteris illius filium, de quo fuse libro II. pag 61. reliquisque deinceps egit. Quoddam ad eum pertinens monumentum, haec quum scribimus, ad nos affertur, cui locus aptissimus suusque fuerat ad pag. 71. ubi de sepulcro ejus invento, deque ara ab eo excitata, deinde vetustate collapsa, denique ab Antonio Maria nostro restituta, agebatur. Quod ibi omittere coacti sumus, hic reddimus. Est autem id monumentum ab ipso au-

Ludus equestris.

regressi a bello juvenes equestrem ederent ludum, quo singuli hastas ex equis in ligneam Aethiopis statuam, machinae impositam, dirigunt, cujus sinistra munitur parma, dextera extento brachio suspensos loris ternos globos tenet, atque ictu hastae impulsa, ita ferreo scapo, veluti cardine, circumvolvitur, ut ferientis equitis dorsum, nisi celeri transcursu praevertat, globis converberet: cumque eum ludum Julius, praeter caeteros, apte magna spectantium approbatione obiret, aemulatione laudis ejus invidiaque succensus unus civium, qui, cum plura equestris militiae stipendia haberet, adolescentem studiis spectantium praeferri sibi aegre ferebat: „ Quin nos, inquit, Juli, verae pugnae simulacrum, „ ac verae virtutis experimentum civibus nostris spectandum „ praebemus? Si placet, justa sumamus arma, validioresque „ conscendamus equos, atque iis congrediamur. Victor e floribus sertum, spectantium matronarum manibus „ textum, feret. „ Sibi vero perplacere cum respondisset Julius, armati infestis hastis concurrerunt. Primo occursu, uterque hastam in alterius pectus perfregit: secundo (nam, ut ter repeteretur, convenerat) tanta vi Julius in caput atque in ipsam cassidis bucculam [1] inflixit adversario hastam, ut ille in clunes equi revolutus ad terram decideret, magno vitae periculo, quod altero pede implicitum trahebat equus, nisi multorum objectu inhibitus stetisset. Eum Julius, inter manus suorum domum relatum, amanter, ne quid per odium actum videri posset, invisit; atque inde magna frequentia celebratus domum rediit. Per haec acta patri juventa [2],

Provocatur ad equestrem pugnam Julius.

Julius adversarium equo dejicit.

Bel-

auctore exaratum, & in marmorea tabula ad eandem aram inscriptum in haec verba.

„ Aram hanc dedicavit Carolus „ Gratianus, Bonni fil. Qui, omni „ bellica virtute, patri, clarissimo du„ ci, par, paternis laudibus gemi„ num fortitudinis & pietatis decus „ adjunxit. Nam & magnis copiis „ apud Insubres praepositus aemulum „ Gallum, superbe provocantem, sin„ gulari pugna victum cedere sibi, „ inspectante exercitu, ac tradere ar„ ma coegit: & patriam saeva Fa„ giolanorum vi ac dominatione op„ pressam, pulsis profligatisque ty„ rannis, liberavit.

„ Eandem aram vetustate absum„ ptam Antonius Maria Gratianus, „ Julii fil. religioni simul & memo„ riae majorum suorum consulens re„ stituit anno MDXXCV. postquam „ condita a Carolo fuerat, CCC. „

1 Contra autographum, in quo est *bacculam*, edo *bucculam*. Est autem *buccula* pars ea cassidis, qua buccae seu genae conteguntur. Juven. sat. x. v. 133. „ Lorica, & fracta de casside buccula pendens. „

2 Hic locus me diutissime torsit: quum ita legeretur in manuscripto: *per haec acta patri inventa*: donec animadverti *juventa* non *inventa* esse legendum. Vere Petrus Victorius in lit-

Bello Florentino, quo Medicei, per seditionem patria atque dominatu pulsi, domum reducebantur anno MDXXX. obsidentibus Florentiam Clementis VII. & Caroli V. Caesaris copiis, duce Philiberto Calonio Aurangiae Principe, Julius Reip. militavit; cujus auctoritatem civitas nostra, pro sua fide, sequebatur. Ac Florentini, qui urbi praesidio esset, Napolionem Vrsinum, Jo. Jordani filium, magni Virginii nepotem, cum trecentis equitibus, quibus praeerat, Burgum misere; juvenem egregie fortem, sed ingenio praefervidum, & ocium pati nescium. Itaque non contentus a se vim prohibere, etiam hostibus quam maxime nocere studebat. Aretini, Florentino nomini semper infensi, ad primam novae fortunae spem defecerant, praesidiumque ab Aurangio missum receperant. Florentini arcem retinebant, & ex ea saepe impetum in oppidum faciebant, &, adjuvante maxime Vrsino, commeatus, qui a Tiferno, Perusia, Pontificiisque finibus ad exercitum obsidentem Florentiae maenia comportabantur, intercipiebant. Huic incommodo ut occurreretur, tutaque itinera frumentatoribus praestarentur, Alexander Vitellius Tifernas cum militibus mille, equitibus centum, Aretium proficisci est jussus. Is, ut erat vir experiens & gnarus militiae, non solum ab Aretino agro licentiam ac vim hostium summovit, sed, aucto magnopere ex Aretinorum juventute suorum numero, & Guidonem Mazonium, Orbechi Comitem, Puppio expulit, & Monterchium, castellum non nihil opere, sed magis natura munitum, quinque admodum millibus passuum a Burgo, oppugnare instituit. Enimvero Vrsinus, qui ne quieto quidem hoste quieturus erat, id dedecus suum ratus, confectis Burgi mille quingentis militibus, totidemque ex vicinis oppidis, addito suo equitatu, nocturno praelio invadere hostem parat, eo properantius, quod Vitellium, tentato nequicquam Monterchio, Tifernum, ut inde tormenta verberandis muris adduceret, concessisse audierat, & absentiam eius suam occasionem rebatur. Post mediam noctem profectus, cum viae hyemalibus pluviis caenosae ac lubricae iter morarentur, & maxime equites passim lapsantes vexarent, desperans, se ante lucem, ut con-

Vrsinus Burgo praepositus.

Alexander Vitellius.

Vrsinus invadere Vitellium parat.

R

litteris ad Nicolaom Ardinghellum, quas Ciceronis epistolis, ab ipso emendatis, praefixit, ане valde assentiente ac saepe experto, pronunciavit. „ Saepe parva admodum perversio est, „ quae tantam caliginem ussundit, „ ut, cum postea in veram incideris „ lectionem, mireris indignerisque, „ tam parvum in antiqua scriptura „ erratum tantum tibi negotii facessisse. „

constituerat, perventurum, avertere retro agmen caeperat. Sed cohortantibus suis, ne caeptum omitteret; dum anceps animi inter redeundi pergendique cogitationem nutat, neutrum consilium tenuit. Et, cum omnis in eo spes esset, si hostem inopinantem imparatumque aggrederetur; & serius pervenit, albescente jam die, & vigiles non fefellit: qui, e superiori colle, in vallem se Soricis demittentes advertere, signumque capiendi arma suis dedere. Soricem Pichi hodie tenent, ubi permunitam turrim veteris fuisse Baldacii ferunt. Hostes igitur instructi, & animis & viribus parati, & loco & numero superiores, fessis de via vexatisque & saepe prolapsis, & nocturno frigore [erat enim brumae tempus] rigentibus Vrsinianis occurrunt: qui omnibus rebus impares vix primum impetum incurrentium hostium tulerunt. Non defuit, in re trepida iniquaque, sibi Vrsinus; & retentare suos & revocare a fuga saepe conatus, ne amisso quidem equo pugnam omisit. Ad extremum, ingruente hostium multitudine, desertus prope jam ab omnibus, admotum a puero equum conscendit, in tutumque se recepit. Maximam militum partem propinqua Soricis Silva texit. Itaque, paucis desideratis, pluribus sauciis, per devias semitas Anglarium primo, deinde Burgum cum ipso Vrsino rediere. Vitellius profligato jam praelio superveniens, Vrsinum antegressus, ei ad pontem Tiberis occurrit, juvenemque ea genitum familia, per quam pater patruique ejus creverant, amicissime salutatum in tutumque prosecutus dimisit. Vrsinus paulo post Florentiam est profectus. Vitellius, dedente se Anglario, Burgum quoque recepit. Et mox Florentiae ipsius secuta deditio est, & in ea, arbitrio Clementis, Alexander Medices princeps constitutus. Caeterum Julius parens hoc bello quingentis militibus praefuit, & Ferrucii, novi quidem sed longe acerrimi ducis, spem amicitiamque secutus adversae fortunae ejus damna persensit. Is ex mercatore repente ad militaris ducatus munera traductus, eam animi atque consilii vim gerendis imperiis attulit, ut multa egregia bellicae virtutis facinora ediderit. Empoli praepositus, locum magni ad omnia momenti tam strenue tutatus est, ut eum aggredi hostes, nisi post discessum ipsius, ausi non sint. Inde, ad coercendos Volaterranos, qui fidem exuerant, missus, in oppidum per arcem irrumpens, magna edita caede, atque adversus sontes suppliciis grassatus, sub jus Reip. redire coegit: tanta quidem severitate, ut duos e primoribus civium, quos contra edictum suum exire oppido

Ad Monteichium res male gesta.

Julius Ferrucium secutus.

Ferrucius.

Ferrucii severitas.

& su-

& fugam consciscere conatos comperit, protinus e Praetorii fenestris suspendi jusserit, alios, imperatam pecuniam nisi extemplo expedivissent, conjectos in vincula fame necaturus fuerit. Tantam autem fiduciam sui & contemptum hostium praetulit, ut cum Volaterras valida cum manu ad eum oppugnandum Fabritius Maramaldus venisset, &, ad compulsum intra maenia, tibicinem misisset, qui urbem tradi sibi sine mora juberet, ira incensus illum miserum arripi statim, & fracta cervice laqueo, suspendi imperaverit. Quod facinus, contra militare jus admissum, exitio postea illi fuit. Caeterum Ferrucius, pari constantiae atque industriae laude, non Fabritii solum, sed Vastii quoque, majoris & clarioris ducis, acres ac saepe integratas ad maenia impressiones ita sustinuit, ut, irrito incaepto, abscedere pudoris atque Irae plenum coegerit. Accitus inde Florentiam est a magistratibus, qui plurimum spei in peracri ardentique ingenio ejus, tam duro Reip. tempore, repositum habebant, ac de ferenda obsessis ope & fortuna praelii tentanda cum eo constituunt, unique negocium perficiendae rei committunt. Ipse Pisas profectus, & ubique acerbissimis exactionibus coacta pecunia, in eoque nullius aut humani aut divini juris ratione ducta, novum exercitum comparavit, ac deviis itineribus per Pistorienses montes ducere Florentiam instituit. His per exploratores cognitis, tanti obsidentibus fuit hunc & virum & conatum opprimere, ut ipse Aurangius in eam expeditionem cum delectis ex toto exercitu copiis sit profectus. Ferrucium ferunt, cum declinare alio averso itinere occursum hostium posset, & sui hortarentur, consilium timoris speciem habiturum elate ac superbe respuisse: tantum militaris spiritus in duce, nuper e mensariorum tabernis egresso, est inventum. Sed excelso atque invicto animo gloriam liberatae patriae non temere affectantem fortuna destituit. Victus enim ad Gabinianum atque interfectus est, cum nemo in eo ullum vel periti ac providi ducis, vel fortissimi militis officium desiderasset. Verum tanta contentione ac tam ancipiti praelio est dimicatum, ut Aurangius ipse in acie acerrime pugnans ceciderit. Ferrucium captum atque traditum sibi Fabritius Maramaldus, exprobrans, contra morem militiae ab eo tibicinem suum strangulatum, crudeliter confodit; &, quod flagitium in alio vindicavit, ipse, haud minori violati juris nota, in deditum saeviendo, admisit. Quanquam ipse postea, hujus facinoris adversae tegendae famae, ferebat, caesum ab se, non gratia privatae vin-

Ferrucii constantia.

Ferrucius obsessae Florentiae ferre opem parat.

Aurangius in Ferrucium.

Aurangius in praelio cadit.

Ferrucius a Maramaldo confossus.

vindictae, sed, in qua pugna victor tantae dignitatis imperator occubuisset, ex ea gregarius dux victus ne evaderet; Julius pater, occiso Ferrucio, saucius ipse domum ex eo praelio rediit, patrimonio imminuto, & magno pro facultatibus suis alieno aere conflato; adeo non offenso Clemente Mediceisque, in quorum inde jus ditionemque urbs Florentia concessit, ut ab Alexandro primum, deinde etiam a Cosmo menstruo stipendio, quam diu vixit, liberaliter sit sublevatus. Migravit e vita anno MDXLIII. aetatis suae LV. Statura fuit justa, rutilo capillo barbaque, corpore candido, animo magno, & supra fortunae suae modum saepe se erigente, moribus, dempta iracundia [cui tamen, quantum sinebat natura, moderabatur] percommodis suavibusque. Pari affectu fidei odiique amicitias inimicitiasque exercuit: de quo ita & sentiebant & loquebantur homines, neque aequiorem amicum neque infestiorem inimicum illo inveniri facile posse. Tres uxores duxit, atque ex omnibus liberos tulit. Prima Lucretiam & Thaddaeam illi peperit: quarum Lucretia Ludovico Meliorato, Thaddaea Matthaeo Carsidonio, honestis civibus, nupsere. Ex Ludovica Sernarda nos geniti sumus: quam excelluisse pulchritudine atque ingenio praedicant, qui adhuc ejus meminerunt. Moriens anno MDXL. quinque filios virilis stirpis reliquit, pueros omnes. Nam Ursinus, natu maximus, vigesimum annum non attigerat: secundus fuit Carolus: tu, frater, tertius: quartus Claudius: ego postremus; quem mater pene lactentem destituit. Ex ultima, quae viro superfuit, ortus Fabius. Primus omnium Claudius vita excessit Turchiarae in oppido Parmensis agri, cum juvenis belli studiis deditus, Sfortiae, Sanctae Florae Comiti, claro ejus tempestatis duci, cujus a poculis erat, operam navaret, vix dum alterum & vigesimum annum transgressus; egregia corporis specie, & pari animi indole. Ingenio & eruditione Ursinus, animo Carolus reliquos praestitit. Sed ille & naturam & doctrinam abjectis moribus inquinavit: hic vim animi ingentem superbia corrupit, communi (quod fatendum est) familiae nostrae labe. Neque enim aliud quicquam aut nocuit nostris magis, aut magis vitio datum, non viris solum, sed etiam faeminis, quam quod fastidio saepe ac nimiis spiritibus efferimur; quos ne egestas quidem & dejecta fortuna fregit. Carolus bello Romano cum Paulus quartus Pontifex ab Hispanis oppugnaretur, anno MDLVI. trecentis militibus praefuit, ab N. Cantelmo Populi Duce, Pontificis so-

Julius domum e praelio saucius redit.

Julii patris mors.

ro-

roris filio, provectus. Fabius nobili illa navali pugna occubuit, quae ad Echinadas insulas anno MDLXXI. pugnata est. Qua victi Turcae imperio maris, quo potiti diu fuerant, depulsi sunt; & Christiani amissam pridem belli gloriam, diuque a Barbaris usurpatam, clarissima victoria recuperarunt. Hunc ego juvenem, quia omnis ferme doctrinae expers erat, ac minime ad sacerdotalium munerum studia in Romana Aula appellere videbatur animum, M. Antonio Columnae, qui Pontificiae classi imperator delectus erat, per Cardinalem Commendonum, qui Columnae erat amicissimus, tradidi, armis, pecunia, rebus omnibus affatim instructum; ut militiae tyrocinium sub viro ac duce clarissimo poneret. Nec ille spem meam fefellerat. Nam, obsequio, fide, & impigre obeundis imperiis, cum apud M. Antonium gratiae locum est adeptus, eam animi atque virtutis opinionem fecerat, ut non solum charus illi in paucis brevi evaserit, sed, cum legeret ille ex omni exercitu, quos imminente praelio in eadem secum quinqueremi, atque circa se haberet, Fabium in eo esse numero voluerit. Sed juvenem, si mansisset vita, ad egregiam laudem perventurum, fortuna in ipso praeclarae occasionis momento deseruit. Primo enim congressu cum duo Turcicae naves in Columnae navim invectae essent, & Fabius acriter pugnam inivisset, plumbea glande, sclopo impulsa, vulnus in pectore, mox aliud in femore accepit. Et tamen locum tuebatur, nec praelium omittebat; corpus gemino vulnere, utroque lethali, debilitatum, vigore animi sustinente: donec tertium incussum capiti telum, eodem tormento adactum, expulit vita. Prolapsum ante pedes suos & collaudavit Columna, &, post victoriam, in litteris, quibus rem gestam ad Pium quintum Pontificem Max. scripsit, quas ipse postea legi, honora oratione est prosecutus [1]; &, cum insigniores viros eo praelio desideratos recenseret, inter primos Fabii nomen retulit. Fabius.

1 Exemplum litterarum, quas in morte hujus ejusdem Fabii ad Auctorem nostrum Archiepiscopus Cyprius dedit, habe, non ad Etruscae linguae normam exactas, sed quales ex autographo descriptae in meas manus pervenerunt. Datas Venetiis statui: etsi in exemplo, non nisi V. littera, cum inscripta altera littera *a*, ad epistolae calcem compareat: qua nota non magis *Venezia* significari, quam *Verona*, quam *Villa*, quam multa alia, posse equidem video.

„ Molto Magnifico e Reverendo
„ Signore.

„ Per le ultime litere di Roma
„ con grande mio cordoglio ho inte-
„ so quello, del che (non havendo al-
„ cuna nova prima, ancho che la hab-
„ bi procurata) io già suspicava mol-
„ to,

„ to, ciò è, che Fabio combattendo „ valorosamente sii stato colto da una „ archibusata: et per quella molto „ mi è doluto nel'animo, che il fior „ de la gioventù sua sii stato tronco: „ et forsi non meno, che lei. Hab- „ biamo però da allegrarsi per la cer- „ tezza, che potemo haver de la „ grolia sua in cielo, et ancho del „ bon nome lassato in terra. Si di- „ ce che il Sig Marco Antonio lo „ ha pianto, et tutta la sua Galea. „ Confido, che questo, et tant'altri „ sangui sparsi ci impetreranno una „ giusta vendetta da la divina bontà „ contra queste fiere e serpi inimici „ di *Dio*, et de la humana natura, „ la quale essi desiderano di estin- „ guer. Confido ancho che vi alle- „ grarete di haver in ciò molta par- „ te circa il che la prego a darmi „ qualche consolazione N S Dio „ la conservi sana, et ne la sua san- „ ta grazia.

„ La sarà contenta salutar molto „ per mio nome Monsignor Giusti- „ niano, il Sig. Galorato, Monsignor „ Vincenzo, Monsignor Marco An- „ tonio, et il resto de la famiglia.

„ Di Venezia alli 15. Dic. 1571.

„ D. V. S.

„ P. Lui. Arcivescovo di Cipro. „



AN-



ANTONII MARIAE

GRATIANI

A BVRGO SANCTI SEPVLCRI

DE SCRIPTIS INVITA MINERVA

AD ALOYSIVM FRATREM

LIBER V.





Os, frater, soli nunc superfumus, quibus & longior aetas & cursus vitae aequabilior constantiorque divino tributus est beneficio. Et quid ego nunc verear aliquid etiam de te ad te scribere, quando domesticas res persequi omnes instituimus, & tu silendus mihi neutiquam es? Tu, frater, antequam adolescentia egredereris, domo egressus es. Dilapsa enim re familiari, & omni prope patrimonio, alieno dissolvendo aere, quo nos oneratos reliquerat pater, impenso, nobis amissam domi fortunam quaerere foris necesse fuit. In Romana Aula viginti amplius annis versatus ita es, ut charissimus semper atque in intimis fueris iis, apud quos vixisti. Studio elatum externas visendi provincias sors mirifice juvit, praebita occasione adeundi non Europae solum florentissimas gentes, sed Asiae quoque atque Aegypti nationes: ut primo quidem Italiam, quanta a freto Siciliae ad Alpes patet, omnem lustra-

Gentes ab Aloysio fratre aditae.

straveris; deinde Alpes ipsas transgressus, ulteriorem Galliam, Luthetiam usque Parisiorum intrasti: atque inde per Pictones Santonesque & Aquitanos ad Pyrenaeos saltus venisti: quibus superatis, in Hispaniam exiens trans Iberum, trans Tagum, totam percurristi. Nam a Bajona, Fonterabia, Pampelona per fines Cantabriae Asturiaeque & Legionis in Galletiam transisti; & ad Compostellam D. Jacobi templum, religione & concursu omnium prope nationum inclytum, adiisti. Hinc Lusitaniam, atque Olissipponem ad ostia Tagi petisti, regiam maximamque urbem, antequam Hispanis subderetur. Nunc, amissis gentis suae regibus, extenuatam magnopere frequentiam celebritatemque ejus esse ferunt. Interiit proximis superioribus annis regum Lusitanorum genus. Joanni III. Emanuele orto, unicus filius fuit, nomine Alphonsus: cui pater maturavit nuptias, mathematicorum admonitu, denunciantium, ex non dubiis genituràe argumentis, brevem adolescentis vitam fore. Neque hominum, alioqui vanissimorum, judicium eventus fefellit. Nam Alphonsus, ducta in matrimonium Joanna, Caroli quinti Caesaris filia, virgine florente aetate atque forma, ita intemperanter novae nuptae amplexibus indulsit, ut, intra undevigesimum annum vitae, obierit, conjuge praegnante relicta: quae inde postumum puerum est enixa; quem Sebastianum dixere, magnum afflictae domus solatium. Is, mortuo Joanne avo, in regnum successit, &, ubi adolevit (quanquam saepe a popularibus enixe rogaretur, ut uxorem duceret atque operam liberis daret) rem distulit; sive vitae fiducia, sive, ut plerique existimarunt, horrens conjugii jugum. Religionis certe & Sacrorum studiis magnopere deditum fuisse constat, seu sponte ac bonitate naturae, sive ab educatoribus inductum [1], (nam tradiderat eum avus instituendum Jesuitis quibusdam, piis quidem hominibus & egregie probis, verum non aeque regiarum artium gnaris [2].) Itaque propagandi armis rem

Hispaniam obit.

Regum Lusitaniae interitus.

Sebastiani regis ortus.

1 Haerentem manuscripto lectionem *inductus* pro *inductum*, edi nequaquam sum passus.

2 Quod *piorum hominum & egregie proborum* laudem Jesuitis, Sebastiani regis educatoribus, Gratianus tribuit, quodque eum Religionis Sacrorumque studiis magnopere deditum non bonitate modo naturae, sed illorum etiam institutione fuisse significat, cum illis honorificum est (praeclarum est enim ab laudato viro laudari) tum mihi ex eodem illorum coetu vehementer gratum atque jucundum, cui nihil fuit umquam aut esse debuit antiquius, quam mea meorumque probitas. Quod eos *non aeque regiarum artium* fuisse *gnaros* affirmat, id sane, me non repugnante aut contradicente, affirmarit. Neque enim regiae experiendae sunt artes ab iis, qui neque reges ipsi sunt, neque reges in propriis ro-

rem Christianam magna juvenis, sed inconsulta, cupiditate flagrabat; idque maxime regium rebatur. Sic affecto oblata

S for-

regum artibus, sed in communibus reliquorum hominum officiis, pietate nimirum atque doctrinis, instituunt Qnod denique non plane negare videtur, Sebastiani de non ducenda oxore consilium ab educatorum sententia non abhorruisse, in ea re ipse non nisi rumorem ab malevolis tum disseminatum, deinde ab nonnullis aut veritatis ignaris, aut verae invidiae universo coetui ex paocorum salsa criminatione conflandae studiosia sctiptoribus vulgatum, seqoutua esse convincitur. Quod ita esse, veritatis dumtaxat prodendae gratia, sum breviter hnc loco ostensorus: non quod turpe suisse futurum illis educatoribus putem, si magnanimom ac sanctum colendae virginitatis regii alumni propositum sua ipsi approbatiooe adjuvissent Est enim etiam in regibus sancta Deoque grata virginitas: & plurimos reges virgines Beatorum in caelis vita atque merces, in terra hominum fama deveneratioque consequota est: Sed certe Sebastiani regis hujua, quo de agimus, regnique ejua populorumque tempora atque rationea id flagitabant, ut de uxore ducenda, propagandaque sobole cogitaret. Viderunt id ejus educatorea homines *pii atque egregie probi*, &, quamqoam *non aeque regiarum artium gnari*, attamen insigniter prudentes: (neque enim alii aut exhibentur regibus educatores, aut adhibentur.) Eorum princeps erat Ludovicoa Consalvius. Is ab orbe Roma, ubi Jacobo Laynio, qui S. Ignatio in Societatis administratione successit, dabat operam, apud quem in ea regenda Assistentis munere (qoae est amplissima in nostro Coetu procoratio, nec nisi sanctissimis ac sapientissimis demandatur) ac potestate fungebatur, reginae Catharinae summa contentione, invitus atque obluctans ad regis Sebastiani, nepotis sui, pocritiam pietate ac litteria informandam fuerat evoeatus. Quid, ubi regios alumnus adolevit, Consalvius egerit, quo ejus animum, qui ad vitam caelibem ferebatur, ad nuptiarum celebrandarum voluntatem (ita temporibua rei publicae postulantibua) flecteret, docet Franciseus Saechinus, historiae Societatis Jesu auctor luculentissimus, Partis tertiae libro 7. num. 242.

,, Hia, inquit, paulo ante gestia
,, superiore anno, adsuit Roma missua a Pootifiee (Pio V) Ludovi-
,, eus Torriaous, Sanctissimi Patris
,, nomine duo postulans a rege; pri-
,, mum, ut auxilium ferret Veneris
,, contra Turcas, communes Christia-
,, norum hostes: alterum, ut regni
,, io futurum paei regiaeque stirpi
,, prospiciena, uxotem doceret Mar-
,, garitam, Caroli, Galliarum regis,
,, sororem. . Cum rex negaret, vi-
,, rea in praesentia sibi suppetere ad
,, auxilium serendoui Venetis, deque
,, uxore ducenda cogitaturum diceret:
,, tum, malevolis dissipantiboa, tum
,, volgo, ut assolet, quas rea in Prin-
,, eipibus non probat, earum caosam
,, in eoa conferenre, de quibua liceae
,, impunitius obloqui: vulgator, per
,, Jesuitas fieri, quo minus utrumque
,, negotium procederet. Quod quidem
,, Consalviua a principio providerat.
,, Itaque, cum a Pontifice literas per
,, Ludovicum Turrianum accepisset,
,, ot persuadere nuptias Sebastiano co-
,, naretur, atque etiam a Borgia (S.
,, Francisco) qui insuper monuerat,
,, ut serio ageret rem, ne per ipsum
,, stare crederetur: Borgiae honc in mo-
,, dum respondit. ,, Quod vertendum
,, mihi vitio seribia, si forte rea exi-
,, tum non babeat, pro eo, quod
,, causa Societatis agitur, non possum
,, vehementer non commoveri. Me-
,, moria repeto, cum Pater Laynius
,, ad hoc regoum me Regi instituto-
,, rem misit, multa me scripto ei of-
,, ferre;, quo procurationem desuge-
,, rem: & capitum unum hoc erat;
,, quae non probarentur in vulgus,
,, eorum culpam in latera Regia aver-
,, tendam esse. Ego sic arbitror, si
,, quid

Contentio regni inter Emonucum & Serifum.

forte materia ingenio est. Certamen de regno inter Emonucum patruum, & Serifum, fratris filium, in Africa est ortum.

„ quid est a me peccatum, id esse,
„ quod vehementius & immodera-
„ tius in hoc matrimonium incu-
„ buerim. Qui Pontifici narrant,
„ in manu mea cor esse Regis,
„ ut possim, quocumque velim, in-
„ flectere; ii de Sebastiano perinde
„ existimant, atque de quovis ejus
„ aequali. Sed, qui eum norunt,
„ non item existimant. Nam, quod
„ vult, plane vult; praesertim hoc
„ in genere, in quo toties concerta-
„ vit & vicit. Ego, quemadmo-
„ dum Sanctissimus Pater jubebat,
„ quam acertime eum conveni: sed
„ aditum inveni nullum. quin adeo
„ declaravit, se ad suum Consilium
„ rem detulisse, & secum illud quo-
„ que sensisse. „ Haec & multa alia,
„ & unde tum vere esset mora, Con-
„ salvius scripsit. Caeterum Ludovi-
„ cus etiam Torrianus, a Pontifice
„ missus, vir sagax & prudens, ac
„ perscrutatus omnia diligenter, aper-
„ te vidit, exulceratam Reginam &
„ ejus Aulam: et Patres non causam
„ dissensionum, sed omnino eos es-
„ se, qui ne in majus incommodum
„ erumperent, hinc Regis, inde Car-
„ dinalis, et ipsius Catharinae ani-
„ mum permulcendo continerent. Con-
„ salvius quoque abunde Rusticuccio
„ Cardinali datis literis satisfecit:
„ quibus significabat, nemini opta-
„ tius, quam sibi, esse, ut, primo
„ quoque tempore, justi nexu matri-
„ monii Rex illigaretur: tum ut stirps
„ tam bene de Christiana Republica,
„ deque Societate meritorum Regum
„ in tuto collocaretur: tum etiam ut
„ Sebastianum, in cujus ipse conser-
„ vanda innocentia non parum exhau-
„ serat curarum, antequam fervens
„ adolescentiae aestus forte transver-
„ sum raperet, nuptiarum sanctitas
„ occuparet. Quod autem Sanctissimi
„ Patris voluntati idem obsequutus
„ non esset, eam fuisse causam, quod
„ non ex Gallis, sed ex Germania
„ conjugem sibi animo destinarat, al-
„ teram e Maximiliani Caesaris filia-
„ bus, eaque in spe diu adoleverat;
„ quarum postea quam una Philippo
„ Regi Catholico, altera Carolo Re-
„ gi Christianissimo nupsisset; tum
„ se ipsum, ne aliunde praeriperetur
„ occasio, auctorem ei etiam atque
„ etiam fuisse Nuntios ea gratia mit-
„ tendi in Galliam. At illum aegrum,
„ quod sperata affinitate Caesaris ex-
„ cidisset, non potuisse perpelli, ut
„ continuo animum in Galliam in-
„ clinaret. His ergo rebus ex Con-
„ salvio, atque Ignatio Azebedio,
„ cum Romam superiore anno venit,
„ aliisque fide dignis viris Pontifex
„ probe cognitis, nullam de Societa-
„ tis hominibus suspicionem adver-
„ sam admisit. Idem Azebedius (de
„ quo Patris Michaelis Turriani illud
„ est praeclarum testimonium, ea esse
„ veritate, ut relaturus esset fideliter
„ aliorum sententias, etiamsi contra
„ ipsummet essent) jussus a Borgia,
„ cum rediisset in Lusitaniam, perscru-
„ tari quam religiosissime intima de
„ rumoribus, qui contra Societatem
„ gliscebant, scripsit, ex livore cuncta
„ & perturbationibus iniquis oriri: &
„ quidem ad divinam gloriam expe-
„ dire Societati miserandam esse po-
„ tius, quam invidiosam: tamen ver-
„ santium in Aula Patrum laudabilem
„ omnino esse ac salutarem operam.
„ Ceterum Pontifex cum pervellet
„ matrimonium Regis ad effectum
„ perduci, hanc quoque rem in man-
„ datis Alexandrino atque Borgiae
„ dedit: eamque ita illi tractarunt,
„ ut Sebastiani animum ad extremum
„ expugnarint: nec per ipsum stete-
„ rit, quominus matrimonium con-
„ flaretur; sed quod interim, inscio
„ Pontifice, Margarita Henrico Regi
„ Navarrae, qui deinde Henricus
„ Quartus Rex Galliae fuit, despon-
„ sa est. Quare mirum profecto est,
„ quosdam memoriae prodidisse, ab
„ Religiosis Sacerdotibus nostram adeo
„ Sanctis Pontificis Maximi orsis obje-
„ ctam fuisse; cum illi uni, quicquid
„ ab Rege moratum fuit, amoliti
„ sint.

tum. Serisus non justo matrimonio natus, & si successione paternae haereditatis legibus excludebatur, tamen per ab-
S 2 sen-

,, sint. Quod qua, ubsecro, teligione
,, teticetur? Quippe, si didita ante id
,, tempus inter quosdam suspicio mit-
,, tenda in literas videbatur, aequum
,, erat, ut verus ac diligens scri-
,, ptor, quem non decet graviorum
,, rerum caosas praetermittere, cau-
,, sas veritatis indagaret: fideliterque
,, nun taotum, quae in unam partem,
,, sed etiam quae in alreram diceban-
,, tur, quaeque in re esseor, cognosce-
,, ret ac referret. Quod enim hone-
,, stum adeo ac laudabile factum est,
,, quod homines sive quadam ingenii
,, velut natnrali perversitate ac ma-
,, lignitate, sive per imprudentiam,
,, sive ex odio, aut alia pertorbatione
,, respectuque rationum suarum non
,, secus interpretentur? Quae tam mo-
,, nita unquam ac felix Sanctitas
,, fuit, ad quam obtrectatorum mor-
,, sus non aspirarent? Quod si exi-
,, stentea interdum in vulgus rumu-
,, sculos historiae duntaxae, omissis
,, sapientiorum judiciis, mandes; cui
,, Sanctissimorum virorum non aspergi
,, aeterna possit infamia? Ut igitue
,, sinceri judicis non est, Inaudita al-
,, tera parte, sententiam ferre; ita
,, nec boni historici sermones, qui in
,, contumeliam alienam cedunt, prae-
,, sertim dum adeo gravis causa, to-
,, tiusque religiosae familiae dignitas
,, agitur, posteritati prodere, nisi
,, pariter, quae contra dicerentur,
,, investiget & apponat, atque adeo
,, etiam, quam vero similis sit volga-
,, ris garrulitas, diligenti lance per-
,, pendat. Etenim hac in re quis non
,, videt, nihil simile vero apud medio-
,, cri prudentia hominem afferri pos-
,, se, cur quisquam e Societate non
,, omnibus votis nuptias Sebastiani Re-
,, gis optaret? Quid, rogo, ipsi spe-
,, rare commodi poterant, si eas im-
,, pedirent? Contra vero Regis, Or-
,, dini suo addictissimi, eque stirpe
,, optime merita procreati, quid pro-
,, pius fidem est, quam propagatum
,, genus cupere, tum publici tum
,, privati boni studio? Unde enim
,, (ut quidem documenta praesentia
,, admonebant, si cetera circumspice-
,, rent regna) tantumdem gratiae, li-
,, beralitatis, addo etiam poteotiae
,, sperare unquam liceret? An reli-
,, giosis Sacerdotibus, quibus una pro-
,, posita est summa Dei gloria, sa-
,, lusque mortalium, tantum vel stu-
,, poris insederit vel pravitatis, ut
,, vel non viderent, quae conversio re-
,, rum, quae damna instarent, si
,, Rex, non relicta sobole, dece-
,, deret, vel, si viderunt, ultro
,, ea mala accersetent? Scilicet hu-
,, manarum magistri divinorumque
,, rerum peritissimi ignorarent, vel ex
,, ipso solitudinum otio evocari homi-
,, nes, ut liberis procreandis in Re-
,, gnorum successionem operam dent,
,, idque sancte, ac necessario fieri ...
,, Mihi quidem, dum literas multo-
,, rum spatio annorom a plurimis scri-
,, ptas attentione, quantam adhibere
,, maximam ingenii mei tenoitas po-
,, tuit, verso invicemque confero,
,, mirabilia omnino visa est trium il-
,, lorum (Ludovici nempe Consalvii,
,, qui Sebastiani regis; Leonis Hen-
,, ricii, qui Henrici Cardinalis; &
,, Michaelis Turriani, qui Catharinae
,, reginae erat a confessionibus) per-
,, petua inter se Patrum concordia:
,, eaque, si nil praeterea argumenti
,, suppeteret, vel sola persuaderet,
,, recte sapienterque, pro modo imbe-
,, cillitatis humanae (nam homines
,, erant) administrata omnia. Omit-
,, to de Ludovico dicere, quem ne-
,, que Societas Assistentem Prae-
,, posito Generali, hoc est, Consilia-
,, tium atqoe custodem apposuisset,
,, neque Joannes tertius Rex Confes-
,, sarium sibi expetiisset, neque Ca-
,, tharina regina, ex ejusdem man-
,, dato, magistrum Sebastiano extor-
,, sisset: nisi viri pietatem, sapien-
,, tiam, fidem singularem cognovis-
,, sent. Michael Torrianus is erat,
,, quem S. Ignatios oculi sui pupil-
,, lam nominabat, & Provincialem Boe-
,, ticae & Lusitaniae Visitatorem, dis-
,, si-

sentiam Emonuci, mortuo patre, regnum invase$^{ra}_{x}$t, ejusque insignia solemni ritu susceperat. Redeunti mo Emonuco de-

,, ficillimo tempore, etiamnum propemodum tyronem, decrevit .... Leo autem Henricius, animi magnitudine & Christiana submissione suique despicientia & ardentissima charitate, tum vero invicta quadam libertate fiduciaque suscipiendi agendique quicquid e Dei laude censeret, jure maximis quibusque comparatur. Denique Cardinalis Henricus in tanta sapientia & sanctitate cum sua tum plurimorum, quibus intime utebatur, unum illum usque ad ultimum voluit conscientiae rectorem ac judicem. Jam, ut neuter horum, si perperam quid Ludovicus ageret, nec per se nec ex aliorum sermonibus, cum adeo loquaces Aulae sint, intelligeret, prorsus incredibile est: ut alteruter ambove intelligerent, sed per collusionem, aut alia causa, dissimolarent, longe alienius ab sanae mentis judicio est.

,, Quid postremo? Sermones, jam adeo per omnes Europae Aulas dissipati, si quid solidi habuissent, num tantum flagitium sanctitas Borgiae dissimulasset? Num tulisset Cardinalis Henricus? Num Pii quinti mascula praeteriisset integritas, dum adeo in hanc incumbebat curam? Atqui & Henricus cunctam Societatem, et in primis Ludovicum amavit semper et coluit, et nihil magis timuit, quam ne ab Regis custodia abjungeretur: & Pius, Sanctissimus aeque ac prudentissimus Pontifex, operam Sociorum in Lusitana Aula (ut tum erant res) ad continendos conglutinandosque inter se Reginae & Sebastiani & Cardinalis animos, cum fidelem tum necessariam existimabat . . . Haec autem omnia fusius dixerim, non tam ut quenquam arguerem, quam, ut ne ipse arguerer: neu religioso in Ordine sive ex malignitate, sive ex nimia incogitantia, obtrectatorum foedissima nota insideret. ,, Hactenus Sacchinus: cujus illa quoque ex Historiae suae Parte quarta lib VI. num. 193. huc facientia non omiserim.

,, Qui vero, inquit, neglectus prudentiae attentaeque sagacitatis (qua certe nota vix ne ab aemulis quidem hic Ordo vapulat) amantissimum sui Regem, eumdemque stirpis masculae supremum, & spem tantam populorum intempestivis consiliis ab cura propagandae prolis arcere? Id sane explorato compertum, indolem Sebastiano ab natura insitam mire verecundam, incorruptaeque pudicitiae adeo amantem, ut eam a Deo quotidie precibus flagitaret. Sed sane ejus virtutem vitio verti moderatoribus, quae demum confidentia sit? perinde quasi aut eorum culpa evenerit, quod is incestus non esset, aut illi castum simul & conjugem formare non possent.

,, Neque Rex abhorrentem adeo animum gerebat a nuptiis, quas cum regalibus foeminis, eo non insciente, simul etiam magno Pontifice Pio quinto conciliante, tentatas, scriptores ejus temporis tradidere. Quamvis, ut habent ea plerumque negotia inexplicabiles exitus, contigit, ut, quia caruit successu tractatio, difficultati rerum voluntatem Principis & Moderatorum ejus avocamenta praetexerent improvidi correctores. Cum tamen re ipsa quantum Ludovicus Consalvius auctoritate contenderit, ut Rex, conjugio maturus, statim uxorem duceret, in confesso tum apud omnes fuit. Cum enim ageretur de quadam impari genere foemina, quod pari nulla tunc esset, in matrimonium adsciscenda, Ludovicus has ipsas Regi nuptias laudare non dubitavit; tolerabilius multo ratus, ex majestata regia derogari quippiam, quam regiae sobolis successionem in discrimen adduci.

,, Porro, si Ludovicus, ut falsi interpretes autumant, a conjugio regio absterrebat, cum hic e vivis ab-

,, ie-

denunciari jussit, ut finibus abscederet. Verum auctoritate permoti Selimi, Turcarum regis, ad quem Emonucus confuge-

„ ierit fere tribus aote cladem Afri-
„ canam annis, cur toto illo tempore
„ juvenem, consultore vacuum, non
„ occuparuot, adegeruntque ad con-
„ jugium ii, qui id tantopere cura-
„ bant, sublatu jam morature nu-
„ ptiarum?

„ Quamquam infelicia hujusce fa-
„ mae, quae Societatem io tantum
„ invidiae tunc adduxit, felix sane
„ causa & prosperum fundamentum
„ fuit: ingens quippe beoevolentia,
„ qoam Sebastianus ab prima jam tum
„ pueritia haereditariam a majoribua
„ accepit atque auxit adversua Mode-
„ ratorea animae ae studiorum suorum.
„ Et Ludovicum in prima Consal-
„ vium uun amabat modo, sed etiam
„ observabat. . . . . Saepe etiam fa-
„ cienti ad aram regius adolescens,
„ ioio tex idem, haud aspetnatua ob-
„ sequium ultroque ad pedea ejus ab-
„ jectus, ipse inservire, Sacra ipse
„ ministrare voluit. Sed oihil aeque
„ voluntatem Regis adversua illum
„ ostentavit (unde major Societati
„ crevit, ut apud plerosque aestima-
„ tio, ita apud alios invidia, quae
„ umbra illius est fatalia & perti-
„ nax) quam, quo seosu & quam exag-
„ geratu doloria, aegritudinem ejus &
„ mortem tulit. Agebat una cum
„ regio comitatu atque Aulae asse-
„ ctatoribua Eborae Sebastianus, dum
„ Olissippooe conflictabatur morbo Lu-
„ dovicua. Ergo solicitus Rex, anxius-
„ que mentis, frequeotea ultro citro-
„ que commeare nuncioa jussit, cum
„ aegrotantem amicum, salutatum,
„ tum vero, quid spei de ipso com-
„ modae foret, sedulo relatum. Hae
„ demum & plane fraudatua ingentem
„ oon modo hausit animo dolorem
„ maerotemque, sed prae se etiam
„ vultu atque habitu toto corporis tu-
„ lit. Imo se tacite incusasse ipsum
„ ferunt, haud nescium, sui caula
„ contabuisse hominem ex dolore ani-
„ mi nimio, ob priorem Africae ex-
„ peditionem, ejusque belli posterio-
„ ra meditamenta, quae ab eo con-
„ stantius improbata, quam felicius
„ impedita, non ignorabat. Accepto
„ deio mortis ejus nuncio, specimen
„ praeboit regii luctus. Nam procul
„ ab arbitris involvens ipse se in so-
„ litudinem intimi conclavis, trea i-
„ psaa horas inaccessua omnibus in
„ maesto amaroque silentio perseve-
„ ravit. Mox, Aula deserta, velut
„ pompam doloria urbi ostentana, per
„ medium incessit ita, ut erat, atra
„ fluxaque veste pullatua, caputque
„ coopertus lugubri cucullo regiae
„ chlamydi ad humeroa superducto
„ suspensoque. Hinc recta in Coeno-
„ bium Divae Virginis, cui nomen
„ ab Spineto, extra pomoerium ur-
„ bis, abdidit se, totumque illum diem
„ impransua ac prope iocoenatua (no-
„ ctia vero plerumque insomnia ac vi-
„ gil) fenestris foll occlosia, atque in
„ ministerium vicemque lucis accen-
„ sa face, lo colloquium admisso oe-
„ mine, solitariua in magna maeroria
„ scena transegit. Cumque primarii
„ e Societate Patres, accessu impe-
„ trato, Principem adiissent, enixe
„ rogatum, ne se urbemque totam
„ luctu funestaret, hominis causa pri-
„ vati, & qui coeli jam gaudio frue-
„ retur, inflexa non parum ad quan-
„ dam iodulgentiam majestate, re-
„ spondit: Imaginem illam insuetae
„ maestitiae mirari desinerent, insue-
„ tae quippe jacturae debitam; idque
„ protinua meminissent, nullum sibi
„ unquam patrem, praeter unum Lu-
„ dovicum Consalvium, aut cognitum
„ aut dilectum. Neque horum fere
„ precibus monitisve quicquam defer-
„ re voluit, donec quinos ipsos dies,
„ qos explendo luctui destinaverat,
„ ii ea maeroria significatione con-
„ sumpsit. His exactis, primo quo-
„ que tempore, Olissiponem Ebora
„ vetc, Ludovici sepulcrum reveren-
„ ter invisit, mortuale Sacrum funus-
„ que exsequiale, se coram, cele-
„ brandum rite curavit: ibique pro
„ laudatione funebri Rex idem mu-
„ tus ac maestus: argumentum illustre
„ opi-

gerat, concordiam suadentis, & abnuentibus vim intentantis, divisere regnum: & alteri Fessa [1], alteri Marocum datum. Sed Emonucus, cui nuper exuli atque extorri pro magno munere fuerat in societatem fortunae recipi, ubi res suae placere sibi caeperunt, eadem amicitia Turcarum fultus, Serifum concessa parte regni, cujus nunquam sancta societas est, exturbat. Profugus ipse in Lusitaniam trajecit; & ad recuperandum paternum regnum, unde injuria patrui, & vi atque iniquitate Turcarum, esset pulsus, Sebastiani regis opem implorat. Gloriosum id nomini suo ac magnificum ratus

Divisio regni ex Turcarum auctoritate.

,, opinionis ejus, qua virtutem ac meritum Instructoria quondam sai complectebatur.

,, Haec regii in Societatem favoris documenta, omissa aliis multo pluribus, quae sua per historiam loris sparsa sunt, equidem aliquanto fortasse latius commemoravi, ut potissimam ac veram fallacis ejus adversaeque famae causam semel in conspectum lectoribus datem. Tantae siquidem & tam vulgatae significationes amoris, ut in admirationem rapuere animos omnium, ita apud subitarios quosdam & minus aequos rerum aestimatores obtinuere, ut quicquid Rex aut olim fecisset, aut facturus in posterum esset, Societati, tanquam auctori, tribuerent: obliti, aut minus animo pensitantes, illum pupillari jam aetate deposita, stiparoribus non minus obsessum, quam obnoxium, licet nunquam amorem ac beneficentiam erga Praeceptores exuerit, excussisse tamen, ut plerumque contingit, obsequium, ac, quod dimmorderat, fraenum abjecisse, tecepisse semet in Principem, propriamque magis indolem et consilia huic obsecundantia, quam magistrorum regimen respectare in futurum caepisse. etc ,,

Quibus tam multis tamque perspicuis ab Sacchino allatis argumentis adversus ridiculum, de Sebastiani regis nuptiis, Jesuitarum consilio atque opera, discussis, commentum, nihil nisi brevissimum unum illud subjiciam: non magis eos Sebastiani caelibatus amplectendi auctores, quam Janni Casimiro, multis post annis, fuisse. Is Sigismundi III. filius, Vladislai IV. Poloniae regum, frater, Societati Jesu nomen anno 1642. dederat, in eaque sexennium sanctissime vixerat. Quum autem periculum esset, ne filiorum expers Vladislaus frater decederet, timeretque Jo. Casimirus, ne si ea res forte eveniret, ipse ad regni successionem vocaretur, bonio, non nisi de Christi regno cogitans atque sollicitus, coepit multis precibus apud supremos Societatis Moderatores agere atque contendere, sibi ut, ante legitimum consuetumque reliquorum Sociorum tempus, Sacerdotii sacris initiari liceret; quo sibi aditum ad regnum atque conjugium certissima ratione praecluderet. Qua ejus postulatione serio ab illis constanterque repudiata, factum deinde est, ut, Vladislao sine sobole die 22. Maji an. 1648 e vivis sublato, ipse Poloniae Rex, solemnibus Regni comitiis, die 6 Jul. ejusdem anni renunciaretur, Mariamque Gonzagam Nivernensem, Mantuani Ducis filiam, Vladislai fratris viduam, interposita Pontificis Max. auctoritate, sibi matrimonio copularet.

1 *Fezzam* non *Fessam* Baudrandus vocat in Lexico geogr. ,, *Fezza*, inquit, ,, *Fez*, Hispania *Fezza*, urbs Africae clarissima et perampla, regni Fezzani caput, in Barbaria, sub dominio regis Marrochi Sed deficit in dies a multis annis Est in provincia *Fezza* dicta. Quibusdam est Volubilis antiquorum; et paucis abhinc annis subest regi Tafiletae cum regnis Fezzae et Marochii. ,,

tus Sebaſtianus advenientem benigne ſuſcepit. Et laetus inde ad imperium Africae aditum ſibi pateſieri, de eo in regnum reducendo conſilia inire caepit. Ad quod non parum ab iiſdem Jeſuitis incitatus fuiſſe fertur [1]: qui late pollentibus in Africa Sebaſtiani armis, Sacrorum quoque Chriſtianorum jura cultumque diffundi inter Barbaros poſſe ſperarunt; & rem, diſcriminis ac difficultatis plenam, ſolo religionis ſtudio metiebantur. Ergo Serifo, more exulum, omnia omnibus pollicenti, & omnia proclivia Sebaſtiano fore, ſeque quotidianis litteris nunciiſque acciri a Mauris, Emonuco propter

Sebaſtianua Serifum ſuſcipit.

1 Hujns qnoqne, paene anilis, fabellae confutandae labore atque moleſtia levavit me jamdudum idem Sacchinua Hiſtoriae S. I Parte quarta, lib. VI. num. 181. cujns orationem, etſi paollo longiorem, ſubscribam tameo hoc loco: ne manifeſtae calumniae, a Grariano quidem, hiſtoricorum aequiſsimo ac prudentiſaimo, dubitanter ſignificatae, a quibusdam vero ioiquiſaimis ſcriptoribus fidenter ſane impudentiſsimeque vulgatae, non ſatis reſponſum fuiſſe videatur.

,, Sed jam majus adeſt, *inquit*, ſumma, et ſane funeſtum Loſitaniae, ,, Sebaſtiani regia. Neque enim ab hoc ,, opere abhorret narratio Jam inde ,, ab infantia Sebaſtianna ſpiritna in- ,, gentes et belligeros prae ſe tulit. ,, Fere decennis commentarium nactus ,, bellorum a Carolo quinto geſtorum ,, Luſitanice ſcriptum, ejna lectione ,, non tenebatur modo, ſed et incita- ,, batur ſic, ut totus ore mcaleſceret, ,, et videretor ardere. Praecipue Ca- ,, roli res geſtaa in Africa commenda- ,, bat, ſe olim avi facta imitaturum ,, ſerena: nec temere libellum ab ſi- ,, nu ponebat. Haec videns inſtitutor ,, ejus Ludovicus Conſalvius, ut erat ,, prudentia et ſagacitare ſingulari, ,, coercere nimium illum ardorem ac ,, temperare ſenſioi conabatur; ſedulo, ,, quoad licebat, providens, ne qnic- ,, quam ad oculos aoreſque fervidl a- ,, doleſcentia veniret, quod adderet ,, fomenta igni Iraque cum aliquando ,, Eborenſe Collegium inviſentem ,, Regem Socil, de more, vario car- ,, mine excepiſsent, epigramma, in ,, quo mentio fiebat Africae, tolli ,, Conſalvina juſsit, ne ad Regia ocu- ,, los perveniret. Ar ubi robuſtior Se- ,, baſtianua cum eo ſuum de expedi- ,, tione Africana conſilium communi- ,, cavit, Ludovicus ſerio graviterque ,, reſpondit in baec verba. *Tria, Rex* ,, *conveniant ſimul neceſſe eſt, ut in* ,, *Africam trajicere ipſemet cogitet.* ,, *Primum, quatuor aut quinque ma-* ,, *ribus liberis fundatum babeat re-* ,, *gnum. Deinde neceſſitas tanta ur-* ,, *geat, ut ipſa periclitetur Luſitania,* ,, *niſi expeditionem eam ſuſcipiat. Po-* ,, *stremo apparatum militarem in omni* ,, *genere, pecunia, exercitu, commea-* ,, *tu omnino abundantem babeat. Ho-* ,, *rum ſi quid deſit, nullo modo de ea* ,, *re cogitandum tibi eſt.* Quae ſic di- ,, xit, ut aeſtuoa illum generoſae, ,, exultantiſque adoleſcentiae in prae- ,, ſens reſtrinxerit. Sed paulo poſt ,, acrius incaluit. Quare nec potuit ,, contineri, quin eaa ioſpecturua oras ,, anno milleſimo quingenteſimo ſe- ,, ptuageſimoquinto in Africam tranſ- ,, oiirteret, maeſto ſopra modum Lu- ,, dovico, tametſi jam ſe ab Regis ,, conſuerudine abſtraxerat, et gravi- ,, ter ex morbo laborabat, maximam ,, partem, ut in loco demonſtravi, ,, inde contracto, qnod animum Re- ,, gis per ſeqne, et paucorum adula- ,, tionibua (ut fit ſtudio placendi) ,, plua nimio inciratum videret

,, Ad quem etiam haerentem in ,, Africa eas literaa dedit, ut in Lu- ,, ſitaniam retraxerit. Ludovico de- ,, mortuo, Mauritius Serpius, qui ei ,, ſucceſſit, nihilominus inſtitit, ut ,, ab temeraria voluntare Regem di- ,, moveret. Sed, ut minus auctori- ,, ta-

pter crudelitatem & avaritiam infensis; &, ubi conspecta Lusitanorum signa forent, obvios cum urbium clavibus populos se habiturum libero mendacio differenti affirmantique, plurimum fidei erat. Et Sebastianus, super pietatis & gloriae studium, etiam juventae ardore efferebatur, vixdum quintum & vigesimum annum attingens, &, ut unus omnem rei gloriam ferret, in eam expeditionem ipsemet proficisci parat; quam tamen nequaquam, pro magnitudine periculi bellique, quod suscipiebat, instruxit: adeo non dubiam animo spem, promptum advenienti populorum favorem

rem

„ tate, quam Ludovicus valebat, & Sebastianus sententiam obstinarat, nihil effecit. Quod mirum non est, cum neque Cardinalis Henricus, neque Procerum Regni sapientissimi quique, neque demum Philippus Rex quicquam aut rationibus aut auctoritate valuerint. Certe Mauritius tanto depugnavit impetu, ut omnino se ab Rege statuisset avellere, nisi Moderatores vetuissent, qui, si quam posset rebus adeo perditis opem afferre, tentare enim omnia voluerunt. Ita, quamvis plane intelligeret, omnes ad interitum ruere, obtulit suum caput pro Rege ac Regno sanctaque obedientia in sacrificium Deo: ac Sebastianum in Africam sequutus, cum eo pariter cecidit. Haec ita cum sint non defuere Scriptores historiarum, qui tantae eladis partem Societatis hominibus imputarent: non solum falso sed etiam contra omnem speciem tolerandi mendacii. Nam, ut omittam religiosorum hominum Regi familiarium sanctitatem atque prudentiam; quis non videt, si quid hic Societas commisisset, eam Lusitanorum Nobilitati summo esse odio debuisse post Regis occasum? Quod tamen secus evenit: quippe, gnara Nobilitate quid in re esset, et quam nullo Regis id gratiae violandae respectu, odia pro placentibus ei iocularia, et inconsultum illud belli consilium disturbare Patres conati essent. Quid porro fecisset Henricus Cardinalis, qui ita Regis profectionem acerbe tulit, ita afflictus occasu est? Et tamen postea Societatem impensius, quam ante, amavit, protexit, ornavit. Illud quidam vitio Ludovico vertunt, quod primos Regis annos bellicarum amore laudum immodice imbuerit: ut, jam robustum cum ille, ac ceteri de Societate coercere voluerunt, seri fuerint. Qui sane hoc arripuisse videntur, ne nihil dicerent. Nam cum homines de Societate & prudentes ac pios fateantur, et conatos revocare ab Æthiopica expeditione Regem; consentaneum est, nec puerum immodice incitasse: (qui enim alioqui prudentes? quae pietas ad id incitare, unde mox revoces?) Neque id aliunde ipsi possunt, quam ex eventu argumentari: quod longissime a sapiente abest. Quid igitur? Num Rex is, cujus imperium ad ultimas terras protulissent arma, arma continerent, sine imperatoriae gustu virtutis fuit alendus? ut quod ipse studium contemneret, id in subiectis quoque langueret: cum tam insitum sit ad Principum mores popularibus fingi. Quid est autem illud, quod damnat immodicum? Num cujuspiam in potestate magistri est, hoc in genere, indolis modum ingenerare discentibus, praesertim magistri nunquam in bello versati, in sinu pacis & otii innutriti? Sed apparet calumniandi petulantia. Nam si forte Sebastianus languidus segnisque, bellorum ac periculorum fugitans evasisset, quamvis conatus esset Ludovicus ad spiritus martios excitare; tamen id ipsum in praeceptorem

„ con-

rem fore, ex praedicatione Serifi imbiberat. Comparatis navibus, quarum copia Olissipponis portus facile praebebat, exercitum in Africam, angusto e Gadibus freto, transportavit. Nam, in ipsa Africa atque in ipsis freti faucibus, Tanger & Septa, opere magno munitae urbes, juris sui erant: quarum altera oceani, altera mediterranei maris claustra obsident. Expositis militibus, cum viginti admodum T mil-

Sebastianus in Africam trajicit.

,, contulissent, tanquam virile Regis ingenium effeminasset; nec Regem belli pacisque moderatorem; sed desidem ad vota facienda Monachum effinxisset. Quae profecto probabilior fuisset calumnia; quod saepe, uti parentibus filii similes sunt, ita discipuli magistris. Sed, quia hanc indoles Sebastiani eripuit, ad plane pugnantia vertuntur.

,, At qui causas in Rege ardoris hujusce bellici curiosius investigant, an non potius verique similius eundem Aulicis tribuant, qui regiae benevolentiae jam potiti, atque assentandi studio intenti, adolescentem Principem per suam ipsum indolem ambitiose prensarent; minus id providentes, sternere sibi se viam ad favorem ejus per ipsius ruinam?

,, Quid? quod disciplina domestica eo trahebat? Certe Joanna Austriaca, Sebastiani parens, ex Hispania filio, vixdum adulto, nulla fere alia mittitare crepundia muneraque consuevit, praeter gladiolos clypeosque & ferreas fistulas caeteraque hujus generis irritamenta genii militaris, quo satis per se proclivi ab natura ferox ac praeceps erat.... Feramus igitur arcana dei judicia aequo animo & veneremur, qui permisit seu studio gloriae nimio, seu dilatandi Christiani nominis, seu arcendi ex propinqua provincia Turcarum imminentium vires, cum speraret, Afrorum gentem magna ex parte, viso rege Seriphio, quem reducendum in regnum susceperat, cum exercitu redeunte, ad eum transituram; audacius, quam consultius, suum caput & progeniem regiam in discrimen ultro conjecit. Patres, ubi viderunt, plane ei deliberatum expeditionis consilium, non solum Patrem Mauritium, sed & alios e Societate quindecim ad consolandos incitandosque milites, periculorum socios addidere. Hi, quemadmodum copiae regiae, partim substiterunt in classe, partim descenderunt in terram. Eminuit, inter eos, qui descenderant, Alexandri Villaregii charitas. Nam, cum vehementissimis torreretur ardoribus, quippe aestate summa, suopte ingenio tonida Africa, & milites, praesertim Germani, prae insolentia caeli & aestus, non solum languore diffluerent, sed etiam gravibus corriperentur morbis, praesto erat cunctis, adjuvabat gradientes, tollebat in humeros, qui stare non poterant, ad nosocomium deferebat, alloquio, opera, alacritate recreabat. Isque demum, cum prima in acie, ad conserendae pugnae signum, Christi domini crucifixi effigiem sustulisset, nec destitisset unquam intrepidi Christi militis animum ostentare, in manus hostium cum caeteris Sociis, qui descenderant, venit, praeter unum Mauritium, quem ferunt Sebastiani lateri, summa fide & constantia, adhaerentem in acie cecidisse.... Ubi funestus nuncius in Lusitaniam venit, summis & infimis maerore consternatis, Leo Henricius delectus a Nobilitate est, qui Cardinali, ad quem regnum pertinebat, in coenobio Alcobaza per id tempus commoranti, rem nunciaret. &c. ,,

Sacchini narrationem, non solum ad depellendam calumniam, sed etiam ad Gratiani de Sebastiani regis Africana expeditione illustrandam historiam, valde accommodatam, & si paullo prolixiorem, praetermittendam non censui.

millibus armatorum in aciem descendit: quorum erant Lusitani generis ad duodecim millia, atque in his evocati ex universo regno nobilissimus quisque. Reliqui Hispanis Italisque constabant. Cum hac copia adversus quadraginta millia equitum, & justum numerum peditum (tot enim sub signis habuisse Emonucum ferunt) praeter Arabum & voluntariorum multitudinem, qui nihil aliud, quam praedam & rapinam, e militia petunt, praelium committere non dubitavit. Primo incursu repulit audacter hostes. Sed illi more suo refugientes, ubi solutos nostrorum ordines advertere, majori vi atque acriori impetu repetita pugna, Lusitanos numero atque fortuna impares, &, laxata non nihil acie, minus ad sustinendam invadentium impressionem validos, in fugam egere; tanta caede edita, ut ex omni exercitu, totis passim campis jam strato, vix centum evasisse, sint, qui scribant. Maxime memorabile praelium fuit, trium regum morte. Nam & Sebastianus & Serifus & ipse Emonucus victor in acie cecidere. Sebastianum constat, in tam adversa fortuna, ut dignum rege erat, fortissime dimicasse: & quidam manu ipsius Emonucum occisum tradunt. Certe, cum altero jam equo interfecto, tertium conscendisset, hortantibus suis, ut, perditis rebus, fuga saluti consuleret, negavit, se tantae suorum cladi, sua temeritate contractae, superesse velle. Adeo ipsum quoque sero cogniti errati sui puduit paenituitque. Corpus ejus, ad sepulturam quaesitum, nusquam inventum est. Mortuo Sebastiano, regnum Lusitaniae ad Henricum Cardinalem, patruum ejus, rediit: qui praeterquamquod sacerdotio erat praeditus, etiam senio a spe procreandi liberos excludebatur [erat enim septuagenario major.] Itaque, Lusitanis orantibus, ut ad Pont. Max. legati mitterentur, rogatum, ut soluto legibus Henrico jus connubii esse juberet, praecise abnuit: &, quod sibi, confecto jam annis, & Sacris a prima aetate addicto, natura legesque negarent, eo ipsos quoque contentos esse jussit. Petentibus, ut regni successioni prospiceret, neque suos moriens incertos futuri regis relinqueret; id vero, in Concilio gentis deliberaturum se de optimi cujusque sententia, respondit. Conventu habito, delectos ex omnium numero undecim, religione fide ac legum prudentia spectatos, in consilium sibi ascivit, cum quibus decerneret, ad quem jure optimo haereditas regni pertineret, exploso penitusque rejecto Antonio, Aloysii fratris filio; quod concubina natus capere eum honorem per leges non posset. Sed iratus illi, privatas ob simultates, proni-

Praelium Sebastiani cum Emonuco.

Pugna trium regum morte memorabilis.

Henricus Cardinalis Sebastiano succedit.

Antonius a patruo successionis jure excluditur.

nior ad Philippum Hispaniae regem, sorore sua genitum, habebatur. Vnde suspectus suis, &. minus, quam antea, charus esse caeperat, ab alieno atque externi sanguinis rege abhorrentibus. Sed Henricus, inter ipsam consultationem urgente senecta, & ipsa quoque tantae rei cura angente & gravante animum, diem suum obiit; mandata undecim viris, ab se ante delectis, potestate justum regni haeredem judicandi edendique. Nam, praeter Philippum regem, & Antonium haud dubie regio sanguine atque adeo regis fratre ortum, etiam regina regis Galliae mater, & Philibertus Dux Sabaudiae, & Alexander Farnesius Dux Parmae, & in Lusitania Dux Bragantiae, successionis sibi jus vindicabant. Emanueli plures fuere filii, Ioannes, qui patri in regno successit, Aloysius, Duartes, Henricus: filiae, Isabella & Beatrix. Harum Isabella, natu maior, Carolo Caesari nupsit; ex eaque ortus Philippus: Beatrix Carolo Sabaudo est tradita; & ex ea genitus Philibertus. Aloysius ex concubina suscepit Antonium. Duarte Maria & Catharina natae: quarum major Maria Parmensi, minor Bragantio sunt junctae; atque ex utraque nati filii. Reginae Galliae vetusta & obsoleta jura erant. Sed nulli horum contendendi cum Philippo audacia fuit, praeter quam Antonio, in quem & Lusitanorum studia inclinabant, & Galli Britannique etiam adversus Philippum animos illi faciebant: ad cujus nimias, & omnibus jam suspectas, opes, tantam accessionem fieri, nemini placebat. Sed Philippus, quanquam in Lusitaniam legatos miserat, qui, agendo causam largitione ac promissis, quam plurimos ad se allicere conarentur, tamen Lusitanos, finitimorum odiis, aversari Hispanos, & totos Antonii esse intelligens, simulatione invadendi Algerium, praedonum in Africa receptaculum, arma parabat, & maritimas & terrestres cogebat copias: quibus Ferdinandum Toletum, Albae Ducem, custodia eductum, in quam paulo ante conjecerat, praefecit, veterem militem, & diuturno usu sub Carolo quinto omnes belli artes edoctum. Hoc auctore, e Neapoli, Sicilia, Mediolano, Hispani milites veterani, qui illis regnis praesidio erant, evocati; &, ut in pacatum, novi ex Hispania in eorum locum tyrones missi. Adjecit Philippus Italorum legionem, cui Petrum Medicem, Cosmi filium, praeposuit, adversante Toleto; cujus inde, a morte quinti Caroli, eadem sententia, idem semper consilium fuisse dicitur, ut, ad frangendas Italiae vires, & justum aliquando frenum jugumque bellicosae genti imponendum, Italiae pacem rex tueretur; Italorum in-

Henrici obitus.

Philippus Hispaniae rex vindicare bello Lusitaniam statuit.

Toletus Albae Dux.

Albae Ducis de Italicis sententia.

 ge-

genia, sponte sua certaminum avida, ocio paulatim hebescere obtundique sineret; populos omnis, non domestici solum, sed externi etiam belli expertes haberet; omni tractatu armorum summotos, ipsa desuetudine obliviści eorum, & senescere militares animos, & ad alia averti studia pateretur: his artibus facilius tutiusque ferocem nationem, ipsa pene non sentiente, perdomiturum. Vaferrimi consilii rationem hausisse credibile est Toletum a Theodorici, Ostrogotorum regis, exemplo; qui Italiam [1] potitus, & caetera haud immiti dominatu habens, quo gentis vim sensim extingueret, & insitam ferociam pacis atque ocii studiis mitigaret, edicto sanxit, ne quis Romanus Italicusve militaret, aut omnino ferrum telumve domi haberet. Ab hoc Toleti consilio, tot annos continuata nobis quies; & Philippus in magna semper cura habuisse est visus Italiae motus omnes compescere: sed Italico robore exercitus suos omnino carere tamen noluit. Germanorum quoque parem numerum Hieronymus Lodronius adduxit. Hispani ad decem millia fuere. Exercitus omnis duobus & viginti millibus armatorum constitit. Classi egregie ornatae instructaeque Alvarus Bazianus rector est datus. Lusitani interea nequaquam concordibus animis agebant. Principum magna pars, a Philippo largitione ac spe majorum praemiorum illecta, post privata commoda remp. habebant: & quidam aemulatione atque invidia Antonium regem aspernabantur: quem contra unum multitudo ferebat, ac ne mentionem quidem externi atque Hispani regis auribus admittebat. Itaque, cunctantibus undecim viris sententiam suam promere, cum, empti a Philippo omnes quid decreturi essent, appareret; multitudo passim clamoribus Antonium regem appellat, & regium jus, regia insignia, regium nomen usurpare jubet. Tum undecim viri Philippum justum regni haeredem pronunciant, seque in tutum recipiunt: atque hos plerique principum sequuntur. Philippus, qui, ut ex propinquo vim rebus adderet, Badajusam [2] ad ipsos Lusitaniae fines accesserat; ubi Antonium regem appellatum, judicesque secundum se pronunciasse accepit, Toletum admovere copias, & jus vindicare armis jussit. Nam Antonius, magna populorum voluntate, exercitum classemque comparaverat, ac, si quan-

Philippi exercitus.

Multitudinis in Antonium favor.

1 Sic loqui maluit, auctores bonos Cornelium Nepotem & Lucretium sequutus.

2 Eam urbem sic appellari ab Gratiano puto, quae Latinis *Pax augusta* dicebatur, Hispanis nunc *Badajox* dicitur.

si quantum ei probitatis ac humanitatis erat, tantum bellici vigoris atque industriae fuisset, & studiis in se suorum pari ipse virtute respondisset, nequaquam facilis Philippo victoria futura fuit. Sed a vetere duce, & diu bellis exercito veteranoque milite, novum segnemque regem, ac militiae insuetum, & manum repente collectam, ac verbis, quam disciplina aut animis ferociorem, victam profligatamque esse, cui mirum videatur? Coactis unum in locum copiis equitum peditumque (& erant supra viginti armatorum millia) castris, prope Olissipponem positis & magna cura communitis, Antonius se tenebat, sperans, si inde bellum duxisset, Hispanos, inopia rerum, brevi ex aliena terra discedere coactum [1] iri. Sed Toletus, ubi varie tentatos elici extra munitionem ad conferendam pugnam Lusitanos non posse intellexit, experta suorum virtute, & hostium inscitia fretus, ipsa aggredi castra statuit. Nec eum sua spes fefellit. Dejecti loco Lusitani, & potiti munitionibus Hispani sunt minori cum caede, quod sine magna contentione omnes se fugae mandarunt. Haud alia Lusitanae classis fortuna fuit. Olissippo inde capta; & contra mandatum regis, militari cupiditate atque avaritia imperia ducum detrectante, faede direpta est; & inde, perculsis metu omnibus, certatim dedentibus se singulis urbibus, sine alio ullo majori certamine, totius regni [2] Philippus est potitus. Antonius, accepto in cervice vulnere, socius & ipse suorum fugae, Xantorenum pervenit; &, ubi paucis ante diebus magna laetitiae significatione rex conclamatus fuerat, ibi aegre impetravit, ut cum paucis ad unam noctem in oppidum reciperetur: adeo infirma, atque in horas mutabilis, vulgi benevolentia est. Abscedens inde, Coimbriam se recepit, & cum sex admodum millibus eorum, qui ex fuga ad eum convenerant, bellum renovaturus videbatur. Sed missus eo Sancius Avila, cum expeditis Italorum atque Hispanorum cohortibus, Antonium inconditamque turbam, quae cum illo erat, facile fudit iterum atque in fugam egit. Ita, desperatis rebus, Lusitania excedens in Galliam aufugit. Neque tamen sine magno discrimine aut latuit plures in Lusitania menses, aut elapsus est: cum, appositis ad omnes egressus custodibus, nullae usquam ad effugium viae paterent; & ipse, humilis nautae habitu tectus, novas-

Vincitur Antonius, & Olissippo diripitur.

Antonius in Galliam profugit.

1 Quod autographo haeret *coactor*, librarii esse sphalma existimans *coactum* edidi.

2 Etsi *potiri rerum* latine dici sciam, tamen, an aeque latine *potiri regni* dicatur, nescio.

vasque prope in singulos dies latebras mutans, saepe ignotorum quoque fidei committere se cogeretur, eo majori constantium & fidelium animorum experimento servatus, quod, edicto regis, praemium octuaginta millium aureorum nummum tradentibus eum propositum erat. Quin, quod magis mirere, ausi fautores Antonii sunt adversus id edictum schedulas Olissippone ac per omnes Lusitaniae urbes spargere, quibus centum aureorum nummum millia Philippum, alieni regni invasorem, occidentibus pollicebantur. In Galliam demum evasit, atque inde in Britanniam ad Elisabetam reginam transmisit. Pronis ubique auribus, & se inique spoliatum regno querens, & cupiditatem Philippi insectans, est auditus. Vtraque enim Regia adversa Philippi rebus, utraque felicitate ejus anxia, graviter, tantas in unum caput cogi conferrique opes, ferebat. Igitur Elisabeta, nullo se loco defuturam Antonio, pollicita, quinque & viginti magnas naves in occidentis maria novumque orbem, ad distinendas Hispanorum vires, misit. At in Gallia, quo statim est regressus, brevi apud gentem ad arma natam, classem sexaginta navium confecit; dissimulante Henrico rege, & expostulanti Philippo, in matrem, quae sibi jus in Lusitaniae regnum vindicabat, causam rejiciente. Quam quidem classem alacriter, ut mos Gallis, multi e nobilitate juvenes conscenderunt. Praeerat omnibus Philippus Strotius, Petri filius, qui in Gallia natus, provehente regina, perhonesto in Regia loco potiebatur. Hac classe Antonius ad insulas, quibus Terzeriis nomen, devectus est; quarum quae praecipua, & Tertia dicitur, praesidio ejus tenebatur. (& magnum ad summam negocii totius momentum, in iis retinendis insulis, reponebant; quod ea oceani parte sunt sitae, ut naves omnes, tam quae Brasilio novoque ex orbe, quam quae ab India atque oriente adveniunt, aut eo ex Europa proficiscuntur, ad has appellere insulas pene necessario cogantur.) Septem sunt, ignotae omnes antiquis, & ab Hollandis mercatoribus, ex Belgio Olissipponem navigantibus, repertae. Circa annum MCCCCL. habitari colique sunt caeptae. Sed, post apertum ad Indiam iter, inventumque in occidente novum orbem, in magno pretio, propter summam earum opportunitatem, habitae. Major a Sancto Michaele nomen habet; longa quinquaginta, lata duodecim millia passuum. Opportunior Tertia, a qua cunctis inditum nomen. Frugiferae omnes, & pecore pabuloque [1] uberes. Ad

Regina Angliae Antonium juvat.

Gallorum classis Antonio data.

Terzeriae insulae.

1 Non *pabuloque*, ut edendum curavi, sed *paluloque* habet autographum.

Ad hanc cum Gallis delatus Antonius summa incolarum voluntate accipitur. Sperarant quidem ipse Gallique, se Indicae Lusitanorum classi occursuros, & quadragies centies mille aureorum nummum, qui ea classe vehebantur, potituros. Sed antegressae naves Olissipponem petierant. Quae res Antonio, pecuniae indigo, incommodissime accidit. Cognita Antonii ad Terzerias navigatione, Philippus Alvarum Bazianum cum validissimarum navium classe ad eas recipiendas insulas, pellendosque inde hostes, celeriter misit. Qui quidem egregiam navavit operam. Nam Galli, simul ac de adventu ejus certiores facti sunt, nihil cunctati obviam ei procedunt; redire in insulam jusso Antonio, ne praelio interesset: cum eum periculo objicere, in cujus capite summa belli vertebatur, non esset visum. Ad extremum sua Philippo regi fortuna adfuit: & Galli, quanquam strenue pugnantes, robore navium & navigandi peritia ab Hispanis superati sunt. Supra mille eorum caesi, permulti capti; in quibus quinquaginta nobiles, minime obscuri generis, fuere. Strotius vivus quidem in potestatem hostium venit, sed adeo graviter saucius, ut ad Bazianum deductus in ejus conspectu expiraverit. Philippus Strotius, hujus adolescentis avus, ille, qui captus ad Montem Murlum a Cosmo Florentiae Principe, atque in custodiam traditus, ubi spem recuperandae libertatis amisit, vim vitae suae attulit, quatuor reliquit filios; quorum duo, ad stirpem propagandam, uxorem duxerunt, Petrus & Robertus; caelibes duo fuerunt; atque eorum alter, commendante regina, Cardinalis est creatus, alter Melitensem militiam est professus. Petrus & Robertus singulos suscepere filios, Philippum Petrus, Leonem Robertus. Philippus, ut ostendimus, non dubio paternae virtutis edito specimine, navali praelio cecidit: Leo, ducta Romae in matrimonium Sophonisba Sabella, filios non suscepit: &, cum ipse aetate progressus sit, & plane jam effaeta uxor, ne spes quidem ei superest ulla liberorum. Ita Philippi proles in nepotibus desiit. At Bazianus, parta victoria, haudquaquam militiae morem, in captivis servasse est judicatus. Quanquam enim, habito de ea re consilio, plerique diversa censuerint, ipse tamen, sive ex ingenio suo, sive, ut opinio fuit, occulto regis mandato instructus, omnes ad unum supplicio affecit. Quae res adeo atrox, adeo inter saevos quoque & omnis humani juris expertes Barbaros inusitata Gallis est visa, ut, ne ad ejus rei nuncium bellum extemplo Hispanis indictum sit, una Henrici regis

Philippi classis ad Terzerias.

Victa Gallorum classis.

Strotii.

In captivos Gallos saevitum.

gis auctoritas obstiterit. Quae ira ne cito quidem deferbuit. Nam, insequenti anno, cum rex magnam pecuniae vim ex tributo conferri sibi a Galliae populis posceret, responsum tulit [1], daturos cumulate, si bellum Hispanis facere in animum induxisset. Antonius, relicto in insula, maxime Tertia, praesidio, quod inde constantissime ad ultimum usque pro eo stetit, idoneam tempestatem nactus in Galliam, profligata ubique fortuna ejus, rediit; nec tamen aut ipse spem abjecit, aut Galli in eo adjuvando fatigati sunt. Sed magis saepe, quam feliciter, tentato in regnum reditu, aliquot post annis, morbo curisque confectus interiit; relictis in eadem egestate duobus filiis, non justo matrimonio susceptis. Hoc maxime modo Lusitaniae Regia ad finem pervenit; & Lusitanum nomen veteri sua bellicae virtutis gloria decidit, gemino paucis mensibus dedecore affectum, cum amissi in Africa regis, tum patriae parum constanter defensae. Et quae gens, centum hisce annis, tantum Imperium, tam longe ab domo, tam exigua cum manu, peperit, ac tantas res in Athlantico, Aethiopico, Indico, Eooque oceano gessit, ut eas, ne incredibiles prorsus atque fabulosae videantur, necesse sit ad coelestis vim opis numinisque referre, ea, tuendis focis laribusque suis a finitimorum vi, non suffecit. Adeo quorundam populorum foris, quam domi, felicior acriorque est virtus. Acceptum jugum ita non aequis animis Lusitani ferunt, ut magis, ad quem deficiant, quam deficiendi voluntatem audaciamque deesse iis satis constet; qui ignotum ementitumque regem accepturi nuper fuerint, nisi profusis studiis ad eum concurrentes scriptus celeriter exercitus coercuisset. Quidam sortis infimae, atque e lapidicina progressus, audacia ingenti, Sebastianum regem esse se finxit, texens fabulam: e praelio evasisse, & ad eam diem vastis in silvis latitasse, vitamque silvestribus pomis & herbarum radicibus tolerasse: denique, singulari Dei munere servatum, defunctumque tot aerumnis, regno se ac civibus suis, ad tollenda, quae Remp. convellerent, dissidia, reddidisse. Extenuatum jejunio corpus, promissa barba capillusque, & tota efferata squallore atque illuvie species oris, & aetas, & formae similitudo magnam mendacio fidem astruebant. Fraudis atque arcani perpauci erant conscii. Alios miseratio, & prompti ad credendum, quod votis omnibus expetissent, animi; alios ipsa novitas, & quicquid turbandis rebus offerretur, trahebat. Jam pecunia, jam

Antonii Lusitani exitus.

Lusitani fictum regem haud inviti accepissent.

Ementitus rex.

1 Ab autographo discessi, in quo est *tulerit*.

jam armati circa eum etiam nutantes impellebant. Ac, si quantum moverat fama, contractum in unum fuisset, magnum negocium impendebat. Oppressit gliscentem pestem celeritas regentium; qui expeditas equitum ac peditum copias in commentitium regem ante immiserunt, quam majores ad eum vires convenissent. Disjecti captique omnes, eruta per quaestiones atque expressa veritate, meritas paenas luerunt. Nulli genti justius desiderium suorum regum, quibus non mite solum & longa annorum serie roboratum; sed prope paternum in suos imperium erat. Nihil illhic crudeliter, nihil violenter, nihil cupide, nihil per libidinem consulebatur: omnia lex & mos patrius regebat. Diligi a suis, quam metui, firmius potentiae vinculum reges ducebant. Ipsis liberorum educatio curae, ipsis filiarum collocatio: in ipsa Regia magnum nobilium puerorum numerum alebant instituebantque juxta suos; ut equitare, jaculari, militaresque omnes artes, omnes liberales disciplinas perdiscerent: honores praemiaque pro merito cujusque partiebantur, obsequiorum ac benefactorum largi remuneratores: in paenis tam mites erant, ut ultimum suppliciorum esset, gratia regis repelli: errantes castigare verbis & corrigere, quam punire malebant; unde regis non tam irati vim homines, quam ipsam iram, reformidabant, &, ut communem parentem, non metu, sed charitate observabant colebantque. Neque ille infra majestatem suam duxisset, litigantium controversias componere, dissidentes in gratiam reducere, parentes conciliare filiis, filios in parentum auctoritate retinere. Nec illhic mos tributis atque exactionibus fatigare populos, & novas quotidie emungendae pecuniae vias exquirere. Maximae divitiae regis existimabantur, ipsa populorum studia, qui, cum usus posceret, non facultatibus, non vitae pro Rep. & pro dignitate regis sui parcebant. Haec, ut aegre invitique alieni regis dominatum subierint, jugumque acceperint, fecerunt: haec, ut aegrius acceptum patiantur, & ad recordationem pristinae fortunae suae, & ad nomen suorum regum suspirent, faciunt. At Philippus infinitae potentiae, qua omnes reges anteibat, opulentissimo regno adjecto, ditionis suae fines immensum extendit; atque adeo hinc extremum occidentem, hinc ultimum orientem imperio est complexus: cujus terminos non terrae aut maria, sed ipsa coeli convexitas, ac fulgor solis exurgentis aut cadentis, finire & concludere videtur. Naves certe ejus ex Hispania cursum recta in oc-

Quam justum Lusitanis regum suorum desiderium.

Quantum Philippi regis Imperium.

casum dirigentes, novum transgressae orbem, ad ortum perveniunt: ac ab ortu demum conversis proris ad eoum pelagum [1] & ulteriorem ac citeriorem Indiam redeuntes, tota, quanta oceano alluitur, circundata Africa, Hispaniam occasumque repetunt. Atque maria, hoc orbis ambitu transcursa ipse pene omnia imperio coercet. Sed operae pretium fuerit tantae potentiae singulas recensere partes, quando, post conditum orbem, tantum possidere terrae ante eum nemini mortalium contigit. Nam Aegyptii, Assyrii, Medi, Persae, Macedones & Romani, magnorum imperiorum conditores, Scriptorum omnium litteris celebrati, quae armis subegerunt, quid tandem sunt, Philippi magnitudini comparata? Et, ut ab Europa Hispaniaque incipiamus, ubi caput rerum esse ipse voluit, universam possidet, quanta mari Pyrenaeisque montibus clauditur: quod ante eum ab Romanis usque temporibus nemo est assecutus: & Romani ipsi non, nisi sub Augusto Caesare ducentis annis pacarunt: ut merito dictum sit, eam & primam omnium extra Italiam provinciae formam accepisse, & omnium ultimam perdomitam esse. Romanis tanti Hispania fuit, ut Plinius, cum Italiam laudibus omnibus terris praetulisset, Hispaniam se proximam habere [2] scriptum reliquerit. In Germania veterique Gallia, Belgarum provincias decem & septem, quae ferocissimos continent populos, finesque ultra Frisios longe in Germanicum oceanum praetendunt, tenet: in Italia duo regna, Neapolitanum & Siculum, ac praeterea Mediolanum atque Insubres. Ligures quoque ac Genuenses, & his subjuncti Corsi, si non in ditione, in fide certe illius sunt. Insulas praeterea nostri maris Sardiniam & Baleares (minores enim praetereo) obtinet [3]. Atque haec in Europa. In Africa, intra Gaditani freti fauces, Marzachibirum, capacissimum totius orae illius ac tutissimum portum, unde illi nomen; & juxta, Oranum & Melilam & Pignonum; & in ipsis faucibus Tangerum & Septim; &, extra fauces, Arzillam & Naragam, frequentes omnes & egregie munitas urbes habet: quibus Mauri, ne, quod alias fecere facturique viderentur, de transmittendo mari invadendaque Hispania cogi-

Philippi Imperium describitur.

Quae in Europa tenet.

Quae in Africa possidet.

1 Quum videam, in quibusdam Valerii Flacci Mss. codicibus lib. 1. Argonauticorum vers. 169. ita legi: *pelagum quantos aperimus in usus;* autographi lectionem hoc loco non commovi.

2 Autographum praefert *haberè se*. quam posteriorem vocem, importune iteratam, expunxi.

3 Hanc ego vocem, necessariam, quemadmodum mihi visum est, inculcavi: quum omne verbum hoc loco abesset.

gitent, continentur. Insulas praeterea, in Athlantico oceano, Canarias duodecim, quas Fortunatas veteribus dictas putant; & Terzerias septem & Maderam, longe omnium fertilissimam, & huic proximam Portusancti, &, ad Viride sive Hesperum promontorium, sexdecim, quas Hesperidas olim appellatas ajunt; &, sub aequinoctiali circulo, insulam Sancti Thomae, Madera majorem, & sacchari aeque fertilem. Sed, ne singula percenseam, totam ad oceanum Africae oram, quanta a promontorio majoris Athlantis, quod Angeri nunc dicitur, ad Guardaffum ultimumque Rubri maris littus decurrit, dispositis munitisque ex usu passim arcibus coloniisque, quibus subacti populi in fide contineantur: & oceanum ipsum, quod [1] contra voluntatem ejus nemo navigarit, atque in oceano dispersas sine nomine innumerabiles prope insulas in ditione habet. A Guardaffo cum ipso mari ingreditur Asiam Indiamque; cujus oram omnem, quae occidentem aspicit, aut ipse possidet, aut amicitiam ejus secuti reges habent, praeter Calecutum, cujus cum rege saepe inita faedera, nunquam sincera fide servata sunt. Hic ditia regna Ciauli, Cananoris, Cocini, Calani, permunitis insessa arcibus, frenat. Dium tenet; de qua [2] Lusitani cum Aegyptiis primum Mamaluchisque, deinde cum Turcis, pari gloria praemioque, certarunt: quo Philippo Cambajae ditissimarumque gentium opes patent. Hic & Damanum & Bazainum & Tanaham habet & Ormutii regnum, ademptum Persis: quo [3] partem felicis Arabiae in ditione habet. Regia urbs in insula considet, insula in ore Persici sinus, haud multo ipsa urbe major, sed inclyta divitiis, & adeo opportuna situ, adeo rebus omnibus affluens, ut glorientur incolae, si anulus esset orbis terrarum, gemmam ejus Ormutium fore. Intra sinum, ducenta millia passuum ab Ormutio, haud multum ab Arabico littore abscedentem, Baharem insulam possidet, gravi quidem atque insalubri coelo, sed, amplitudine ac fertilitate, insularum omnium ejus sinus longe principem, & maxime margaritarum captura expetitam, quas laudatissimas totius Indiae ferre dicitur.

Quantum in Asia Indiaque.

Baharem insula captura margaritarum inclyta.

V 2 Na-

1 Neutrum *oceani* genus suspectum Latine loqui volentibus semper fuit. Scribi fortasse *quo* non *quod* Gratianus voluit

2 Subaudi *urbe Dio*. De ea Baudrandus. ,, Dium, *Diu*, urbs est ,, Asiae permunita & maritima, cum ,, emporio, in insula parva regni Cambaiae. sexaginta leucis distat a Surata in occasum; estque ad fauces sinus Cambaiae, in ditione Lusitanorum a centum quinquaginta ,, annis circiter. ,,

3 Autographo non sumus obsequuti, in quo legitur *quod partem*.

Natura quidem imo maris fundo abdidit margaritas. Sed eo quoque homines libido quaestus demittit, tam diu interclusо spiritu, donec lectas sub pelago conchas secum extrahant: nec monstra, quae vastum illud alit mare, nec mare ipsum praealtum ac saevum timent. Et, quo diutius comprimant halitum, urinatoribus subtrahunt potum, tenuique & arido nutriunt cibo, & venere prohibent. Per haec petitur, quo faeminarum luxuria instruatur, parciturque voluptatibus, ut voluptatum irritamenta quaerantur. At Goa in eadem ora, Lusitanorum colonia, (ubi regius praetor, qui Prorex dicitur, regia opulentia atque majestate agit, universaeque Indiae praesidet; ubi magistratus item alii jura populis reddunt; ubi Sacris Archiepiscopus praeest) ad tantam amplitudinem celebritatemque pervenit, ut urbs una divitiis justi regni instar habere praedicetur. In postrema hac ora, secundum Comori [1] promontorium, Bengalae sinum ineuntibus obviam fit Zeilani [2] insula, quam plerique Taprobanam esse arbitrantur: quanquam Taprobanae longitudinem veteres nongentorum millium passuum, latitudinem sexcentorum millium prodidere. Nostri longam miliaria ducenta & quinquaginta, latam centum scribunt. Quibusdam, & abscissam a continente, & abrosam magnopere vi maris, placet. Hic cum faecunditate terrae certat salubritas coeli. Ignorantur morbi, &, quod maximus morborum est, ipsa remedia. Vita, ad ultimam senectam producta, naturae demum lege deponitur. Virent perpetuo vere campi, nec unquam arbores floribus aut fructu vacant. Odorem tam late fundunt, ut longe a navigantibus sentiatur. Quidam hic celebratum divinis litteris terrestrem Paradisum fuisse autumant. Rupibus montium legi aut erui varii generis gemmas ferunt, quae materia & colore maxime probantur & pretio. At longe ditissima insula est cinnamomi optimi proventu, cujus densissimae silvae sunt in regno Golumbi [3]: (in novem enim regna universa partitur [4].) In quo quidem Golumbo Philippus portum atque arcem obtinet, quo omnes opes insulae, & maxime cinnamomi, avertit. Alii Samatram Taprobanam fuisse credunt, respondente magnitudine tra-

Goa Indiae urbs.

Zeilani insula.

1 Malim *Comorin* seu *Comorini*.

2 In Autographo *Zeilam* perscriptum est. Putavi ex ultima littera duas fieri Gratianum voluisse. „ Zeilan, inquit Ferrarius, *Nanigeris*, „ insula Indiae citerioris. Aliis *Taprobana*, *Ophir*. „

3 Et hic & infra *Golumbi* & *Golumbo* praefert autographum. *Columbum* Cellarius & Baudrandus appellant. cui quidem Baudrando *Columbum* non est regnum, sed urbs.

4 *Partire* pro *partiri* veteres etiam Latini dixere.

traditae a veteribus famae. Transmisso hinc Bengalae maximo sinu, in cujus intimum recessum irrumpit Ganges, celebratum scriptoribus flumen; unde & Gangeticus a quibusdam sinus ipse dicitur, (quo ne adiret Magnus Alexander pertinaci militum suorum recusatione est prohibitus) Malacha in ulteriori Indiae cornu Philippo paret: quae claustra Eoi oceani tenet, regitque commercia omnium circa regnorum insularumque. Quae quidem insulae tot tantaeque sunt, ut junctae Europam omnem magnitudine aequarent. Sed coloniam etiam in Amaca habet, unde Lusitani Sinarum merces ad se trahunt; & arcem Tidori, qua macim & indicas nuces (nos muscatas dicimus) a Banda parvisque circa insulis, in quibus solis nascitur, & gariofilos divitiasque Moluccharum insularum in Lusitaniam avehunt. Moluchae terrarum primae nascentis solis radios excipiunt. Atque his, quae commemoravimus, regnis populisque Philippus in Europa, Africa, Asia dominatur. Quae tamen ipsa conferri cum occidentali Imperio ejus novoque orbe non videntur posse. Namque his tribus orbis partibus, quibus terram omnem, omnia maria contineri, ultraque nihil, nisi coelum & ultimos naturae terminos esse antiquitas credidit; (quarum tamen ipsarum pleraque ne fama quidem cognita habuit) novus & hoc ipso seculo repertus orbis, magnitudine sive continentis sive insularum, nihil concedit. Neque in eo hostem ullum aut aemulum habet, nisi quod tam vaste patent regna gentesque, ut difficilius inveniantur, quam subiguntur. In duas dividitur partes; quarum, quae Americae nomen ab Americo Vespuccio Florentino accepit, qui magnam ejus partem aperuit, cum in septentriones magnopere erigitur, tum longissime ab ortu in occasum extenditur. Verum, qua in septentriones vergit, non solum ignotae, sed ne exploratae quidem nationes obtinent. Quae spectat Austrum, & cultior terra notiorque, & patentius mare portubusque frequentius. Et Hispani nusquam mediterraneos populos tentarunt, quin prius maritimis praesidiis aditum sibi munivissent. Patere fertur australis ora, quam imperio parentem coloniisque firmatam habent, a Panama per novam Hispaniam, Mexicum, Mecioacanum, Californiam, sinumque, quem vocant Rubri maris; & inde ad Quirciram Tucanamque ad miliaria novies mille: & a portu occidentalis pelagi, cui Hispanico vocabulo „ Nombre de dios „ est nomen, per regiones, quas proprie continentem Hispani vocant, & per Quicuriam & Tugillam, per-

Malacha.

Moluchae insulae.

Novus orbis.

America.

Magnitudo Americae.

perque praetensum longe in mare Jucatanum, ac per ambitum Mexicani sinus littoraque Floridae & novae Franciae, prominentemque in nos Norimbegam terram, & Laboratoris & Estoitilandiae regiones, quas fluctus glacialis oceani pulsant, tantundem atque eo etiam amplius Americae ab oriente, qua nova Hispania desinit, angusto isthmo
Perù. pars altera orbis hujus, quae nomen Perù est sortita, jungitur, Africam contra sita, neque ea minor, & forma rotundior: quae inde tota in meridiem incumbit, mediumque disterminat oceanum: unde & ipsa duplici pelago in longe maximam peninsulam circunluitur, orientali atque occidentali. Nautae Nort & Sur appellant. Ab isthmo non nihil se in aquilonem, per Vrabae & Carthaginis sinum, ad promontorium Conchibacoae attollit: inde in orientem versa pergit ad Pariam. Hic paulum se recipiens flectit in austrum ad flumen Orilianum aut Maragnonem. Sive duo haec diversa sint flumina, sive unum diverso nomine, maximum certe fluminum esse, & Nilo ipso majus, satis constat. Quippe Franciscum Orilianam, a quo repertum accepisse nomen fertur, navigio devectum miliaria supra sexies mille, secundo amne, descendisse, priusquam ad ostium atque per crebros atque ingentes flexus perveniret, ajunt: in ipso ostio ad ducenta millia passuum patere, & marinos aestus ad quadringenta millia ascendere. Hinc rursus Brasilia terra in ortum progreditur, usque ad ostium Sancti Dominici: unde in meridiem praecipitat, ad amnem, cui Frigido est nomen: ubi paulum recedit in occasum, ad portum Sancti Vincentii. Inde ita tendit in meridiem, ut non nihil curvetur ad occasum, donec ad fretum pervenit, cui Hernandus Magaglianes dedit nomen, qui, ausu ingenti, & quaerere illud primus & penetrare est ausus. Arctatur hic & comprimitur angustum in spatium mare, inter extremam hanc peninsulam & terras, quarum ne nomen quidem adhuc satis notum est. Magaglianem, conspectis e longinquo flammis, ab igne appellasse ferunt. Alii ab nomine Magagliani ipsius dixere: alii aliter. Sed quodcunque illis nomen sit, in tantum ab oriente ad occidentem, per totam orbis longitudinem, quantum terrae mariaque patent, extendi plerique Scriptorum arbitrantur, ut aequare caeterarum magnitudinem existimentur. Verum continens, an insulae sint, interscindat ne mare intretque terras, an fontis modo margines alluat; & qui populi, quae gentes colant, quae natura coeli solive, ignotum penitus inexploratumque est.

Fluminis Maragnonis magnitudo.

Brasil.

Fretum Magagliani.

Ingens terrae portio ignota adhuc.

Con-

Conspectas multis, aditus nemini ad hanc diem constat: ut jam sint, qui, secus quam antiqui fecerunt, molem globumque universae terrae in quatuor dividant partes, quarum unam Asiae, Europae, Africae tribuant; alteram novo, de quo agimus, orbi; tertiam huic australi plagae; quartam terris, quae propius septentriones subeunt, quarum pars maxima ignoratur. Sed Magagliani fretum, ubi plurimum, novem, ubi minimum, sex millia passuum latum, ad quadringenta millia in longitudinem excurrit, exitque ad occidentem in tantae vastitatis oceanum, ut hinc ad Moluchas eoumque mare & orientalem Indiam, ut supra attigimus, navigetur. Verum, ut ambitum Perù, quem caepimus, peragamus, transgressis angustias freti promontorium Optatum occurrit, a quo in aquilonem ad amnem Orasesum ascenditur. Hinc dirigitur in occasum littus ad Sanctae Mariae promontorium: inde rursus ad aquilonem vertitur, ac per latas Chilis nationes sinuatur ad Perù, maximum & opulentissimum regnum, populisque & urbibus longe frequentissimum; a quo toti huic peninsulae est inditum nomen; quod a finibus Chilis ad Popajam & Quitum usque pertinet, globante atque inferente se non nihil in occidentem ora. A Quito per Limam, nobilem Archiepiscopi & Praetoris regii sede urbem, ac per sinum Sancti Michaelis reditur Panamam, atque ad isthmum, unde initium sumpsimus. Ambitum totius peninsulae ad miliaria sexdecim millia ajunt patere. Insularum utriusque maris huic imperio additarum tanta multitudo est, ut iniri numerus earum vix, aut ne vix quidem, possit; & quarundam ea amplitudo, ut per se justi regni opes nomenque obtineant. Divitiae, quae hinc in Hispaniam Europamque cum publice regi, tum privatim aliis advehuntur, credi vix possunt. Tantum auri argentique importatum est, ut & duplicata inde pretia rerum sint, & domestica supellex vestisque & vasa aurea argenteaque, ad quotidianos mensae usus, antea unis regibus principibusque, ac ne his quidem omnibus, adhiberi solita, nunc in privatorum domibus ita conspiciantur, ut coquinae quoque instrumenta argentea habere nos non pudeat: & novus quaerendus orbis, in visceraque ejus eundum fuerit, ut effoderetur ac per tanta maris terraeque spatia adportaretur, quo nobis dapes argento inferrentur, & vasa lavandis quoque pedibus argentea fierent. Saltem habendi libidinem minuisset copia. At nunquam avaritia flagrantior.

Alia terrarum divisio.

Chilis.

Lima.

Quantum terrarum ambiat Perù.

Quantum auri argentique a novo orbe advectum.

„ Cre-

„ Creverunt & opes & opum furiosa libido [1]. „ Sic pecuniae nobis simul copia, simul cupiditas addita est. Ex quo constat, non auro argentoque nos, sed auri argentique contemptu divites fieri. Tanto Philippi Imperio, nisi longissime discretae partes ejus essent, resisti non posset. Quod enim quidam contra disputant, dispersis in longe distantia membra viribus, firmari potentiam, ridiculum est. Nam, si dominantium vis ac robur est omne in hominum, dicto audientium, numero ac disciplina, ut & plures comparari exercitus & crebris supplementis retineri, &, si quid secus eveniat, reparari queant: tot extra Europam Philippi regna nihil ei suppeditant militum; quin Hispaniam ipsam enervant ac militari aetate maxime exhauriunt. Perpetuis immensarum navigationum itineribus magna singulis annis multitudo deperit: alios morbi, alios praelia, alios naufragia absumunt. Multi in colonias mittuntur, multi in praesidiis munitarum passim arcium locantur: alios ipsa dulcedo quaestus & amenitas locorum retinent: aliis taedium maris & periculorum, quae reditus habet, patriae quoque oblivionem facit. Hinc & cultus agrorum imminuitur, & minus indies procreatur liberorum, & exinanitur ac debilitatur Hispania, impar supplendis tot damnis. Quae tamen una re farciuntur, quod tantum auri pecuniaeque inde congeritur regi, ut, quod domestico delectui ac proprio robori deest, abunde externis suppleat viribus, conducto mercede milite; cujus copiam nunquam non suppeditant inexhausti Germaniae populi atque ipsa quoque Italia: ubi nunquam desunt, qui addictum mercedi ac pretio sanguinem pro aliena victoria profundere parati sint (tanta utrique genti animarum vilitas) & quantis vis stipendiorum sumptibus advectae oceano opes sufficiunt. Invidiosae quidem hae ipsae opes & caeteris suspectae regibus sunt, sed utiles Reip. si retundendae nimiae Turcarum potentiae, & imminenti Christiano nomini pesti depellendae opponantur, non in carpendis alienis regnis sint. Certe, non vi atque armis partae, sed, quod optabilius est, admiranda felicitate, Philippo familiaeque ejus, ex matrimoniis advenere. Maximiliano Caesari, Philippi proavo, Maria Caroli Burgundi, ad Nancium occisi, filia, provinciarum Belgii [2] haeres nupsit, anno MCCCCLXXVII. quae quidem, quinto post an-

Quis Philippo ex tot regnis fructus.

Ex matrimoniis tantae in Austriam familiam opes.

1 Ovidius lib. 1. Fastorum.

2. Autographum habet Belgiae.

anno, lapſu equi, ad terram effuſa mortem oppetiit. Philippus, Maximiliano & Maria genitus, Joannam, Ferdinandi Catholici & Iſabellae filiam, uxorem duxit, a qua dotalia regna Hiſpaniae in Auſtriam domum illata ſunt: cum Ferdinandus virilis ſtirpis prolem non ſuſceperit, & Joanna filiarum natu maxima eſſet. Hoc conjugio duo nati Caeſares, Carolus & Ferdinandus. Hic Mariam, Vladislai Tagellonii, Vngariae regis filiam, matrimonio ſibi junxit. Atque hinc, occiſo a Turcis Ludovico, Mariae fratre, anno MDXXV. ſucceſſionem in regnum ſibi armis vindicare, exitio gentis, conatus eſt. Carolus Iſabellam, Emanuelis, regis Luſitaniae, filiam duxit, ex eaque Philippum, de quo nobis eſt ſermo ſuſcepit: qui, mortuis, ut oſtendimus, ſine liberis Sebaſtiano & Henrico, Luſitaniae regibus, haereditatem materni regni, eventu ſupra ſpem ſuam proſpero, crevit, Antonio aliiſque, idem juris ſibi aſciſcentibus, ut tradidimus, dejectis. Sed nos digreſſi, frater, paulo longius ab inſtituto noſtro ſumus: quanquam, in hoc per ſe nudo atque inopi genere ſcriptionis, non injucunda haec ad recreandam legentium mentem quaeſita diverticula videri poſſint.

Tu igitur, viſis Hiſpaniae gentibus, quae oceanum attingunt, ad eas iter avertiſti, quae in mediterraneum mare vergunt. Nam undique Hiſpania, praeterquam qua Galliae jungitur, mari alluitur. Ac trajecto ad Badajoſam [1] Guadiana flumine, (quod Anam olim appellatum exiſtimant) vel ob id memorabili, quod in Extremadura ad Medelinum ſub terram ſe condit, & quinquaginta millibus paſſuum ab eo loco iterum emergens, in oceanum, multas praeterlabens urbes, & Luſitaniam ab Hiſpania diſterminans, defertur, Hiſpalim, in laeva Baetis amnis ripa ſitam, conceſſiſti. Baetim nunc Guadalchivirum [2], Arabico vocabulo, Hiſpani vocitant, quod magnum atque amplum ſignificat. Hiſpalis, Sibilia dicitur. Civitas eſt, ſive ambitum maenium, queis millia paſſuum fere ſeptem complectitur, ſive aedificiorum tam privatorum quam publicorum magnificentiam, ſive civium divitias ingeniaque & artes, ſive ubertatem agri & rerum omnium copiam, ſeu denique portum, quo omnes ex America novoque in occidentalibus plagis orbe

Reliquam Hiſpaniam ambit.

Ana fluvius conditur.

Hiſpalis.

X na-

[1] Supra pag. 148. *Badajoſam* appellavit.

[2] Italorum pronunciandi ratio fecit, ut ita hoc fluvii nomen Gratianus ſcriberet. At Hiſpanis *Guadalquivir* non *Guadalchivir* ſcribitur.

Gades. naves feruntur, ſpectes, totius Hiſpaniae longe nobiliſſima 1. Ab Hiſpali Gades deſcendiſti, ſtudio videndi Herculeum fretum anguſtiaſque, per quas irrumpens oceanus, ad tricies centena millia paſſuum Tanaim uſque atque ultimos Europae fines excurrit, noſtrumque efficit mare; quod, quia medias intrat terras, mediterraneum dicitur. A Gadibus, per Andaluſiam reliquamque Baeticam in interiora Hiſpaniae regreſſus, a Toleto ad Iberum, atque, eo iterum trajecto, per Tarraconenſe regnum Perpennianum: inde Narbonam, atque inde per Provinciam in Italiam rediiſti. Non multo poſt Germaniam Belgaſque peragrandi occaſio incidit tibi. Atque ex Belgis etiam in Britanniam tranſmiſiſti: ne tibi non viſa maxima inſularum Chriſtiani orbis eſſet. Poſtremo, veluti peregrinandi ſtudium peregrinando incitaretur, ut mare quoque experirere, navim Venetiis conſcendiſti, Iſtris, Dalmatis aliiſque Illyrii populis aditis, Adriatico ſinu ad Corcyram egreſſus, curſum extendiſti, & Caefaloniam, Zacynthum atque Peloponneſum praetervectus Cretam tenuiſti. Ex Creta per Aegaei inſulas tibi petita Cyprus, ultima inſularum mediterranei maris, inter Ciliciam Syriamque porrecta: quae tum quidem Venetorum juris erat, ſed non multo poſt Turcarum & ipſa violentiae ceſſit. Hic in terram cum deſcendiſſes, Nicoſiam conceſſiſti, nobilem tum urbem: quippe ab totius inſulae Nobilitate incolebatur; quam inde Nobilitatem illatum a ſecundo Selimo, Turcarum rege, bellum anno MDLXX. univerſam abſumpſit: quo quidem de bello proprius a nobis liber 2 conſcriptus eſt.

Navigat in Syriam.

Cyprus inſula.


1 Verſati in ea urbe aliquandiu pueri olim ſumus, & plane nobilem urbem eſſe, qualem Gratianna deſcribit, meminimus. Quin quoddam Hiſpalenſium familiare proverbium, ſibi patriaeque blandientium, memoria, duobus hiſce verſiculis comprehenſum, tenemus:

„ Quien no ha viſto Sevilla
No ha viſto maravilla. „

2 Quo quidem de libro perhonorificum teſtimonium exſtat Cardinalis Bentivoli in *Memoriarum* lib 1. cap. 8. „ Nella ſegreteria Toſcana „ e Latina egli era grandemente ſtimato. In queſta ſeconda lingua „ haveva compoſto l' hiſtoria di Cipro in occaſione della perdita, che „ ne haveva fatta la Republica di Venetia, e con tanta approvatione di tutti i più rigidi cenſori „ in tal genere di componimenti, „ che non poteva eſſere ſtata maggiore. „ Rariſſimus eſt hic liber difficillimuſque inventu; dignus tamen, qui ſtudioſorum ſtudiorumque gratia recudatur. Rem ſuſceptutum confido Joannem Baptiſtam Zanonium, eum, cujus in officina cujuſque ſumtibus *Scripta* haec *invita Minerva* cuduntur: quae ubi viderit gratiſſima eruditis hominibus (id quod ego illi, eorum edendorum hortator atque auctor, pollicitus ſum, quodque

que praestabo) accidisse, nolet profecto hanc novam ab iisdem Cypriae recudendae historiae gratiam non inire. Sed, ut πόνος πόνῳ πόνον φέρει, illud etiam futurum arbitror, ut reliqua deinceps Gratiani Opera (Vita nimirum Cardinalis Commendoni, De casibus adversis illustrium virorum sui aevi commentarius, Amerinae Ecclesiae Synhodus, & ἀνέκδοτα quaedam, quorum princeps erit Sixti V. Pont. Max. Vita, quae in meas manus quamprimum perventura esse spero) iisdem typis, eademque chartae forma, consequantur, sic, ut omnium tam docti elegantisque scriptoris operum unum, in sex aut septem dissectum tomos, confici tamquam corpus possit.





ANTONII MARIAE

GRATIANI

A BURGO SANCTI SEPULCRI

DE SCRIPTIS INVITA MINERVA

AD ALOYSIUM FRATREM

LIBER VI.





Icosiae cum annum ipsum substitisses, in propinquam Syriam Judaeamque trajicere statuisti, cupidus visendi loca, quae indutus mortali corpore Christus Deus incessit, & in quibus nobis sua morte aditum ad immortalitatem aperuit: loca, ubi prima origo humani generis; ubi conditi homines; ubi propagati; unde ad alias colendas terras profecti; ubi orta religio; ubi primum coli Deus caeptus; ubi traditae divinitus Sacrorum leges; ubi hausta vitae praecepta; ubi artes & doctrinae repertae; ubi natus Christus Deus; ubi vixit; ubi docuit; ubi admiranda opera patravit; ubi salutem aegris, surdis audiendi, elinguibus loquendi, luminibus captis videndi facultatem reddidit; ubi mortuos, & quatridui tabe labentes, ad vitam revocavit; ubi impuri spiritus; ubi venti, ubi mare, ubi inanima quoque & muta imperanti paruerunt; ubi indigna morte est affectus; ubi ad vi-

Judaea.

Mirabilia Christi opera.

vitam rediit, ac coelum, unde venerat, repetiit; ubi suis divinam vim est impartitus; ubi denique eos spargere in omnes gentes coelestis sapientiae semina jussit. Harum tu rerum vestigia visenda tibi statuisti. Et quidem ita es consilium tuum executus, ut non solum Hierosolymorum urbem, sed ipsam quoque regionem diligenter admodum perlustraris, tam quae ad mare pertinet, quam quae ad montes succedit. Nam Palaestina, qua sol oritur, longo Libani dorso, qua cadit, ora maris terminatur. A meridie Arabiam, a septentrione Phoeniciam habet: estque omnis divisa in partes quatuor: quarum quae Arabis finitima est, Idumaea, quae Phoenices attingit, Galilaea dicitur. Huic juncta Samaria, atque huic Iudaea, cum nomine ipso notior, tum agri bonitate & Hierosolymorum claritudine caeteris multo illustrior. Sacrae litterae Chanaan [1] vocarunt. Omnes Jordanis fluvius intersecat. Is Libano oriens, lacum, qui profluenti primus occurrit, citus pertransit; altero lacu ad Tiberiadem, veluti hospitio, detinetur: tertio, Asphaltide ingrate ebibitur; cui, natura faedo ac pestilenti, pellucidas ipse ac mire dulces infundit aquas. Jordanem non amenitas sua, non vitreus nitor ac dulcedo aquarum tam commendat, quam ablutus undis ejus a Joanne Christus, & baptismi mysterium, Sacrumque humano generi salutare, in eo institutum, nobilitavit. Asphaltidem cum ob magnitudinem, [est enim longus centum millia passuum, latus, ubi plurimum, vigintiquinque, ubi minimum, sex] tum quod aquae ejus, pinguedine lentae ac pene immobiles, nulla ventorum vi agitantur, mortuum mare appellant. De eo mira scriptores tradunt: pisces non alere, nec ullum animal undis ejus mergi; gravia supernare, levia, nisi alumine illita sint, profundo hauriri; aves supervolantes gravitate vaporis attonitas decidere; bitumen vomere, certo anni tempore, omni calce, omni glutino tenacius; id non ferro, non aere recidi, filo, infecto sanguine muliebris menstrui cedere; eo mortuorum corpora condiri, condita non putrescere. Arbores, quae circa nascuntur, arborumque fructus, specie eximios, intus inanes aut putridos esse; terramque non longe hinc late in cinerem exustam cerni, vestigia haud dubia incensarum urbium Sodomae & Gomorrae, quas divinae litterae nefaria ob flagitia, jactis de coelo ignibus, conflagrasse memorant. Ad visendum Asphaltidem perpauci adeunt, quod & devium iter & la-

Palaestinae descriptio.

Jordanis flumen.

Asphaltides lacus seu mare mortuum.

1 Autographo *Chanabam* exhibenti non obtemperavi.

& latrociniis & serpentibus ferisque infestum. Tiberiadis quoque lacus sacris in libris mare appellatur, & ipse praegrandis, ac, si tempestas ventique lacessant, maris instar fluctus attollens; multis celebris Christi miraculis. Hic enim discipulos, vehementiori aestu fatigatos, aegre appellentes littori navigium, ac undis pene obrutos, incolumes praestitit, jussis conquiescere mari, ac silere ventis. Hic piscantes cum tota nocte se nihil caepisse quererentur, jactis iterum, imperio ejus, retibus, tantum traxere piscium, ut vix moliri retia & colligere, prae nimio pondere, possent. Hic item stans in littore, monstrante e navi Petro, conspectus, Petrum ipsum ad se venire per undas, jussit; cui ille audacter obtemperans veluti per solidum incessit, donec, labante metu fide, mergi caeperat, nisi sublevasset Deus, diffidentemque increpasset [1]. Libanus [2] mons a tergo Palaestinae ducenta ferme millia pas-

Lacus Tiberiadis.

Libanus mons.

1 Mallem *increpuisset*, si autographum sineret.

2 Diligentem aeque atque elegantem montis Libani descriptionem, Maronitarumque, eum incolentium, historiam habes apud Franciscum Sacchinum Histor. Soc. Jesu Parte IV. lib. VI. n. 37. nullo modo hic praetermittendam. ,, Quatuor, inquit, ferme dierum itinere ab Hierosolyma ,, versus orientem mons Libanus est, ,, sacris juxta ac profanis clarus literis, ,, in ditione, ut cetera circumsita, ,, tyranni Turcarum. Ab septentrione ,, ne in meridiem, vel potius ab occasu solis aestivo in exortum hybernum longo tractu excurrit, inhospitali ferme cacumine, propter nivium perennitates. Molliora juga ,, & sedes hominum patiuntur & cultum. Est, ubi ardua & saxis aspera ,, terga montis solers necessitas, extructis subinde maceriis, depressisque tomulis, completis humilioribus spatiis, in multas gradatim prope exsequavit planities, cum visendae amoenitatis, tum feracitatis non poenitendae. Tritici, vini, olei, mellis & cerae, item gossipii & bombycis generosus proventus est. Vineas aratro colunt, raris propterea ordinibus consitas. ,, Adminicula vites nulla desiderant: ,, libero errore proserpunt; nullaque ,, injuriis, ingentes, telloris in gremio, progignunt racemos, praegrandibus acinis structos, aureoque colore & suavitate, ubi maturuere, ,, cum paucis comparandos. Ea solo ,, vis, ea caelo inest clementia. Pecoris, praesertim caprini, magna ,, copia, nec minor volucrum & quadrupedum ferarum ad venationes ,, & aucupia. Perdicum ubique circumvolant greges, & amabiles undique exsiliunt luduntque sciuri. ,, Sed gloria prima Libano cedri sunt, ,, divinis quoque celebratae carminibus; proceritate primum, tum ,, materia odorata aeternaque memorabiles. Nec ubique proveniunt: ,, sed silvae sparsim per longa intervalla visuntur. Etiamnum superest ,, nemus vetustate atque adeo religione quadam venerandum (Cedros ,, sanctas appellant) quod ab Salamonis usque temporibus durare fama ,, tenet. Parcitur ergo annosis truncis, nec semel violare aggressos ,, Saracenos absterruere prodigia. Non ,, uni Maronitae, sed aliae multae ,, gentes incolunt montem. Oppida ,, majora in eo fere nulla: pagatim vicatimque degitur. Radicibus clarae ac numerosae civitates adjacent, quarum e primis, vel ,, facile princeps, Damascus est. Nec ,, obscura est Tripolis ad littus Phoe- ,, ni-

passuum, perpetuis jugis, plerunque mollibus, ad Asphaltidem usque ab Antilibano procurrit, totamque regionem conspergit tumulis peramenis salubribusque & frugiferis. Nominibus variis distinguitur. Nam & Hermon & Galaad, caeteris multo editior, & Sair & Gelboe & Thabor pars Libani sunt. His interjecta vallis multis nobilitata est praeliis. Nam & Gedeon cum Madian, & Saul cum Philisthaeis, & Acab cum Syris, & Tartari cum Saracenis, hac ipsa in valle collatis

Cedrus Libani. signis depugnarunt. Libanus gignendis cedris felix, quarum, materia una omnium adversus vim temporis maxime contumax habetur: non carie infestatur, non ulla re corrumpitur: unde cupitum veteribus simulacra Deorum ex ea factitare: & Sa-

„ nicii maris, unde ab occasu solis „ aestivi Libanus cooritur ac sensim „ erigitur. Regioni quoque olim „ ab urbibus tribus nomen Tripoli „ fuit. Vrbs est tamen hoc tempore „ & emporium Turcis, Judaeis, variarumque sectatum Haereticia, aliquot simul Catholicis frequena. Passuum inde millia circiter duodecim „ monasterium abest in monte Libano „ situm, cui Sancta Maria a Canubino est nomen, Patriarchae Maronitarum sedes. Haud temere „ usquam sub Turcarum dominatu „ Catholicum monasterium nobilius „ est. Monachi paulo plures viginti „ habent, sed virtutis eximiae: & „ cum Patriarchae causa, tum religione templi, quod beatissimae Virgini sacrum est, advenarum ingenti concursu celebratur. Vni illi monasterio longe per eos tractus campaoas Turcae permittunt. Nec tamen semel impia & avara gens demoliri conata est, vexavitque ac „ funditus spoliavit.... Circa id monasterium frequentes Maronitarum „ pagi sparguntur sinceri integrique, „ nulla sive Haeretici sive Turcae colluvione admixta. Quod quidem „ haud gratuita benignitate impetrarut a Turcis .. Itaque non tam „ soli malignitate, quam inexplebilium dominorum iniquitate fit, ut „ spectabilca nullae divitiae inter Maronitas sint..... Emyr nomen „ est Turcae praesidi, a quo reguntur. E sua gente duos habent rerum humanarum principes, quos „ Diaconos vocant. Divinorum potestas penes Patriarcham est, qui „ non nisi e Religiosis adsciscitur, vel „ si forte aliunde, fit pariter Monachus; & nomen, praeter proprium, „ ad Principis Apostolorum venerationem, Petrus assumit. Cooptatur „ autem Religiosorum, Cleri, populique suffragiis liberis, claraque voce delatis Mores vulgo apprime „ boni ac pudici. Summa in negotiis „ commerciisque, summa in matrimoniis fides: & ignorantur ibi meritoria scorta. Invicta in religione „ constantia: erga Romanum Pontificem prorsus mira propensio, eaque laude haud immerito gloriantur: cum plane sit miraculi instar, „ iotet undique obsidentes sectarum „ plurimarum Haereticos, ab Latinis „ Catholicis obstinate alienos, inter „ assiduas & acerbissimas vexationes „ rapinasque Turcarum, populum „ haud magnum, velut inter luporum turmas gregem agnorum pusillum, perseverare illaesum. Ex „ eadem gente Tripoli, Damasci, Aleppi, & in insula Cypro parvae „ degunt Coloniae. Vniversa gens „ capitum ad millia quadraginta censetur efficere: quamvis longe majorem numerum quidam prodant. „ Sacra Latina jampridem sequuntur, rametsi suos habeant ritus „ quosdam, suamque Liturgiam Arabice. „

1 In autographo *quorum*. Mendose.

& Salomon [1] rex haud aliam ferme templo, Hierosolymis ab se aedificato, adhibuit. Altae in Libano cadere nives dicuntur: quod mirum in regione caloribus tam obnoxia. Christianis fere, qui Maronitae dicuntur, habitatur. Et hi abscissi a reliquo Ecclesiae corpore sunt, & inter Barbaros multis absurdis infecti moribus erroribusque. A Marone [2] quodam, *Maronitae Libani incolae.*

Y dam,

1 Non *Salamon*, ot praesert autographum, sed *Salomon*, ut vulgata sacrorum Bibliorom editio habet, & hic & alibi edendum curavi.

2 Dissentit a Gratiano Sacchinos Histor Soc. Jesu Partis qoartae libro vi qoo nemo ante eum Maronitarum tes diligentius investigavit, nemo vèrius peodidit: qui boc loco omnino audiendus ,, Sed unde, inqnit, nomen
,, acceperint, & aliquot ante saeculis
,, qoae coluerint Sacra, juvat paucis
,, eaquirere: qnod nequaquam ipsis
,, in ea fama cum exteenis scriptoribus
,, eibus convenit. Porro Maronias in
,, veterum monumentis non unaa vi-
,, dere est. Jam tum Homeri tem-
,, poribus {Cyconum in Tbracia flo-
,, rebat hoc cognomento civitas, un-
,, de nomen Maronaen vino sommae
,, prisco aevn nobilitatis. Alteram
,, Ptholemaeus ponit in Syria in re-
,, gione Chalcidica, quae sortasse ea
,, est, quam Sanctus Hieronymua in
,, vita Malchi triginta ferme millibus
,, ab Syriae Antiochia in orientem
,, distare narrat: quanqnam non mo-
,, dica est positionis in longitudinem
,, discrepantia, nec urbem, sed vi-
,, culum haud grandem Sanctua Hie-
,, ronymus appellat. Leguntur & qui-
,, dam Maroniae Fpiscopi, sive vi-
,, culus ille in celebritatem Episcopo
,, dignam creverit, sive Ptholemaei
,, Maroniam, si forte diversa est,
,, aut cognominem aliam Vrbem re-
,, xerint. Vtrunque sit, simile vero
,, mihi fit, non ex loco, sed ex ho-
,, mine, de quibus agimua, Maroni-
,, taa traxisse nomen Auctores ha-
,, beo, qui ab Marone haeretico Mo-
,, nothelita, cujus in dogma tradu-
,, cti per quingentes prope annoa ab
,, Catholica Ecclesia aberrarint, ò ad
,, quam primum anno Domini mille-
,, simo centesimo octogesimo secundo
,, redierint, propagatam sectam tra-
,, dant, nomine quoque, ut Haere-
,, ticorum mos est, ab conditore se-
,, ctae transmisso. Sed atteotius re-
,, volventi Annales, interque se sae-
,, culorum multorum curricula com-
,, paranti, nihil dubii restare opinor,
,, quin, haudquaquam ab impio, sed
,, ab Sancto homine Maronitae et ap-
,, pellationem acceperint, et in Ca-
,, tbolica Religione conservari siut.
,, Percelebris fuit per toa terrarum
,, tractus Beatua Maro Abbas, qui
,, et Primaa omnium venerabilium Mo-
,, nasteriorum in secunda Syria no-
,, minatur, et ejus legatus Joannes
,, pro omnibus Archimandritis, et
,, Monachis de ipsa secunda Syria
,, verba facit in quinta oecomenica Sy-
,, nodo. Deinde Alexander quoque
,, Preabyter, et Archimandrita pro-
,, ditur Monasterii Beati Maronis,
,, qui una cum suis acriter decerta-
,, bat contra Haereticos Monotheli-
,, tas. Porro cum per orientem late
,, nationea scinderentur in variaa se-
,, ctaa, Beatusque Maro, et ejus Mo-
,, nachi tantum pro orthodoxa fide
,, certarent; quid propius fidem est,
,, quam secutos ejus disciplinam pri-
,, mum Monachos, tum populos etiam
,, gloriosum inde nomen adamasse?
,, Id eo certius suadetur, quod Ma-
,, ronitarum Patriarchae, nempe ut
,, a Monacho Marone profecti, dein-
,, ceps universi ex Monachis coopta-
,, ti sunt: nec aliunde mos fasve
,, est cooprari. Deinde, quia si no-
,, men ab Haeresiarcha manasset; du-
,, bio procul, ubi ad Catholicos re-
,, disse primum dicuntur, foedum
,, vocabulum execrari jussi essent, ac
,, ponere: quod tamen factum ne
,, Villelmus quidem Tyrius, qui
,, pri-

dam, unde eis nomen, maxime depravati unam tantum Christo divinam voluntatem tribuunt, humanam auferunt. Cam-

,, primam eorum conversionem nar-
,, rat, adscribit. Quin adeo constat
,, viguisse hanc semper inter Maro-
,, nitas sententiam, a Beato se Ma-
,, rone Abbate profectos, cujus inter
,, veneranda etiam Missarum sole-
,, mnia nomen religiose usu pant: quem
,, etiam ad Romanum Pontificem pro-
,, fectum Abbatem (sub annum Chri-
,, sti quadringentesimum vixit) inde
,, rediisse Patriarcham commemorant.
,, Quae per manus ad posteros lapsa
,, fides obtinere pondus auctoritatis
,, maximum debet. Ac meus quidem
,, animus libens accliuat in eam par-
,, tem, ut, quod ipsi Maronitae
,, praeclarum suae nationis insigne du-
,, cunt, existimem, nunquam ab
,, orthodoxis per impiam pertinaciam
,, dissensisse. At enim scriptores Ec-
,, clesiasticarum rerum obstant. Pri-
,, mum quidem his nomen imposuit,
,, quod ab Haeretico homine fluxisse
,, suspicati sunt. Quod cum contra
,, participatum nos ab Sancto viro do-
,, cuerimus, reliquum est, ut ejusdem
,, tenuisse dogmata censeantur. Dein-
,, de renovationem quandam mutui
,, usus cum Romana Ecclesia, pro re-
,, versione ad fidem et discessione ab
,, haeresi, descripserunt. Quippe, cum
,, nec admodum potens, nec numero-
,, sa natio esset, & in eo terrarum
,, lateret angulo; et assidua cum Sara-
,, cenis bella, cum Haereticis et Schi-
,, smaticis acerba dissidia, ultro citro-
,, que commeatus et commercia, in
,, tanta praesertim terrarum ac maris
,, longinquitate, interrumperent: ne-
,, cesse erat, multa tempora sine mu-
,, tuo usu cum Romanis Pontifici-
,, bus intermitti. Tum vero, cum
,, in simplici ac bono populo, ac
,, maximam partem agricola, nulla vi-
,, gerent studia sapientiae, et circum-
,, siderent immixtique agerent Hae-
,, retici, nec solum sermones sed etiam
,, libros impios spargerent: adhaere-
,, scebant videlicet sensim minime
,, sentientibus haud pauca ipsis quo-
,, que Maronitis vel a ritibus, vel inter-
,, dum a dogmatis simul aliena Catholi-
,, corum; quae tamen, ubi primum ido-
,, neus magister, praesertim ab Sede A-
,, postolica destinatus, demonstraret,
,, tum ea, incredibili propensione ani-
,, mi, deserebant, tum, quae ortho-
,, doxa proponerentur, amplectebau-
,, tur. Quod ipsum evidens testimo-
,, nium est, pertinaciam superioribus
,, temporibus absuisse: nec nisi per
,, imprudentiam fuisse peccatum. Ce-
,, terum, quia magistri ante satis ex-
,, plicatas confirmatasque res discede-
,, bant, nec dogmata satis commode,
,, cum per interpretes ageretur, in-
,, telligebantur; manebant autem li-
,, bri depravati, et Haereticorum ine-
,, vitabili consortio utebantur, redi-
,, bant paulatim inveteratae consue-
,, tudines, tenebantque, quoad rursus
,, catholicus doctor succurreret: quem
,, nacti, pristina illa facilitate, quo-
,, cunque is duceret, de integro se-
,, quebantur, et ejerabant haereses,
,, et execrabantur Haereticos, et ri-
,, tus pollicebantur commutaturos, et
,, Romano Pontifici Ecclesiaeque Ca-
,, tholicae obedientiam deferebant. Tum
,, scilicet manabat fama conversorum
,, ad catholicam religionem Maroni-
,, tarum: et conditores historiarum,
,, quin ipsimet, qui gerebant res, pri-
,, ora ignorantes tempora, nec, nisi
,, quod sua aetate fiebat, consideran-
,, tes, mandabant literis, reconcilia-
,, tos cum Ecclesia Libaniotas: con-
,, versionem vocantes, quod verius
,, intermissi, per simplicitatem, per
,, inscitiam, per temporum iniquita-
,, tem, usus repetitio dici debuit.
,, Quae sine dubio causa fuit errori
,, Marco Olissipponensi, Franciscan.
,, Chronici Scriptori, cum per Fra-
,, trem, doctrina et sanctitate nob-
,, lem, Griphonem nomine . . . nar-
,, rat, anno millesimo quadringente-
,, simo quinquagesimo Maronitas ad
,, fidem primum, et obedientiam Ro-
,, manae Ecclesiae vocatos. Quod i a
,, ab-

Campani aeris sonitum, quo editis ab aedificiis turribusve ad Sacra populus concitur, cum Mahometanis rejiciunt. Nec

,, abest a vero, ut praeter Innocentii
,, tertii anno 1215 et Alexandri quar-
,, ti 1256 data ad eorum temporum
,, Patriarchas, ut plane catholicos,
,, diplomata, extent etiam Eugenii
,, quarti literae ad Patriarcham Joan-
,, nem datae anno 1441. cum insigni
,, commendatione constantiae Maro-
,, nitarum . . . . quarum clausula,
,, post paternam exhortationem, haec
,, est. ,,, Nec hoc dicimus, quia de tua
,,, et tuorum animi constantia dubite-
,,, mus, quos scimus, acceptis nostris
,,, (scilicet Petro Ferrario, et An-
,,, tonio Trojano, utroque ex Mino-
,,, rum Ordine) de quibus supra est
,,, dictum, tanta laetitia tantaque cum
,,, audacia ostendisse gaudium mentis
,,, vestrae, ut Saracenos in quotundam
,,, ex vestris capita furere effeceritis,
,,, adeo, ut, praeter rerum jacturam
,,, aliqui sint occisi . . . Datum Flo-
,,, rentiae anno Incarnationis Domini
,,, 1441. 17. Kal Jan Pontificatus an-
,,, no undecimo. ,,, Haec ita cum sint,
,, quo, quaeso, pacto Beatus Gripho
,, convertit ad Catholicam Religionem
,, eos, qui decennio ante pro ea tam
,, multa pertulerant, ac tantum re-
,, tulerant laudis ab summo Sacrorum
,, Antistite Eugenio? &c. ,,

Petrus Ambarachius (al Benedictus) vir doctissimus, et Latina S. Ephraemi Syri interpretatione (quam auctoritate atque auspiciis Angeli Mariae Quirini S. R. E. Cardinalis amplissimi, cujus de viri laudibus silere venerabundus malo, quem laudare satis pro dignitate non possum suscepit) notus Florentiae quum ageret, antequam Societati Jesu adscriberetur (quam an. 1707 ingressus, in ea VIII. Kal Sept. an 1742 Romae sanctissime, magno sui desiderio relicto, decessit) Catalogum orientalium MSS. Codicum, qui in Mediceo-Laurentiana Bibliotheca plurimi laudatissimique adservantur, dignum sua eruditione doctrinaque, confecit. In eo, ubi de Syriaco quodam, Chaldaico-estranghelo charactere exarato, ad pluteum I. pertinente, et numero 56. notato, agit, argumentum quoddam, quod jure *ineluctabile* appellat, ex ipso codice desumtum profert, quo Sacchini sententia de Triphone atque adeo veritas ipsa planissime confirmatur. Locum ipsum hic do: cujus describendi potestatem mihi fecit humanissimus Biscionius, qui propediem absolutissimum ejusdem Bibliothecae Catalogum Bibliothecarius ipse Regius est editurus. ,, Ad ini-
,, tium, inquit, et finem codicis no-
,, tantur varia legata pia et donatio-
,, nes factae monasterio S Mariae de
,, Kannubin, in quo resident hoc
,, tempore Patriarchae Maronitarum,
,, aliaque monumenta, ad eosdem
,, spectantia. Insigne prae caeteris
,, est sequens, quod cum Eccle-
,, siasticae historiae fragmentum sit,
,, ne periret, huc transcribendum pu-
,, tavimus. ,,, Anno millesimo qua-
,,, dringentesimo et nonagesimo Seleu-
,,, cidarum (Christi 1179. die IX.
,,, mens. Febr. veni ego humilis Jare-
,,, mias de oppido Benedicto Da-
,,, malsa ad monasterium S Dominae
,,, nostrae Mariae de Maiphuk, in
,,, valle de Ailig provinciae Boto-
,,, ron ad Dominum meum Petrum
,,, Patriarcham Maronitarum, et pro-
,,, clamatus sui ab ejus SS. manibus
,,, Metropolita super monasterium San-
,,, ctum de Chephiun, quod aedificatur
,,, ad ripam fluminis, et permansi ibi
,,, quatuor annos in diebus Monacho-
,,, rum habitantium in monastario, et
,,, sunt, Monachus Hezechiel, et socius
,,, ejus Isachias etc Et elapso qua-
,,, driennio postulavit me Regulus
,,, Bibli cum Episcopis et Ecclesia-
,,, rum rectoribus, et Presbyteris
,,, καὶ ἔδωκαν κλήρους, καὶ ἔπεσεν ὁ
,,, κλῆρος ἐπ' ἐμέ: et crearunt me
,,, Patriarcham in S. monasterio de
,,, Chalat. et deinde miserunt me
,,, ad civitatem magnam Romae et
,,, te-

eorum Episcopi anulis nec mitris utuntur: quod genus capitis integumenti, maxime ab Aegyptiis Syrisque acceptum, nostri solemnibus Sacris operantes Episcopi, ritu antiquitus tradito, adhibent. Iidem tamen Romanorum Pontificum & Apostolicae sedis nomen majestatemque mire venerantur. Et proximis annis [1], petentibus ipsis, misit Gregorius XIII. in Syriam

,,, reliqui fratrem nostrum Episcopum
,,, Theodorum, qui gregem regeret
,,, et moneret ,,,

,, Ille Jeremias interfuit Concilio
,, Lateranensi sub Innocentio III. Ejus
,, effigies adhuc visitur Romae in tem-
,, plo S. Petri in Vaticano; et ejus-
,, dem Innocentii extat ad eundem
,, diploma. Nota interim, ex hoc
,, testimonio, auctoritatis ineluctabi-
,, lis, invincibiliter refelli fabulosa
,, cujusdam fratris Griphonis acta,
,, quae in Chronicis Fratrum Mino-
,, rum circumferuntur, in quibus,
,, ab eodem Maronitas Christiana pri-
,, mum Sacra suscepisse, cum summa
,, Catholicae ab immemorabili aevo
,, nationis Injuria, vulgatum est.
,, Haec forsan παρὰ τῆς ὁδοῦ, sed
,, ὅπου τὶς ἀλγεῖ, κεῖσε τὸν νοῦν ἔχει. ,,

Eadem haec ex Ambarachio, ac multo etiam plura, vulgaverat ante me, atque omnium primus an. 1738. Cl. Vir Joannes Lamius in luculentissimo Codicum Novi Foederis Manoscriptorum, qui in Florentinis bibliothecis sunt, Commentario: tum an. 1739. Bernardus Monsfalconius in Bibliotheca bibliothecarum Parisiis; denique doctissimus Praesul Stephanus Evodius Assemanus, Apameensis Archiepiscopus, an. 1742. in Bibliothecae Mediceae Laurentianae & Palatinae Codicum MSS. Orientalium Catalogo. Sed quia Ambarachii interpretatio non plane cum Assemani interpretatione consentit, idcirco hanc etiam, in quibus ab illa discrepat, exhibemus. ,, Anno mill.... quadring....
,, nonagesimo Graecorum (Christi 1179.)
,, die 9. mensis Sciabat (Februarii)
,, ... Hieremias ...., de Maiphuc .....
,, de Hailig. provinciae Botrensis ad ...
,, & consecratus sui ejus sanctis ma-
,, nibus, proclamatusque Metropolita
,, Monasterii sancti de Chephtun,
,, quod situm est ad ripam fluminis
,, Abrahami (Adonis) & permansi ....
,, annos iis temporibus quibus prae-
,, fatum monasterium incolebant Mo-
,, nachus Ezechiel, & .... Isaias, Mo-
,, nachus Daniel, Monachus Josue,
,, & socius ejus Elias, Monachus Da-
,, vid & triginta duo alii Monachi.
,, Elapso quadriennio rogarunt me re-
,, gulus Bybli, Episcopi, Ecclesiarum
,, rectores & Presbyteri, & miserunt
,, sortem, quae cecidit super me, &
,, creatus fui Patriarcha in sancto mo-
,, nasterio de Chalat. Tum miserunt
,, &c ,,

Maronitarum gentem dilexi semper ac ab omnibus Catholicis diligendam semper existimavi, quod religionem catholicam, tam procul ab Romana, hoc est, ab ejusdem religionis Sede constituti, tam religiose colant atque coluerint: eorumque famae, hac praesertim in re, me semper fore propugnatorem profiteor.

1 Rem fuse narrat Sacchinus Hist. Soc. J. Parte IV. lib. VI. num. 52. ad ann. D. 1578.

,, Miserat in Urbem electus Patri-
,, archa Michael de Casarzura Geor-
,, gium de Besluchito Episcopum &
,, Clementem de Heeden Archipre-
,, sbyterum e suis, obedientiam suo
,, nomine Gregorio Pontifici delatu-
,, ros..... Ad Pontificem illi ad-
,, missi, expositis mandatis in testi-
,, monium suae legationis, perqueve-
,, tustae adversus Romanam sedem
,, propensionis, autographum protu-
,, lere ipsum Pontificis Innocentii ter-
,, tii anno 1215. ad Hieremiam, ea
,, tempestate Patriarcham, & Maro-
,, nitas ceteros missum. Commota
,, sunt..... Beatissimi Patris vi-
,, scera super filiis tam longe dissitis,
,, tot-

riam duos e Societate Iesu, doctrinae & vitae laudibus praestantes viros; quibus auctoribus in Episcoporum atque Sacerdotum concilio, cui ipse interfuit Antiochiae Patriarcha, Catholicam fidem magna cum religione professi sunt. Incolere & alii dicuntur, Christianum nomen ferentes, sed varie corrupti, appellatique Graeci, Armeni, Nestoriani, Iacobiti, Georgiani, Syri: quorum Maronitae, insignes sagittarii, quadraginta armatorum millia conficere dicuntur. Tota autem regione, tanta soli bonitas, tanta segetum, tanta frugum ubertas, tanta omnis generis fructuum copia suavitasque, tanta locorum amenitas, tanta salubritas, ut non immerito delectae ab se genti, ex qua liberator humani generis Christus nasceretur, tribuerit Deus, & terram lacte & melle fluentem appellarint divinae litterae.

Ve-

,, totque inter difficultates vitam &
,, pietatem telerantibus: Patronoque
,, gentis Cardinali Carafae impense
,, commendavit, vias ut investigaret
,, opis ferendae. . . . . Probato consi-
,, lio Pontifex, delegataque Everardo
,, Generali administratione negotii, is
,, in eam provinciam Sacerdotes duos,
,, cum adjutore laico Mario Amato,
,, Thomam Regium & Baptistam E-
,, lianum, ut multarum peritos lin-
,, guarum, & orientalem juvandi Ec-
,, clesiam studiosos in paucis, delegit...
,, Terra marique fecundissimo cursu
,, progressi, primo post idus januarias
,, die in Syriam ad urbem Phoeniciae
,, Tripolim appulere. . . . . Vbi prae-
,, cognitum in Canubino est, adesse
,, missos a Romano Pontifice nuncios,
,, egressi obviam Patriarcha cum Cle-
,, ro perhonorifice eos perque hu-
,, maniter excepere . . . . . . Lingua
,, vulgaris Arabica est: Chaldaea u-
,, tuntur in libris. Pater autem Ba-
,, ptista Arabice loquebatur & scri-
,, bebat optime. . . . . Qui cum li-
,, teras Pontificis interpretatus esset,
,, exultans laetitia Patriarcha: Nunc
,, tandem, inquit, ipsum mihi vi-
,, deor alloqui, & audire sanctissimum
,, Papam Nam, quas adhuc accepi-
,, mus ab Sede Apostolica literas, in-
,, terpreris inopia, nihil nisi, quod
,, fuit in nobis, summa veneratione
,, capitibus nostris & oculis imposui-
,, mus, & in scrinium reconditas ma-
,, gna cura servamus. Nunc, quo-
,, niam, quid a nobis requiratur, co-
,, pia facta est intelligendi, docete
,, ac ducite in semitas veritatis. En a-
,, nimos vobis nostros ad omne obse-
,, quium paratissimos dedimus. . . .
,, Igitur summo studio ad volumina
,, eorum perscrutanda, cerimoniasque
,, ac ritus observandos, interrogandos-
,, que peritos convertitur. Ac libros
,, quidem nonnullos maculis Diosco-
,, ri aspersos reperit. . . . . Infantes
,, ante quadragesimum diem nefas du-
,, cebant baptizare . . . . Secundum
,, Baptismis inungebant totos, nul-
,, lum postea Chrisma adhibentes....
,, Baptizatis infantibus ritu Graeco-
,, rum continuo divinam Eucharistiam
,, impertiebant. Divortia aliter & a-
,, lias ob causas, quam ab Evangelio
,, permissum sit, increbuerant. . . .
,, Haec atque hujusmodi alia cum
,, discrepare ab Ecclesiae Sanctae nor-
,, ma monuisset Baptista, recepit obe-
,, dienter Patriarcha, cuncta se se pau-
,, latim, deo juvante & ipsis Patri-
,, bus, correcturum. extemploque ma-
,, nus operi admoveri coepta. &c ,,
Reliqua, ac praesertim ea, quae pertinent ad Concilium a Gratiano significatum, vide in Hist. Soc J Parte V. lib. 1. n. 95 ad ann 1581 Sed hisce rebus posterioribus non Thomas Regius, qui in Europam redierat, sed Joannes Brunus cum eodem Eliano interfuit.

Verum, ut ad tuum iter, quod quodammodo praegressi sumus, revertamur, cum Famagustae conscendisses, ad Tripolim, quo brevissimus est e Cypro in Syriam trajectus, expositus, terrestre iter ingressus Berithum venisti. Haec inter nobilia Syriae oppida, & vetustate & situs opportunitate & mercaturae commerciis numerantur. Tripolim ex eo dictum ferunt, quod olim Sidoniis, Tyriis, Aradiis possideretur. Huc omnia ferme ex oriente aromata deferuntur. A Beritho Sidonem ac Tyrum petisti. Neutra urbs antiquae dignitatis nunc quicquam, praeter nomen, retinet, & paucas veterum aedificiorum reliquias. Quin ipsum quoque nominis honorem amiserunt. Siquidem „Suit „ Sidon „ Sur„ Tyrus vocitatur. Quantae olim opes Tyriorum fuerint, unde aestimes magis, quam quod orta ab his Carthago est? cujus tanta magnitudo fuit, ut cum Populo Romano de orbis Imperio diu contenderit; ea quidem fortuna, ut propiores exitio fuerint, qui vicere: &, quam diu ea urbs stetit, nunquam Romani securi potentiae egerunt. Nec Carthaginem solum in Africa, sed Septim quoque & Vticam, & in Hispania Gades Tyrii condidere: sicut Sidonii in Graecia Thebas. Amplas florentesque Tyriorum res afflixit evertitque magni Alexandri elatus secundis rebus animus, & ipsorum contumax adversus victorem tergiversatio primo, deinde etiam scelus; qui, dum obsiderentur, missos ab Alexandro pacis suasores, violato gentium jure, apud Barbaros quoque sancto, interfecerunt, insepultosque abjecerunt. Cum, post victos in Cilicia Persas, fugatumque Darium, concursus ad eum Syriae & vicinarum gentium legatorum, dedentium urbes suas, atque in fidem ditionemque ejus venientium, fieret; uni Tyriorum legati non nisi transgressum jam in Phoeniciam eum adierunt, ut amicum. Quibus ille benigne acceptis, cum se eorum visere urbem, & Herculi apud eos sacrificare velle dixisset, ita responderunt, ut minime admissuri eum intra maenia viderentur. Vasti atque impotentis animi juvenis, fiducia loci sperni se a Tyriis ratus, quod & insulam incolerent, & ipse procul tum classem haberet, ita est eorum responso offensus, ut confestim eis bellum denunciarit: & quo non solum aditum sibi ad oppidum oppugnandum faceret, sed nihil satis tutum, nihil insuperabile viribus suis ostenderet quod irrito incaepto tentatum ante a Nabucodonossore re-

Tripolis & Berithum.

Tyrus & Sidon.

Alexander magnus bellum Tyriis indicit

1 Sidonis nomen non *Suit*, sed *Said* Philippus Ferrarius, at Michael Ant. Baudrandus *Saida* incolis esse affirmat.

2 Ex autographi *Sidona* feci *Sidon*.

rege Assyriorum acceperat, jungere molibus continenti insulam, & interiectum septingentorum passuum fretum opplere est aggressus: opus desperationis plenum, non solum, quod altum ibi mare, & immensi gurgites, quicquid saxorum materiaeque ingerebatur, hauriebant, sed angustiis ipsis concitati fluctus consistere quicquam aut coagmentari non patiebantur; nisi perspicax adversus aspera Alexandri ingenium, & regium nomen, & recens victoriae fama, ipsam quoque naturam vicisset. Ita Tyrus detracta Ponto, & addita continenti est, & Tyriorum tanta clades fuit, ut praeter bello atque expugnatione urbis absumptos, duo millia captivorum Alexander crucibus affigi per ingens littoris spatium, expiandae legatorum suorum neci, jusserit. Sed post id quoque excidium revaluere. Variis inde casibus agitati, nunc aegre nomen urbis tuentur. Celebres gestis rebus, celebres opibus cum Tyrii, tum Sidones, celebres etiam infectu purpurae, celebriores miraculis apud eos a Christo Jesu editis. A Tyro ingressus Galilaeam, Ptolemaidem, Acrim nunc dictam, petisti, maritimam, & magnae opportunitatis urbem, dextrorsum a Carmeli promontorio duodecim millia passuum distantem: quam a fortissimis viris captam, qui in Syriam sepulcrum Christi e Barbarorum manibus ereptum venere, omnium postrema, nec, nisi perditis Syriae rebus, amisimus. Hinc ab ora maris abscedens, relicto ad sinistram Nephtalim, cui nunc nomen Suziz, veteris Tobiae patria, Canam Galilaeae adiisti, ubi Christus convivio nuptiarum adhibitus, aquam in vinum, magna convivarum admiratione, convertit. A Cana Nazarethem contendisti, urbem non aliunde, quam Christianis ex Sacris, claritatem nactam. Hic enim virgini, regio ortae sanguine, licet humili atque inopi, sanctitate ac religione omnium, quae unquam post conditum orbem fuere, spectatissimae, piis operanti precibus, coelestis adstitit nuncius, ad cujus affatum, nullum ipsa superni numinis jussum detrectante, ita se divinus in ejus viscera infudit Spiritus, ut, pudore virginitatis floreque nihil laeso, Deum humano admixtum sanguine conceperit; atque inde maturo tempore Christum corporis nostri compagine implicitum ediderit. A Nazarethe Taborem montem transgressus es, ubi Christus novam atque humana majorem induens formam, ipsamque divinitatem suam lucida circunfusus nube prodens, testibus discipulorum tribus adhibitis, cum Moyse & Helia loquens est conspectus. Inde, superato monte Caedar, Capharnaum, in citerio-

Ptolemais. Nephtalim. Cana Galilaeae. Nazareth. Maria Virgo. Conceptus Christus. Tabor mons. Capharnaum.

riore Jordanis ripa, non longe ab ostio, quo in lacum Tiberiadis influit, nobile olim oppidum, concessisti, nobilius, quod nusquam alibi plura miracula edidisse Christus dicitur. Inde, per Bethsaidam ac per Naim, Tiberiadem (Tubariam nunc vocant) venisti: viso ex itinere Magdalo Mariae castro, quae ab illo Magdalena cognominata est, mulier diu inani formae laude studioque elata, donec, fama primum, deinde sermonibus Christi, ita immutata est, ita ad omnia pietatis officia incitata, ut, & quam diu vixit Christus, unice eum coluerit, &, postquam mortuus repetiit vitam, digna extiterit, cui se Deus videndum ante omnes obtulerit. Hinc digressus, in Samariam, alteram Palaestinae provinciam, descendisti. Vrbs eodem nomine, Sebaste nunc dicitur. Haec gens a Salmanasare, Asyriorum rege, ad frequentandam regionem, cultoribus pene desertam, ex Perside eo translata, & si ad ritus legesque Judaeorum transierat, tamen multa pristinae originis suae instituta retinens, odio Judaeis, ut alienigena alienigenarumque infecta moribus, fuit, nec unquam inter ipsos satis convenit: & divinae litterae Christo Jesu, quod Samaritanus esset, ut probrum, Judaeos objecisse tradunt: & aliquando, ad puteum cum Samaritana muliere satis longum sermonem habuisse eum, ipsi quoque discipuli mirati sunt. A Sebaste bidui itinere Hiericum venisti, situm in longe amenissima totius Judaeae valle, quam mediam secat irrigatque Jordanis, umbrifer, gelidus vitreusque amnis. Haec vallis cum salubritate & fertilitate insignis, tum eo eximia, quod unica balsami procreatrix. Huic enim tantum terrae, atque in ea perpaucis jugeribus concessum brevem arbusculam [1] alere, cujus longe omnium odoratissimus liquor, & varii in medicina usus. Cortice leviter scisso, veluti e plaga, guttatim manat, vitroque aut osseo cultello finditur; ferro acieque violari ita indignatur, ut ex eo vitam quoque relinquat ac protinus arescat. Veteribus tanti fuit, ut, Hierosolymorum obsidione, eruperint Judaei ad vastandam silvam, ne ea hostis potiretur. Defenderunt Romani, pugnatumque pro frutice est. Et Pompejus tot gentium victor, in pompa triumphi, hanc maxime arborem, veluti insigne de hostibus spolium, praetulisse memorant. Hodie stirpitus interiisse arborem, neque inveniri amplius id balsami genus certum est [2]. Hierici maenia, ad cantum tu-

Magdalum, unde Magdalena.

Christo, quod Samaritanus esset, objectum.

Hiericus.

Balsamus.

[1] Recessi ab autographo, in quo *arbusculum*.

[2] Incidit forte in hunc locum, quum Gratiani Ms. exemplar, apud me inve-

tubarum, clamoremque exercitus Joſue, clariſſimi Judaeorum ducis, cecidiſſe proditum memoriae eſt. Sed quid mirum, huic unius oppidi muros ultro corruiſſe, ad cujus votum, quo perſequi conjectos in fugam hoſtes poſſet, ipſum ſtetiſſe ſolem, &, inhibito curſu, aeternum naturae ordinem interrupiſſe memorant? A Hierico Ephraim, atque inde Rhamam adiiſti, nobilitatam immanitate Herodis, qui natum Chriſtum, & rerum potiturum, biennio ante cum a Magis didiciſſet, atque, ubi & quiſnam eſſet, ignoraret, ut periculum, quod inde regno impendere homo perditus atque inſigniter ſaevus, arbitrabatur, averteret, infantes bimulos omnes tota Judaea jugulari juſſit: quorum longe maxima ſtrages Rhamae eſt edita. Quam calamitatem ploratumque parentum miſerabilem, etiam vatum re-

Joſue.

Ephraim.

Rhama.

Z ſpon-

ventum, animi cauſa, ut fit, pervolutaret, Petrus Maria Salomonius S. J. philoſophus ac mathematicus in hoc noſtro Gymnaſio celeberrimus, & botanicae facultatis perſtudioſus ac gnarus: qui vehementer mirari ſe dixit, talia de Balſamo a Gratiano prodi memoriae potuiſſe, cum, quo tempore haec ſcriberet, in manibus hominum eſſet Proſperi Alpini egregius de Balſamo Dialogus, in quo contrariam ſententiam tam multis tamque perſpicuis argumentis tuetur atque confirmat, ut de ea dubitari non poſſit. Promſit autem continuo ex ſua lectiſſima copioſiſſimaque bibliotheca ipſum Alpini codicem, Venetiis apud Franciſcum de Franciſcis Senenſem an. 1592. editum, mihique oſtendit. Ex eo pauca haec excerpta ſubjicio. ,, Dico (inquit in eo dialogo Abdella Aegyptius medicus) ac edico tibi, Balſami frutices neque etiam in Aegypto plane periiſſe dici poſſe, quando ſaepe, juſſu praefecti Cayri, quem Beſsa appellant, plantae multae ex foelici Arabia delatae in iſto viridario inſerantur. Et nunc vix tertius agitur annus, cum Meſſinoris, per id temporis Aegypti praefecti, juſſu, quadraginta, e Mecba advectae, hic inſitae fuerint .... In Arabiae vero multis locis innumerae propemodum, magno cum illiuſce gentis lucro, aluntur. Neque ſatis diu eſt, quod apud Arabis utilitas & lucrum hoc cognoſcitur. Etenim opobalſami quantitas multa in Orientis loca comportatur, quibus in locis eum ſuccum in ſummo pretio eſſe, multi ex Arabibus, nunc Cayrum habitantibus, narrant. Cujus ſucci lucro ab iis cognito, omnes certatim multos Balſami frutices ex arenoſis montoſiſque locis in morbida viridaria transferre conantur. Quamobrem ibi innumera pulcherrima balſameta cernuntur. Lege tamen iis populis interdictum eſt, ne, praeter fiſcum quis eam plantam ſerere queat, neque ſuccum vel flores vel ramulos vel fructus ſine publico mandato quis capiat ... Praeterea verum quoque hoc eſſe ex me audies, non in Aegyptum ex Judaea, ut aliqui ſomniarunt, ipſum veniſſe, ſed ex foelici Arabia ſemper fuiſſe delatum: Aegyptiumque ſolum, veluti neque Judaicum, nunquam proprium ac nativum ei fuiſſe ... Quam regionem (Arabiam foelicem) Diodori Siculi, Strabonis Pauſaniaeque teſtimonio, ut nuper dictum eſt, conſtat, Balſami olim feracem fuiſſe, quae eodem modo etiam nunc innumeras ejus plantas ſponte natas alit. &c ,,

1 Non alia eſt autographi lectio.

Herodis furor.

sponsis multo ante praenunciatum fuisse ferunt. Tantus fuit Herodis furor, metusque amittendi regni, ut partim, ne quem excipere videretur, partim in solatium orbatorum parentum, suum quoque necari filium eadem aetate jusserit. Relato ad Augustum barbarae crudelitatis exemplo, dixisse ferunt, porcum se Herodis, quam filium, esse malle: cavillatus in superstitionem Judaeorum suilla carne abstinentium. Nec tamen, quem petebat, fructum crudelitatis Herodes tulit. Coelesti enim admonitu Josephus materque praevertere fugam, atque in Aegypto, quandiu tyrannus vixit, cum ipso puero exularunt. Hic Herodes tanti vir ingenii atque audaciae fuit, ut assentando nunc M. Antonio, nunc Augusto, & utroque officiis obsequiisque colendo, ex privato loco ad Judaeae regnum industria pervenerit. Caeterum quanta immanitate imbutus animus ejus, & quanta saevitia vigentis ac florentis fuerit, vel ex iis, quae in ipsa morte crudeliter egit, censeri potest. Supremo morbo laborabat, nullam vitae spem superesse sibi ipse quoque intelligebat. Nam, interno incendio ardens, extrinsecus frigebat. Marcescentibus intestinis, aegre spiritum trahentem putres vermes, veluti in ultionem tot scelerum, assidue erodebant exedebantque. Denique acerbissimis totius corporis doloribus torquebatur sic, ut aliquando abrumpere vitam, & transfigere se cultro, impatientia cruciatuum, sit conatus. Quae ergo remedia vincendis tot malis, quod levamen, quae sedandae tot facinorum conscientiae quaesita piacula? Quae adjumenta componendo animo, atque morti accommodando? Claudi jubet Regiam, forasque rumorem mitti, melius esse jam regi, & brevi convaliturum. Militibus interea, quo promptius, quae imperasset, exequerentur, profuse pecunias largitur. Tum Antipatrum filium, quem in custodia habebat, vivumque ad eam diem, metu Caesaris, asservarat, primum omnium interfici jubet: deinde tota Judaea, proposita mortis paena non parentibus, principes atque honestissimos quosque ex singulis civitatibus ad se evocat. Ingentem hanc turbam totius regni nobilitatis includi circo, &, simul ac ipse expirasset, priusquam mortis suae fama emanaret, contrucidari ad unum omnes a militibus jubet. Patrandi jussi curam conjugi, sorori, sororisque viro, priorum quoque maleficiorum consciis ministrisque, per benevolentiam, per sua in eos merita, quae maxima erant, per fidem, per omnia Sacra obtestatus etiam atque etiam mandat: (sive hic livor animi, atque invidiae mor-

Quanta Herodis immanitas.

morsus acrior fuit, qua, oppetente se mortem, superesse illos sibi ferre non potuit; sive quod neminem non facturum intelligebat, ne illi exitu suo laetarentur; seu, quam ipse attulit causam, ut non ficte ac simulate homines in suo funere, sed vere & ex animo lugerent.) Et hanc belluam, dum vixit, non verebantur plerique Judaeorum felicem, ut quondam Romani haud minus scelestum Syllam suum, appellare. Adeo non ex vero humanae felicitati nomen imponitur; &, quae aut nullis aut unis animi bonis comparatur, eam non solum in potestatem nocendi, sed etiam in ipsa potestate prave abutentes, conferimus. Vidisti non longe hinc & Bethuliam, edito sitam in monte, celebrem muliebri facinore, supra virilem audaciam inclyto. Juditha erat faemina haud obscura genere, sed quae ex obscuro quoque, indole animi, emicuisset. Haec orbata viro, in ipso formae atque aetatis flore, abdiderat se in intimam domus suae partem, procul omni illecebrarum aspectu; solatia viduitatis ex pudicitiae laude & patriae religionis cultu petens. Cum missus a rege Assyriorum ad delendum gentis nomen in Palaestinam venit Holofernes, magni nominis dux, magnis succinctus peditum atque equitum copiis; quibus, quacunque incesserat, omnia igne ac ferro sternens miserandam Mesopotamiae, Ciliciae ac reliquae Syriae vastitatem intulerat, coactis populis regi Assyriae divinos honores tribuere; ac Judaeis maxime infensus, quorum, ab veteri divinarum rerum fide, longe ab illa impietate abhorrentes [1] animos intelligebat. Oziam [2], eorum regem, magnis affectum cladibus intra Bethuliae maenia compulsum arcte obsidebat, imminereque supremo civitatis excidio videbatur. Populus, metu perterritus, aperire portas, & subire victoris arbitrium volebat. Aegre regis precibus datum quinque dierum spatium, intra quos, nisi Deus aliqua iis ope subvenisset, (nam humanum auxilium nullum cernebatur) obsecuturum se eorum voluntati pollicitus erat. Interea, summa religione, nihil omisit eorum, quibus placare

Bethulia. Juditha. Holofernes. Ozias.

Z 2 pa-

1 Contra autographum, in quo *abhorrante*, edidi *abhorrentes*.

2 *Heziam* exhibet autographum. Sed hoc leve est. Illud gravius, quod Oziam Judaeorum regem Gratianus dicit, quem tantum Bethuliae Praefectum ab Manasse rege constitutum doctissimus Nicolajus e superiori loco haud ita pridem, me audiente, certissimis argumentis ostendit. Quo tempore multa alia praeclare dixit, quibus non omnia, quae de Bethulia deque reliquis a Gratiano commemorantur, satis consentiunt. Verum ego non id suscepi, ut omnia, quae minus in hoc opere probarentur, persequerer.

patrio ritu Deum Judaeis mos erat. Delata haec ad Juditham: quae collocuta cum sacerdotibus magnopere consilium regis reprehendit, qui veluti terminum coelesti statueret opi, alienum a vera pietate ferens, divinum tentare numen, & quasi tempori ac necessitati nostrae astringere: atque eos custodire portas maeniaque, & instare suppliciis placandaeque divinae irae hortatur. Ipsa precata Deum, ut incaeptum ausumque pro communi salute suum prosperaret, lugubrem abjicit cultum, ac diti laetoque ornatu sumpto, mollit atque comit corpus, & formam, sua sponte eximiam, arte componit. Noctu egrediens portis, una ancillarum comite, a rege sacerdotibusque est visa; qui abire, ne compellatam quidem, sivere. Tantum fidei spectata mulieris probitas faciebat. Prima luce custodias hostium intravit; & fassa, Judaeam se esse, atque urbe, quae obsidebatur, elapsam, duci se ad Holofernem postulat: esse sibi, de quibus eum magnopere monitum velit. Haud cunctanter milites obsequuntur: ut nihil afferret, tam pulchram praedam, ipsam per se, satis dignam operae mercedem apud imperatorem rati. Quacunque iit, oculos in se omnium convertit. Holofernes quidem, ea visa, ita commotus est, ut, remissa naturali feritate ingenii, ad genua accidentem benigne allevarit, &, blande appellatam, dicere, quid venisset, jusserit. Illa, iratum Judaeis Deum, & ipsum brevi potiturum urbis funditusque eversurum, orditur. Id sibi cum divinitus esset indicatum, ne tantae cladi interesset, antevertisse victoris se clementiae permittere: unum, quod haberet, munus afferre, victoriae indicium; quae, ut plena, & sine ullo periculo suo aut suorum esset, exituram se, si ipse pateretur, singulis noctibus ad adorandum Deum, & simul ac definitum exitii tempus adesse cognoverit, ei renunciaturam: tum sibi ultro omnia in manum ventura. Holofernes, sive victoriae nuncio credens, seu, quod credibilius est, cum gratia, quae facundis blandisque Judithae verbis inerat, tum excellenti specie ac pulchritudine ejus delinitus prorsus & captus, honorifice, nec pro captiva haberi, ac libere egredi ingredique castra, permitti illi jussit: laetusque nova spe, parari epulas & festum convivium, Judaeamque adhiberi imperat. Quo ad multam noctem producto, cum vino intemperanter indulsisset, non tamen eo, quam Judithae amore, magis incaluit. Dimisso demum convivio, recipiens se in cubiculum, Eunucho, cui ante Judaeae curam mandaverat, praecipit, ut illam unam an-

Judithae ausum.

ancillamque ejus introduceret, caeteros inde omnes summoveret. Sed cibis vinoque oneratum, simul ac se in stratum dejecit, arctissimus somnus occupavit. Nec Juditha tempori defuit. Suspensum lecto gladium Holofernis vagina detrahit, ac, tacite Deum venerata, ut sibi animum eventumque praestaret, alte stertentis jugulum audacter secuit, praecisumque caput in famulae peram conjicit, ac, silentibus circa cunctis, nemine interpellante, abiens castris, incolumis ad suos in urbem rediit, edoctoque rege sacerdotibusque, quod ipsa facinus fecisset, omnes ab summo metu summa laetitia replevit, ac, monito rege, ut armari suos, ac postera luce perterritos nec opinato casu hostes aggredi, & caput in muris omnibus spectandum proponi juberet, omnium laudibus gratibusque celebrata domum se recepit. Nec consilium ejus exitus fefellit. Ingens caedes Assyriorum, amisso duce, in trepidam fugam versorum, est facta; praedaeque, quae longe maxima fuit, pars ad Juditham relata. Ferant licet laudibus in coelum Cloeliam suam Romanarum rerum scriptores, quae obses Porsenae, Aetruscorum regi, urbem Romam oppugnanti data, deceptis custodibus, equo Tiberim tranavit, suisque se reddidit[1]. Longe hujus illustrior gloria. Illa enim, cum in hostium castra non sponte venisset, quid aliud, quam nocturnam fugam est ausa? Haec ultro se periculis objecit; suum consilium, suum ausum fuit: haec humanitate atque astu aditum sibi ad barbarum ducem, fidemque dictis fecit: haec nihil verita tot acies, tot arma, tot ad unius capitis custodiam excubantes armatorum cohortes, nihil reformidans trucem saevissimi ac ferocissimi hominis, vel dormientis, vultum, admovit ejus neci non muliebri metu torpentes, sed fiducia alacres, manus. Atque, patrato pulcherrimo facinore, ita per hostiles catervas evasit domum, ut non contenta victorem virtute atque audacia vicisse hostem, etiam consummandae victoriae erumpendique in victos auctor fuerit.

Juditha Holofernem occidit.

Judithae major, quam Cloeliae Romanae, facinus.

1 De qua re Virgilius Aeneid. lib. VIII.

" Nec non Tarquinium ejectum
" Porsenna jubebat
" Accipere, ingentique urbem
" obsidione premebat.
" Aeneadae in ferrum pro liber-
" tate ruebant.
" Illum indignanti similem, si-
" milemque minanti
" Aspiceres, pontem auderet
" quia vellere Cocles,
" Et fluvium vinclis innaret
" Cloelia ruptis."

Vetustissimum Virgilii exemplar in Mediceo-Laurentiana adservatum ita habet versiculum quintum, ut edidi, non, ut vulgati fere libri: " Adspiceres, pontem auderet quod vellere Cocles."

rit. Quod si quis divina haec ope facta objiciat, quid aliud, quam summae fortitudinis gloriae parem pietatis laudem adjiciat?

Bethlehem. Sed, ut iter tuum prosequamur, Bethlehem demum adiisti, fortunatissimam urbium, & singulari gloria elatam; in qua virgo humano inclusum atque immixtum corpore Christum Deum est enixa, eo modo, quem neque intelligere mens nostra, neque explicare lingua potest. Distat ab Hierosolymis passuum millia novem, ardui collis in dorso exsurgens. Et, quanquam uno Christi ortu incunabulisque ita est nobilitata, ut, quicquid decoris accedat, obscurum prae illo uno videri possit, tamen eo quoque Bethlehem enituit, quod Davidis, Judaeorum regis, sanctitate, rebus gestis & vaticinandi gloria longe clarissimi, patria fuit. Cujus carminibus, quae aut divini numinis laudes canunt, aut ejus colendi praecepta tradunt, aut non obscuris ambagibus futura praenunciant, hodie quoque in omnibus templis res divinae peraguntur. Venerat ergo illo praegnans Virgo, ut, quia genus a regio Davidis sanguine ducebat, in veteri majorum suorum patria, apud magistratum nomen suum profiteretur; quod tum, ex Tiberii Caesaris auctoritate, hominum numerus, quem quaeque provincia haberet, inibatur. Et forte, seu divino consilio, est factum, ut maturato graviditatis tempore, eo ipso in stabulo, in quo diversabatur, enixa infantem sit. Nam mos erat gentis (qui hodie quoque fere manet in Syria Judaeaque & Turcarum provinciis) pro diversoriis perampla aedificare stabula, quis [1] peregrini advenaeque hospitio accipiebantur. Ad praesepe, ubi primum in lucem prodiens, positus est infans, marmoreum postea delubrum Christiani aedificarunt, magni pretii columnis fultum, totumque marmoreis crustis obtectum, ut nullum in Judaea opus esset elegantius. Idem fere in singulis gestorum ejus vestigiis, priscae pietatis instinctu, a nostris hominibus factitatum est: quae omnia inde non tam vetustas absumpsit, quam Barbarorum violentia immanitasque delevit. Visuntur hic & reliquiae diruti monasterii, quod incoluisse Hieronymus dicitur; & monstratur locus, ubi ille cubare fessus & capere somnum solebat, & cubilia Paulae & Eustochii [2]; quarum ille in epistolis meminit. Ex Bethlehem nonaginta amplius dies ab relicta Tripoli peregrinatus, tandem Hierosolyma ascendisti: atque pie inito templo se-

Bethlehem Davidis patria.

Virgo Deum enixa.

Praesepe.

Hierosolymorum urbs.

1 Pro *queis*, non inusitate.

2 *Eustochii*, *quarum* habet autographum. Vtrumque correxi.

ſepulcroque Dei, &, Chriſtiano ritu, religioſe expiatus, procuratuſque, monumenta, quae extant, divinis memorata ac celebrata litteris, omnia ubique avide ſtudioſeque es contemplatus. Sed, quaeſo te, frater, quid tu Hieroſolymorum Hieroſolymis inveniſti? Vrbis non Judaeae ſolum & Syriae, ſed totius orientis longe clariſſimae & opulentiſſimae, quid nunc niſi jacentis exeſum, & tabe ac ſitu abſumptum, & plane informe cadaver aut ne cadaver quidem, ſed cadaveris exiguae ac fractae reliquiae ſuperſunt? ut nihil de regno a Davide ac Salomone latiſſime propagato, & finibus ultra Euphratem prolatis, dicam; oppidum duos peramplos celſoſque colles vallemque, interjectam collibus, aedificiis complectebatur. Cingebant maenia altiſſima latiſſimaque, immanibus ſtructa ſaxis, & undique validiſſimis turribus munita. Accedebat templum haud minus, quam ipſa civitas, nobile, nec ſanctitate ac divitiis minus, quam magnificentia ac ſtructura, inclytum. Intus, ſelectis lapidibus, auro gemmiſque refulgens [quippe, pavimentum ipſum laminis aureis ſtratum diſtinctumque fuiſſe, Ioſephus ſcribit] foris, candente ac ſolido ex marmore, ita fabricatum ac tanto ſtudio marmora ipſa inter ſe commiſſa, ut, latentibus juncturis, pene totum uno ex ſaxo exciſum videretur. Nec minus admirationis habent ipſa fundamenta, alte ad ſexaginta, late ad viginti cubitos effoſſa, validiſſimis ſaxis ad quantam vis molem ſuſtinendam firmata munitaque. Amplitudo alterius urbis inſtar. Geminae circundabant porticus, mille ferme paſſus in circuitu patentes, marmoreis columnis, eximii operis, vicenos quinos cubitos altis, ſubnixae. Quod, non deſcribendo templi ornatui [longum enim eſſet] retuli, ſed ut magnitudinem ejus tantum attingerem. Totius urbis quanta laxitas, quanta celebritas fuerit, unde magis conjicias, quam ex ipſo excidio ejus? Vndecies centena millia capitum eo bello amiſit, quo ab Imperatore Veſpaſiano victa expugnataque eſt. Supra centum millia in ſervitutem abiere [pene incredibilis multitudo, licet partem, ex aliarum quoque urbium cladibus, eo confugiſſe credas.] Quo quidem bello pene plus ipſi ſibi Judaei cladis intulere, quam paſsi ab hoſtibus ſunt: urbemque ſuam crudelius ipſi, quam Romani, devaſtarunt. Nec vero frequentius adverſus illos acriuſve, quam inter ſe, juſtis pene praeliis, concurrerunt, aut infeſtius caedibus, incendiis graſſati ſunt; qui ipſa alimenta ſua, ut adverſae parti, in cujus poteſtate erant, incommodarent, horrea publica inflammarunt. Tanta rabies

Hieroſolymorum vix reliquiae ſuperſunt.

Quanta olim Hieroſolyma.

Templum.

Quanta vis hominum abſumpta Judaico bello.

Judaeorum in obſidione Hieroſolymorum diſcordia.

bies intestini dissidii incesserat animos, aut adeo tantus obiectus divinitus mentibus furor agitabat! Nempe advenerat coelestis ultionis tempus, paucis ante annis a Christo praenunciatum, quo & casura Hierosolyma erant, & Judaei admissi in illius indigna caede piaculi paenas daturi. Siquidem Tito ipsi, exercitus Romani imperatori, cupienti urbem, & maxime templum, servare, atque ultro pacem & veniam ponentibus arma offerenti, veluti studio in perniciem incumbentes, restiterunt, atque omnem concordiae & paciscendi mentionem abruperunt semper; cum & arcta obsidione oppugnationeque, quintum jam mensem premerentur, & ex incensis horreis tanta fames ingruisset, quantam unicum exemplum testari potest, quod memorare, propter ejus atrocitatem, non pigebit. Mulier haud obscura, cum, absumptis omnibus neque se neque lactentem filium ultra alere posset, jugulatum infantem veru infixit, atque igne tostum vertit in cibum, visceraque sua visceribus reddere, &, cui alendo nuper exugendum uberibus sanguinem suum praebuerat, eo ipsa se alere, & infandum filii bustum fieri mater sustinuit. Grassabantur per omnium domos milites, &, quicquid ubique alimenti erat, rapiebant: torquebant etiam patresfamilias, ut promere, si quid abdidissent, cogerent. Odore affati pueri ducti cum domum mulieris irrupissent, deprehensum scelus ita horruerunt, ut & ipsi inde statim aufugerint, & vulgata res mire omnium mentes pavore concusserit. Ad ipsos etiam hostes perlata haud parvum, firmandis animis, atque instando suprema jam necessitate laborantibus, momentum attulit. Templo injecti a militibus ignes, &, quanquam reclamante ac nequicquam extinguere flammas conante Tito, opus totius orbis nobilissimum, immenso labore, immenso sumptu ac totius regni opibus a Salomone aedificatum, unius horae momento conflagravit, post quam conditum a magno illo rege fuerat, MCXXX annis. Tantum ex eo auri argentique egestum, praeter id, quod incendii violentia hausit, ut viluisse tota Syria utriusque metalli pretium, ob nimiam copiam, ferant. Titus, ruina Templi ac Judaeorum pertinacia vehementer irritatus, omnes sacerdotes (& erat ingens numerus) occidi jussit, nihil iis opus esse ferens, amisso jam templo: in ipsam urbem jus omne saeviendi militibus permisit. Ita direpta, vastata, incensa ac diruta omnis est. Fortunam hujus urbis ab initio ejus paucis percurram. Origo illi tam vetusta, ut conditam a Sale Arphaxati filio, Noe pronepote, paulo post diluvium, ferant, ap-

Atrox exemplum.

Templum Salomonis.

Titus, diruto templo, sacerdotes occidi jubet.

Origo Hierosolymorum et varia fortuna.

pel-

pellatamque ex nomine ejus Solymam, annis post homines natos MDCCXIII. ante Christi ortum MMDCCCCLX. Cananaei diu tenuere. Primus Judaeorum David expugnavit, ejectisque veteribus incolis, novos habitatores e suis induxit. Sed a Davide quidem capi bono illi fuit: qui & sedem regni eo transtulit, & arcem & regiam domum aedificavit, & adversus hostilem vim munivit, & publicis privatisque operibus exornavit, caputque rerum constituit; atque inde prospere adversus Philisthaeos aliosque hostes rem gessit. Quadringentos sexaginta quatuor annos Davidis institutis & partis ab eo opibus stetit, donec ab Assyriis, qui tum oriente potiebantur, eorumque rege Nabucdonossore, ingenti affecta clade est. Is captam diripuit & cum ipso templo incendit; Judaeosque habitatores omnes in Assyriam atque Babylonem transtulit. Vnde, non nisi septuaginta post annos, permissu Cyri, Persarum regis, qui Assyrios bello vicit Persisque subegit, in veteres redierunt sedes. Atque, hujus Cyri studio ac liberalitate, & templum refectum pristinaeque amplitudini atque splendori est restitutum, & Civitas ipsa suam dignitatem recepit, in antiquamque frequentiam brevi coaluit. Nam Cyrus, quia nomini suo promissum multo ante Imperium vaticiniis Judaeorum cognoverat, gentem munifice ac benevole habuit. Syriis inde, Aegyptiis, Macedonibus ac fere omnibus, penes quos orientis Imperium fuit, paruere. Fregit & Cn. Pompejus Judaeorum res; qui & urbem & templum caepit, & penetralia ejus victor intravit, quo adire fas nemini, nisi Sacerdotibus, erat: &, sedibus vacuis & sine ulla Dei effigie repertis, vana Romanis, suetis consecrare Deorum simulacra venerarique, Judaeorum religio visa, & gentem, non nisi uni & mente percepto numini cultum tribuentem, aspernabantur. Tantum valet error, &, quae semel insedit animis, praesumpta opinio. Thesauros templi inspectos Pompejus non attigit, seu verecundia religionis, sive ab insita superbia, ut contemnere videretur. Cicero illa pecunia abstinuisse eum ait [1], ne aemulis obtrectandi locum relinqueret. Herodis quo-

A Davide capta Hierosolyma exornantur.

Ab Assyriis diruta.

A Cyro templum atque urbs restituta.

A Pompejo spreta Judaeorum religio.

Ab Herode in discrimen adducta.

Aa que

1 Rem narrat Cicero in oratione pro Flacco cap 67. (al 28) „ Cum „ aurum, inquit, Judaeorum nomine, quotannis ex Italia & ex omnibus vestris provinciis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus „ sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret. Quis est, Judices, „ qui hoc non vere laudare possit? „ Exportari aurum non oportere, „ cum saepe antea Senatus, tum, „ me consule, gravissime judicavit. „ Huic autem barbarae superstitioni „ resistere, severitatis: multitudinem „ Ju-

que, cujus supra meminimus, ambitionem atque vim est passa: qui, Romanis armis fultus, tanto civitatis periculo irrupit, ut salutem ejus inde, non nisi humilibus precibus & ingentibus promissis, a militibus suis redemerit. Romani enim cuncta caede ac sanguine miscebant; quos, ne, tanto eorum labore ac virtute, sibi murorum ac tectorum inanium dominatum partum vellent, aegre exoravit. Sed longe maxima calamitas haec, quam a Tito Romanisque Hierosolyma accepere, fuit: neque postea Judaeorum gens usquam coivit, aut ullas nacta est certas sedes, ullamve partem pristinae dignitatis recuperavit. Vaga atque inops in omnes dilapsa est terras; ubique superstitione, sordibus, faenore infamis: ubique pro despectissima plebis faece habita; ubique servilibus operibus vitam tolerans; sine Sacerdotio; sine Sacrificio; sine magistratu; sine capite dispersa membra; omnium injuriae exposita; omnium honorum, omnis publici muneris ac pene communis societatis expers; omnibus gentibus admissi sceleris objecta ostentui est: ut plane Christi oraculo fidem affirmarit, qui haec ita eventura ei praedixit. Redierant Judaeorum aliqui, post supremum a Tito excidium, Hierosolyma, interque ruinas ac stragem jacentis urbis, tecta sibi domiciliaque composuerant, &, aliquot annis, inobservati neglectique, in speciem populi revixisse videbantur. Adrianus Caesar, orientis res ordinans, cum in Syriam venisset, Judaeos, quod iis interdictum circumcisione erat, tumultuantes, quinquaginta millibus eorum interfectis, compescuit, atque illas ipsas reliquias Hierosolymis expulit; urbemque cum cura restituit, Aeliamque de suo nomine appellatam, Christianis (nam & nomen & natio jam immensum, nequicquam Caesaribus, & maxime Nerone & Trajano, extinguere conantibus, creverat) habitandam tradidit. Tenuere inde in multa secula Christiani; quorum nomen ac religio per omnem Asiam atque orientem latissime propagata est, suscipientibus certatim regibus populisque Sacra, Sacrorumque, non humano inventu constitutam, sed traditam divinitus, fidem: donec ex Arabia Mahometes prodiit, qui partim ex Judaeorum

Vltimum a Tito excidium.

Adrianus Hierosolyma restituit.

Mahometes novam sectam conflat.

„ Judaeorum, flagrantem nonnumquam in concionibus pro rep. contemnere, gravitatis summae fuit. „ At Cn. Pompejus, captis Hierosolymis, victor ex illo fano nihil attigit. In primis hoc, ut multa alia, sapienter, quod in tam suspiciosa ac maledica civitate locum sermoni obtrectatorum non reliquit. „ Non enim, credo, religionem & Judaeorum & hostium, impedimento praestantissimo imperatori, sed pudorem, fuisse. „

rum veteribus institutis, partim ex ipsa quoque Christianae disciplinae ratione, & maxime ex impiis Arrianorum aliorumque Haereticorum erroribus sumpto argumento, multis additis ex ingenio suo, quae illicerent sensus voluptatum illecebris, novam superstitionem, nova ceremoniarum jura conflavit; Judaeos impietatis arguens, qui Christum, non humano fatu, sed divini infusu Spiritus e virgine inter ipsos editum, crudeliter occidissent; Christianis simplicitati vertens, quod occidi eum potuisse opinentur, non corpore, sed imagine corporis, indutum. Absurda multa in hujus hominis legibus sunt, quibus ne a cultu sui homines averterentur, capite sanxit, nequis differere de divinis rebus deque Sacrorum jure, ab se condito, auderet; sed pro se quenque vi atque armis asserere praecepit. Quin Philosophorum placita studiaque ex eorum Academiis sectatores ejus penitus sustulerunt, ne inde vanitas superstitionis detegeretur. Ita illa in terrarum orbem invecta pestis, qua nunc tantopere laboratur. Et videntur Mahometani omnes praecipuam animi contentionem adversus nos suscepisse. Experimento quidem compertum est, a nostris, qui apud Indos cis & ultra Gangem versantur, non difficulter perduci in sententiam eos populos, qui Idolorum cultores sunt: at longe difficillime Mahometanos trahi; sive ab ipsa superstitione odio Christiani nominis imbuuntur, sive disceptationem omnem de coelestium rerum fide refugiunt. Caeterum Mahometes, concitis populis, sponte sua novis rebus laetantibus, nactusque opportunum ad omnia tempus, cum Heraclius Caesar, post partam Persico bello gloriam, otio ac segnitie marcesceret, non docendo suadendoque, sed cladibus belli vicinas gentes in suam sectam sententiamque cogendo, simul Imperium sibi, simul divinitatis opinionem astruxit. Quo demum, intra quadragesimum annum aetatis, suorum fraude, sublato, qui tuenda inventa ejus susceperant Arabes, Saracenos se, nobiliore nomine, quasi ex Abrahamo & Sara, ejus conjuge, prognatos, appellari jusserunt: tantumque inde virtute atque belli artibus valuerunt, ut non orientis solum populos, Persas, Medos, Assyrios, Armenios victricibus armis percurrerint, sed in Aegyptum, Syriam, Asiam, Africam potentiam propagarint. Atque ex Africa transgressi in Hispaniam, eam quoque occupatam septingentis amplius annis possederunt. Pari audaciae ac felicitatis cursu aggressi Siciliam Sardiniamque ditioni suae subjecerunt. Atque ipsam denique Italiam ita affectarunt, ut aegre, nec, nisi diuturno bel-

Mahometes differere suos de divinis rebus vetat.

Heraclii Caesaris ignavia Mahometi viam aperit.

Saraceni, & res ab iis gestae.

bello, repulsa a nobis vis eorum sit. Quin urbem Romam aliquando, valida petitam classe, magnopere terruerunt. Sed occurrens eis ad Ostiam Leonis quarti Pontificis Max. viri Sanctissimi atque constantissimi, eximia religio, & religioni par ad omnia obeunda munera studium, eos excensu quidem in terram prohibere non potuit, sed pluribus praeliis fatigatos ita fregit attrivitque, ut ex magno numero perpaucos fugiens classis in Africam retulerit. Imminente Hierosolymis hac Saracenorum tempestate, Heraclius Imperator, ne unicum victoriae suae monumentum amitteret, Crucem, cui affixus Christus aeternum illud sacrificium peregit, quo ad redimendum genus humanum plus, quam quantum debebatur, Deo persolutum est, ab se de Persis receptam atque in Calvariae monte repositam, auferri, ne iterum in Barbarorum potestatem veniret, & Constantinopolim deportari jussit, neglecta cura urbis defendendae, & Mahometis incaeptis, quod factum oportuit, armis obviam eundi. Ab his igitur Hierosolyma erepta Christianis sunt: atque ipsis inde Turcae, qui in Saracenorum potentiam successere, eripuerunt: utrisque, aperta vi ac vera virtute, ademerunt fortissimi illi heroes, qui, ante quingentos annos sponte suscepta militia, non cupiditate ulla novas sibi opes novumque Imperium asciscendi (quippe patrimonia regiamque domi fortunam ultro dimiserunt profuderuntque) sed una stimulante religione, ne urbem, Jesu Christi gestis, vita, morte, sepulcro, inclytam, Barbaros diutius habere paterentur, pia [1] arma Asiae totique Mahometano nomini intulerunt. Initium a Gallis ortum. Haud minus accensis ad virtutem animis aliae quoque nationes aemulatae sunt, Britanni, Scoti, Belgae, Germani, Itali. Quo privatorum tam egregiis studiis publica accederet auctoritas, Vrbanus Pontifex Max. Concilium ea de re apud Claramontem in Arvernis habuit, ipsorumque Procerum circunfusam concionem pia & copiosa oratione est cohortatus, & omnibus nomina dantibus purpureae Crucis insigne, dextro gestandum humero, coram tradidit. Supra trecenta millia peditum, ad centum millia galeatorum equitum trajecisse Hellespontum, qui maxime extenuant numerum, scriptores tradunt. Nam ab aliis sexcenta armatorum millia fuisse proditum est. Tanto ad omnia voluntas, religione & verae laudis studio confirmata, omni imperio est effi-

Crux translata Byzantium.

Hierosolymorum urbs a Saracenis occupatur.

A Christianis ingenti virtute recipitur.

Quantae voluntariorum copiae.

1 Respexit fortasse initium illud poematis, quo eandem Christianorum expeditionem Torquatus Tassus complexus est:

„ Canto l'*armi pietose* &c. „

efficacior. Dignitate quidem inter omnes praestare est visus Hugo, Galliae regis frater: sed belli gloria, maxime Gothifredi Bolioni Galli, & Itali Bohemundi, alterius citerioris Britanniae, alterius Apuliae Principis, nomen enituit: quorum ad Gothifredum Hierosolymorum regnum, ad Bohemundum Antiochiae principatus, spectatae fortitudinis & navatae operae praemium, reliquorum ducum suffragiis est delatus. Horum igitur virtute atque armis expugnata Hierosolyma in Christianorum potestatem redierunt, Hierosolymitanumque regnum, quod magnum universo orienti terrorem incusserat, est constitutum. Cujus primus rex Gothifredus, etsi quod communi labore, communi militia ac prope pari singulorum virtute partum erat Imperium, ad se unum judicio ac studiis summorum procerum delatum non abnuerat (quando non aliter retineri, quam si uni committeretur, videbatur posse) tamen tanta modestia ac religione fuit, ut diadema, insigne regum, suscipere noluerit; negans decere, mortalem ibi auro ac gemmis fulgente corona redimiri, ubi opifex mundi Deus vile & acutis contextum spinis sertum capite gestasset. Quin regis quoque appellatione, quamvis ei ab omnibus tribueretur, perpetuo abstinuit. Quod si par indoles in iis, qui ei successere reges, fuisset, & repressa retusaque egregie vis Saracenorum, & pristinum Christiano nomini decus restitutum videbatur. Sed, torpente sensim per inertiam industria, & belli studiis ipsaque adeo pietate nostrorum obsolescente, ipsum quoque regnum, cujus prolati ad Euphratem usque fines, cui Aegyptus ipsa tributum pendebat, brevi consenuit. At cum his malis, extremum malorum, intestinum dissidium proditioque accessisset, sisti res ultra non potuit. Ita regnum, maxima Christiani nominis gloria partum, paulo plus octuaginta retentum annis, pari ignominia est amissum. Saladinus, Aegypti rex, cui aequales aetatis ejus scriptores magnas [1] cum militaris ferociae, tum, quod rarum, praesertim in Barbaro, fidei & humanitatis laudes tribuunt, Hierosolyma, triginta dierum oppugnatione, in potestatem redegit. Sed tam moderate victoria est usus, ut & suas Christianis reliquerit leges, &, qui abire voluerunt, suas etiam res asportare permiserit. Victo inde ad Tiberiadem, magno praelio magnaque nostrorum clade, Lusignano [2] rege captoque, & tota pene pacata maris ora, Christianorumque rebus in Syria magnopere accisis, ingenti gloria decessit. Eum adeo ge-

Gothifredus Hierosolymorum rex.

Saladinus Hierosolymis potitur.

1 Neglexi *magna* autographi, librarii peccatum existimans.

2 Guidonem intellige. Nam multi ex Lusignanorum stirpe reges.

gerendis intentum rebus fuisse ferunt, ut Joannes Bocacius, Aetruscarum fabularum scriptor, ementito mercatoris habitu, Italiam Galliamque peragrasse narret, quo mores nostros penitus nosceret, & vires & consilia Principum per se cominus exploraret. Saraco, pater ejus, mercenarius dux a Babyloniae rege cum exercitu ad opem ferendam Savaro [1], Aegypti regi, qui nostrorum armis premebatur, missus, eo per insidias sublato, se ipsum regem constituit, &, ad quem defendendum, ne ab hoste opprimeretur, venerat, eum ipse hostiliter oppressit. Quae perfidia stirpi inde ejus egregie repensa est, cui empti pretio servi, pari fraude, regnum abstulerunt. Caeterum Hierosolyma Coradinus, qui in patris opes Saladino successit, iratus nostris, quod oblatam ab se pacem renuissent, aequatis solo maenibus, nullo relicto incolumi aedificio, destruxit penitus atque evertit; turri tantum, quae dicebatur Davidis, & Salomonis templo & Christi sepulcro conservatis, quibus Christianorum precibus victus, pepercit. Neque hic miseriarum finis huic urbi, quae recepta saepe a nostris videri potest, ut nova semper cum clade amitteretur, tanquam ex calamitatibus suis, occulta vi divinae ultionis, novae semper illi calamitates renascerentur. Sed Christianorum opibus in Syria profligatis, nihil aliud, quam vilis servitii pars, dominantibus fuit, Aegyptiis modo, modo, his deterioribus, Turcis: quorum intolerandae tyrannidis jugo vexantur, non urbs, quae pene nulla est, si cum veteri conferatur, sed exiguae illae Christianorum reliquiae, quae in vestigiis urbis habitant, coluntque religionis gratia sepulcrum Christi, & circa illud vigilias agunt. Quod ipsum Turcae non nisi ex quaestu permittunt. Certum enim vectigal ab adeuntibus exigunt, statuto in singula capita decem aureorum Byzantiorum pretio, praeter id, quod varie per injuriam extorquent ac latrocinantur. Neque id est exiguum vectigal, siquidem multa quotannis hominum millia ex omni genere omnibusque nationibus, venerandi sepulcri & sacra loca visendi studio, maxime sub Paschae tempus, Hierosolyma confluunt, Romani, Graeci, Armeni, Georgiani, Nestoriani, Jacobiti, Syrii, Indi, Nubii, Aethiopes. Hic si abiret desineretque concursus, nulla Hierosolyma essent.

Saraco.

Coradinus Hierosolyma diruit.

Hierosolyma Turcarum jugo premuntur.

Adeuntes Christi sepulcrum vectigal Turcis pendunt.


Omnia tu, frater, quaecunque extant, versantis inter homines Christi vestigia cum aspexisses, Hierosolymis profectus mare atque Joppem petisti. Quo in loco memorant, ma-

Joppe.

1 Hunc Aegypti Soldanum, non regem, *Sanarum* ab aliis scriptoribus appellari video.

marino expositam monstro Andromadem, & a Perseo liberatam fuisse. Hanc nunc urbem Zaffum vocant, tam antiquae originis, ut quidam ante diluvium conditam prodiderint: sed non vetustate, quam commoditate egregii portus, nobiliorem; quo fere cursum dirigunt, qui ex Italia atque occidentis provinciis, Venetiisque Judaeam, ut sepulcrum Christi adeant, petentes solvunt; unde Hierosolyma triginta admodum millia passuum tendunt. Medio ferme itinere visitur oppidum, nunc quidem fere dirutum, cui nomen Emmaus; *Emmaus.* quo euntibus duobus e Christi discipulis, Christum ipsum viatoris habitu addidisse se comitem, nec satis iis, quae narrarant mulieres de eo ad vitam reverso, credentes, explicatis, quae coelesti afflatu fusa oracula sacris continentur libris, reprehendisse; ac postremo cum se prodens evanuisset, eos ad fidem mirifice confirmasse, divinae litterae tradunt. Ad Joppem conscendisse navem veterem Jonam ferunt, cum ex Judaea, coelestibus territus visis, aufugeret. Hinc tu, frater, Aegyptum adire cum statuisses, oram nostri maris legens, Azothum, *Azothum.* a quo prope admodum abest Accaron, *Accaron.* atque inde duodecim millia passuum Ascalonem, *Ascalon.* nobilem quondam Philistinorum urbem, venisti; atque ab Ascalone appulisti Gazam. *Gaza.* Vtraque urbs rebus a Samsone gestis nota: sed Gaza etiam Alexandri magni oppugnatione, & ejus degeneri adversus Betim, ac minime regio, facinore notior; *Alexandri saevum facinus.* quem egregia virtute ac pari fide tutantem urbem, victum, pro eo ut constantiae laudem vel in hoste agnosceret, crudeliter necavit, trajectis per talos loris, raptari equorum cursu circa maenia captae urbis jussum [1]. Gazam Persae thesauros regiasque opes appellant. Bello, quo Cyrus, Persarum rex, Aegyptum subegit, hoc in oppidum arma, pecuniam, apparatumque omnem belli contulerat. Hinc Gazae nomen acceptum perpetuo retinuit.

1 Factum vide apud Quintum Curtium libro IIII. ex quo extrema illa profero: ,, Tune inquit Alexander, ,, Non, ut voluisti, morieris, Beti, ,, sed quicqoid tormentorum io captivum inveniri potest, passurum esse te cogita. Ille, non iuterrito ,, modo, sed contumaci quoque vulto iotuens regem, nullam ad minas ejus reddidit vocem. Tum ,, Alexander: Videtisne obstinatom ,, ad tacendum? inquit. Num genu ,, posuit? Num supplicem vocem misit? Vincam tamen silentiom, &, ,, si nihil aliud, certe gemitu interpellabo. Iram deinde vertit in rabiem, jam tum peregrinos ritus nova subeunte fortuna. Per talus eoim spirantis lora trajecta sunt, ,, religatumqoe ad currum traxere ,, circa orbem equi: gloriante rege, ,, Achillem, a quo geous ipse duceret, imitatum se esse, poena in ,, hostem capienda. ,,



ANTONII MARIAE

GRATIANI

A BVRGO SANCTI SEPVLCRI

DE SCRIPTIS INVITA MINERVA

AD ALOYSIVM FRATREM

LIBER VII.





B Gaza mari Pelusium, quae nunc urbs Damiata dicitur, trajecisti. Nam terrestre iter, quo Aegyptus aditur, praeter quam quod omne per loca arentia siti est, ne magnis quidem periculis vacat. Cum enim incursatur Arabum latrociniis, qui spoliant, diripiunt ac male habent viatores, nisi ante donis conciliati fuerint, tum plerunque ipsis est arenis infestum, quae, non solum prementium vestigia fallentes, moram & lassitudinem hominibus pariter ac jumentis, aegre ex altissimo sabulo molientibus pedes, afferunt, sed, si vehementiori vento, quod nonnunquam accidit, agitentur, marinae procellae instar ingruunt, repentinosque aggerantes montes, obruunt vel maximos interdum comitatus. Neque enim aliter, quam magno simul numero, illhac iter suscipitur. Caravanas ipsi multitudinem simul viam ingredientium vocant: ac saepe una triginta & quadraginta millia hominum, jumentorum, camelorum in- Iter arenis infestum.

cedunt: qui certis anni temporibus ad id conveniunt, atque cum Arabum regulis, ut tutum iis iter praestetur, transigunt. Nec unius fide euntes ab aliis facile violantur; quanquam inter se Barbari hostiliter diffideant: ac, ne violari possint, ducitur justo armatorum praesidio agmen. Haec tu itineris incommoda periculaque ut vitares, navigandi consilium praetulisti. Aegyptus, frater, qua aquilonem spectat, nostro mari, qua austrum, Aethiopum finibus & Nili insula Svene, quam nunc Ainam appellant; ab ortu, Arabia & Rubro mari; ab occasu, Cyrenaica & Africae populis clauditur. Longitudinem ejus ab Syene ad mare paulo plus quingentis millibus passuum statuunt. Vtrinque Nili ripis haerentem montes ad Cairum usque arctant, ac fere latera Nili tegunt; donec paulo infra Cairum late se se pandentes in vastas planities abeunt. Maris ora a Pelusio finibusque Arabiae ad Canopicum ostium, Alexandriam ultra, excurrit, ducenta ferme passuum millia; neque regio usquam latior. Angusti fines, si fama rerum, & magnitudine opum metiaris. Certe Aegyptus vetustate gentis, amplitudine Imperii, rerum gestarum gloria, faecunditate soli, miraculo Nili, omnium gentium litteris ingeniisque celebratur. Tot cultam populis fuisse ferunt, ut viginti millibus urbium habitatam scriptores prodiderint: in quibus Alexandriam longe maximam & opulentissimam fama tulit, dum Aegyptus in Ptolemaei ac Macedonum stirpe mansit. Ante conditam Alexandriam par magnitudo famaque fuit Heliopolis, Memphis, Suis, Tanis, & maxime Thebarum, quibus centum portas fuisse Homerus scribit. Hodie omnibus praestat Cairus, ex antiquae Memphis ruinis aucta: caputque nunc rerum atque inter frequentissimas orientis urbes numeratur. Caeterum Aegypto nihil aliquando majus, nihil florentius. Ipsas artes praeclaras, ipsam divinarum humanarumque rerum disciplinam, qua Graecia gloriatur, ab Aegyptiis esse satis constat: nec eminere quicquam in Graecis Philosophis, quod non antea in Aegyptiis sacerdotibus excelluerit. Ab his Orpheus, Linus, Musaeus, Melampodes [1] didicere, quae postea de mundi ortu ac de coelestibus rebus in Graecia disseruerunt. Homerum ipsum propter eximium ingenium plerique scriptores Aegyptium fuisse credidere. Pythagoram quidem, & Platonem, Philosophorum longe principes, ab Aegyptiis sacerdotibus fuisse institutos, in-
de-

Aegypti fines.

Aegypti dignitas.

Vrbes.

Quam floruerit Aegyptus.

1 Non alia est autographi lectio.

deque illam hausisse sapientiam, qua tantopere inter Graecos praestiterunt, nemo dubitat. Quin Pythagoram, quo aditum sibi ad arcana Aegyptiorum Judaeorumque faceret, passum, se eorum ritu circuncidi proditum memoriae. Ac Platonis ne praeceptoris quidem nomen Seophnuphitidis ignoratur, in cujus disciplina tredecim annis fuisse dicitur. Sunt, qui Hieremiam Prophetam audisse eum putent. Quod redarguit Divus Augustinus [1], ex ratione temporum, Hieremiam centum annos antecessisse Platona ostendens. Multa tamen ex vetustis Hebraeorum libris hausisse credit, etsi translati in Graecum nondum essent.

Pythagoras.

Plato.

Eosdem Aegyptios primos, spectatis coeli motibus conversionibusque, scientiam astrorum condidisse; eosdem ipsas litteras, eosdem pingendi, texendi, metiendi, numerandi, canendi, medendi denique artem invenisse, consensu scriptores tradunt; apud eos oppida, quibus humana societas magnopere constat, primum constituta aedificataque fuisse; ab iis leges totamque rationem regendi populos ortum habuisse: atque hinc petisse Graecos, a Graecis Romanos, a Romanis caeteras gentes: ab iisdem item partitionem temporis in annos, anni in menses, mensis in dies, diei in horas excogitatam: denique, etsi vulgus gravibus superstitionibus fere agitabatur, tamen de Deo multa a vero non abhorrentia tradidisse: ac magicae quidem doctrinae studium usumque apud eos tantum fuisse, ut cum Moyse ipso, religionis a Deo acceptae conditore, prodigiorum spectaculis certare potuerint: Aegyptiorum regum tam late patuisse Im-

Aegyptiorum inventa.

Aegyptiorum opes.

1 Scripserat Augustinus lib. II. de Doctrina Christ. cap. XXVIII. „ De „ utilitate autem historiae, ut omit- „ tam Graecos, quantam noster Am- „ brosius quaestionem solvit, ca- „ lumniantibus Platonis lectoribus et „ dilectoribus? qui dicere ausi sunt, „ omnes domini nostri Jesu Christi „ sententias, quas mirari & praedi- „ care coguntur, de Platonis libris „ eum didicisse . . . Nonne memo- „ ratus episcopus, considerata histo- „ ria gentium, cum Platonem repe- „ risset Hieremiae prophetae tempo- „ ribus profectum fuisse in Aegy- „ ptum, ubi tunc ille propheta erat, „ probabilius esse ostendit, quod Pla- „ to potius nostris litteris per Hie- „ remiam fuerit imbutus, ut illa pos- „ set docere vel scribere, quae jure „ laudantur? „ At vero libro Retractationum primo cap. IIII. hunc ipsum locum corrigi vult. „ In eo, „ inquit, quod dixi de temporum „ historia secundum Ambrosium sol- „ visse quaestionem, tanquam coae- „ tanei fuerint Plato & Hieremias, „ me fefellit memoria. Nam quid „ ille episcopus de hac re senserit, „ in libro ejus legitur, quem de Sa- „ cramentis, sive de Prophetia scri- „ psit „ Ubi autem Augustinus (id quod Gratianus affirmat) ex ratione temporum ostendat, Hieremiam centum annis antecessisse Platona, nunc quidem non commemini, nec investigare vacat.

Imperium, innumeris 1 prope regnis populisque subactis, tantis ipsos, ex magnitudine opum, inflatos animis fuisse, ut Sesostris, quem sacrae litterae Sesacum 2 vocant, octonos 3 reges

1 Nihil esset, cur lectorem detinerem hoc loco, nisi hac ipsa voce *innumeris* admoneret, ut diligentiae ac prope religionis, quam in latina scriptione M. Antonius Muretus adhibebat, argumentum quoddam, haud scio an ulli auditum aut cognitum, proferrem. Est apud me Philippicarum Ciceronis exemplar, Parisiis an. 1561. editum, hoc titulo. „ M. Tullii Ciceronis Philippicae, a M. Antonio Mureto ad optimum & vetustissimum exemplar tam multis „ locis emendatae, ut nunc primum „ editae videri queant. Ejusdem Mureti in easdem Scholia ad Adrianum „ Turnebum. „ Fuit hoc, de quo commemorare coepi, exemplar ipsius Mureti κτῆμα: quod deinde ad Collegii Romani S. J bibliothecam, cum reliquis ejusdem Mureti libris, hereditate pervenit: unde mihi, in meae Ciceronis omnium operum editionis usum, ab Cl. V. Horatio Burgundio S. J. meo olim in mathematicis disciplinis magistro, ejusdem Collegii tum Rectore, summa cum humanitate transmissum est. In hoc igitur exemplari doctissimas adnotationes sua ipse manu Muretus marginibus identidem inscripsit, a nobis in nostris commentariis, ad Philippicarum editionem quum venerimus, prodendas; multaque, sive in Ciceronis verborum contextu, sive in suis scholiis, posterioribus, quae sapientiores fere esse dicuntur, cogitationibus emendavit. Vocem quidem *innumeri*, qua de agere coeperamus, bis induxit: semel in epistola ad Adrianum Turnebum nuncupatoria, iterum in scholiorum inscriptione, utrobique *innumerabiles* supponens; non, puto, quod latinam priorem illam vocem omnino non duceret (sciebat enim Virgilianam esse lib. VI. Aeneidos vers. 706. *Hunc circum innumerae gentes populique volabant.*;) sed quod minime Ciceronianam homo Ciceroni addictissimus animadverterat. Nam, quod locus ille ex lib. II de Orat cap. 22. a nonnullis afferri poterat: *cujus e ludo, tamquam ex equo Trojano, innumeri principes exierunt:* nihil ejusmodi auctoritate commoveri debebat. Discere enim a Petro Victorio lib. XVIII. cap. 5. Var. Lect. potuerat, non *innumeri*, sed *meri*, ex optimorum veterum codicum consensu, ibi esse legendum: nec vero alium Ciceronis locum, quo suum illud *innumeri* tueretur, usquam reperiebat. Sed Gratianus, libertate quadam sua, certe non reprehendenda, usus, ab eadem voce, satis latina, etsi non admodum Ciceroniana, & hoc loco & alibi non sibi abstinendum, homo caeteroquin in primis Ciceronianus, existimavit.

2 Nulli regi, de quo sacrae litterae meminerint, Sisaco fuisse nomen (quod nostrum autographum praefert) monuit me Franciscus Maria Ferrarius S. J theologiae consultissimus, quam in hoc nostro Florentino Gymnasio singulari cum omnium approbatione profitetur. Itaque *Sesacum* sine ulla dubitatione reposui. De eo Regum lib III c. 14. v. 25 illa sunt. „ In quinto autem „ anno regni Roboam ascendit Sesac „ rex Aegypti in Jerusalem. „ At non omnes Gratiano dabunt, eundem hunc esse, atque Sosestrem. Augustinus Calmetius in Dictionario Biblico ad vocem Sesac. „ Sunt, inquit, qui eum„ dem censent cum Sesonchi: alii „ cum Sesostri, sive Sethosi. Usse„ rius illum cum Sesonchi confundens „ statuit ad A. M. 3026. ante Chr. „ 974. ante Aer. 978 „

3 Nec tantum numerum, nec tantam dignitatem trahentibus Sesostris per urbem currum tribuit Diodorus Siculus *Rerum antiq.* lib 2. edit. Lugd. an. 1552. pag. 77. „ Cum multis, in„ quit, ac praeclaris facinoribus no„ bilitatus esset, tum id magnificen„ tissimum est habitum, quod cum „ nationes a se devictae, tum ii, qui„ bus

ges currui, quo ipse veheretur, trahendo junxisse praedicetur, de quo Lucanus [1]:

„ Venit ad occasum, mundique extrema Sesostris,
„ Et Pharios currus regum cervicibus egit. „

Tantis abundasse divitiis, tam immanes possedisse pecunias est proditum, ut eas ne insanis quidem substructionibus atque operibus absumere ac prodigere potuerint. Quae adeo fuere portentosa, ut, quamquam non vanis traduntur auctoribus, & eorum non parva vestigia nunc quoque visuntur, tamen non magis ipsi in perficiendis iis laborasse videantur, quam in credendis laboret hominum fides: labyrinthi, pyramides, sphinges, pensiles horti, obelisci, vastae ex uno lapide domus, inania usu cuncta, spectatu mirabilia. His inscriptum nomen aeternum fore existimarunt, spe irrita atque irridenda. Manet quippe memoria operum, auctores ignorantur. Grande vanitatis nostrae ostentum! manibus humanis affectare immortalitatem, & terrena omnia obterentis temporis legem immutabilem vinci posse sperare. Coarguendae insaniae, supra naturam suam efferentis se, humanae mentis, dixisse sat fuerit, pyramidum moles cum immensi operis labyrintho conferri non posse (cujus ut reliqua, omnem fidem vincentia, sileam, colosseum simulacrum Serapidis, novem cubitorum, fuisse in eo ex smaragdo, viridi ac magni pretii gemma, memoriae proditum est:) & tamen pyramidum unam a trecentis sexaginta millibus hominum, viginti annis, extructam fuisse. Id quoque mirum in Aegypto, quod & terrae & coeli & hominum & animantium incredibilis fertilitas. Memorant, saepe accidisse ut faeminae, septem uno utero enixae sint partus. Par reliquis animantibus faecunditas. Ovis sine ullo gallinae incubitu fotuve, ipsa temperie coeli, pulli excluduntur. Fimetis magnos acervos substernunt [2]; atque eo tempore

Aegyptiorum opera.

Aegypti fertilitas.

„ bus regna tradiderat, duces quoque, „ quos diversis praefecerat provinciis, „ praestituto die, in Aegyptum venientes, ei dona offerebant. Hos „ suscipiens benigne aliis quidem in „ rebus vario honore afficiebat. at si „ quando aut ad templum iret, aut „ per urbem incederet, *quatuor* ex „ eis, loco equorum, currui junctis, „ ostendebat, cum caeteros omnes re„ ges ducesque praeclaros bello supe„ rasset, nullos sibi neque virtute „ neque rebus gestis esse comparan„ dos. „ Quo loco quatuor modo, non octo, neque soli reges, sed duces etiam ac provinciarum praefecti commemorantur. Plinius Natur. hist. lib. 33. sect. 15. de regibus meminit, de numero aliter tradit. „ Victo, „ inquit, Sesostre, Aegypti rege, „ tam superbo, ut prodatur, annis „ quibusque sorte reges singulos e „ subjectis jungere ad currum soli„ tus, atque ita triumphare. „

1 De bello Civili lib. x. v. 275.

2 Hoc ipsum fieri in Baetica videre me puerum memini.

re proveniunt: unde avium tota Aegypto incredibilis copia & varietas. At frugum ubertas omnem excedit fidem. Horreum id populo Romano, florente imperio, fuit. Neque aliam Augustus, Cleopatra & Antonio devictis, redigendi in provinciam, & suae potissimum curae reservandi Aegyptum, rectoremque ei neminem majoribus honoribus functum imponendi, causam habuit, quam ne, validiorem nacta praesidem, exueret aliquando fidem, & urbem Romam fame urgeret. Per equitem Romanum perpetuo administravit: idemque consilium, qui successere, Imperatores sunt secuti. Sementem, abscedente Nilo, faciunt: semen in limum jaciunt; deinde leviter terram aratro vertunt, nec inde, nisi cum falce, revisunt. Adeo non indiga culturae tellus. Tantam ubertatem quis in terra arenti, & solis ardoribus infesta, & imbrium paene experti non miretur? Nili unicum id est munus: Nilus & potu hominibus animantibusque, & inundatione terris generandi vim faecunditatemque infundit. Certo anni tempore tumescit, ripisque egressus, in Aegypti campos effunditur, rigatosque & diti humore limoque constratos impinguatosque linquens, in suum se alveum recipit. Nec fallit aut variat tempus, tametsi „ Exsuperans [1] interdum, interdum parcior adsit „. Nec ex omnibus Aegypti miraculis quicquam aeque admirata antiquitas est, aut magis summorum virorum ingenia fatigavit, quam haec, aestivis diebus, ab Id. Junii ad Cal. Augusti, nullis extantibus caussis, stata solemniaque Nili incrementa. Quorum variae quidem ab iis, & ex natura rerum ductae, afferebantur rationes, sed nullae veram attingentes causam; nondum scilicet interioribus Africae, quae nostrum aperuit aevum, exploratis. Itaque plerique, solutis solis aestu nivibus, tantum ex altis Aethiopiae montibus defluere aquarum dixerunt, ut capere eas flumina non possent: alii, propioribus per hyemem solis radiis contrahi minuique ejus fontes, & veluti in suas refugere venas; easdem aestate, altius abeunte sidere, plenas uberesque exurgere: alii, etesiis agi a septentrione in meridiem nubes: alii, iisdem ventis a mari reflantibus, descendentis cursum retardari, aut ipsa ostia arenarum aggestu obstrui, augerique inde flumen, quod se minus evomere posset: alii alia. Sed nostri tum de auctu, tum de ortu ejus multo certiora afferunt, cum ad ipsos etiam fontes penetrasse Lusitanorum quidam a Congo dicantur. Manat, ut ac-

Augusti de Aegypto consilium.

Nilus faecunditatem Aegypto praestat.

De Nili incrementis veterum sententiae.

Origo Nili.

[1] Quo ratio versus constaret, *Exsuperans* feci ex autographi *exuberans*.

acceptum ab his non dubii auctores prodidere, ex ingenti lacu, ultra aequinoctialem circulum sito, qua se Africa maxime in meridiem, Aethiopicum inter atque Indicum mare, cuneatur, & in magnum illud desinit promontorium, cui Lusitani, littorum Africae, ante ignotorum, exploratores a Bona spe nomen indiderunt. Quae pars terrae mediterraneis in locis ne nunc quidem, propter inhumanos ac feros Barbarorum mores, satis cognita esse videtur. Accolunt Casates, Zaculti, Zeti, Zambri, Bagamidri, & qua Zairus eodem lacu fluit, & per regnum Congi occidentale [1] oceanum petit, Zairi & alia item gentes. In quibus, non longe a lacu, in orientem, fama celebratur faeminarum regnum; quae, veterum Amazonum ritu, exclusis viris, per se remp. regunt; lanificioque & aliis muliebribus operibus rejectis, arma tractant, & bella strenue ineunt. Petito finitimorum concubitu, qui mares nascuntur, parentibus reddunt; virgines arma ferre, & virorum munera capessere instituunt. Lacui nomen Zambrae. Patere in circuitu ad septingenta passuum millia, & navigari permagnis navigiis ajunt; & quibusdam populis litterarum, ponderum, mensurarum & numerorum usum esse, & lapideas aedificari atque inhabitari domos. Ambiunt undique, veluti indagine, immanis altitudinis montes, prorsus ut his comparatae, quas nos suspicimus, Alpes, & ipsius Athlantis & Caucasi celebrata carminibus, & elata in coelum, juga ludus esse dicantur. Qua Nilus effunditur, ob asperitatem inaccessi plane atque invii sunt. Hinc creditum veteribus, eum obstantes subire terras, abditumque fuere, donec alio lacu edatur. Id nostri, gnari locorum, prorsus negant. Quanquam alio excipi lacu eum, post quadringentorum millium cursum, sunt, qui tradant; eoque egressum per Aethiopum populos, latissimasque Abassinorum gentes, quarum regem nostri Pretejanem [2] vocant, ad Meroem usque, insulam magnam & clari nominis, quam ipse efficit, perlabi: atque hinc, receptis Asta-

Populi circa Nili fontem.

Meroes insula in Nilo.

1 Vide adnotatum primum pag. 155.

2 Non alienum hoc loco fuerit quaedam ad Pretejanem, atque ad hujus nominis originem, pertinentia, ex lib. 14. Historiae Societatis Jesu, ab Nicolao Orlandino Florentino elegantissime prodentissimeque conscriptae, excerpere: „ Non est, inquit ejus li„ bri numero 104. silentio dissimulan„ dum, quod optimi autores commemo„ rant, vulgi errore factum, ut is, ad „ quem missa legatio est, Pretejannes „ nostro in orbe cognominetur Nam„ que olim inter Asiaticos Scythas, qui „ hodie sunt Tartari, in provincia Na„ taji, quam Scythiam extra Imaum „ Ptholomaeus, recentiores Catayom „ vocant, fuisse Principem Christia„ num, inter Asiae Principes poten„ tem in primis, quem Tartari eth„ ni-

stapo atque Astabora, vastis fluminibus, se ipso elatiorem tumidioremque ferri. Meroes, ovali fere forma, medio ex amne

,, nici Vnchami, populares ejus Christiani Jonanum, detorto ab Jona propheta nomine, nuncuparint; eundemque, quod Crucem in otio tranquillisque rebus (ut memoriae prodidit vir sanctus, Florentinorum Archiepiscopus, Antoninus) indicem susceptae tutelae pro Christi fide gestaret, quam sub armorum strepitum geminabat; alteram solido ex auro, alteram pretiosis e gemmis atque lapillis elaboratam, praeferens, ut significaret, se et opibus & nobilitate ceteris orbis terrae Principibus anteire, & Christianae religionis propugnatorem esse: inde sibi speciosum Presbyteri nomen apud nostros homines invenisse Hunc igitur verum ajunt fuisse inclytum olim Presbyterum Jonanum; eamque appellationem ad ceteros deinceps illius Imperii successores, sicut apud Romanos Caesarum permanasse. Cujus Imperii tanta ferebatur esse potentia tantaeque opes, ut duobus & septuaginta regibus imperaret. Verum id Imperium cum ad regem David pervenisset, instigante Chingio quodam, exercitus regii duce, vectigales Scythas, ne tributum in posterum penderent, defecisse; belloque exorto, cum David captus & devicta interiisset, regnum ad Chingium rediisse, autorem defectionis & belli, anno 1172. vel paulo post, altero & quadragesimo anno, ex quo Nestorianam Pretejannes haeresim arripuerat . . . Chingius autem cum ceterorum regum nomen, quod velut haereditarium perveniebat ad posteros, reliquisset, Vlarcanum de Catajo appellari se maluit. Relictus tamen, est Pretejannis e stirpe, modici Imperii rex, ut quibusdam scriptoribus placet, qui Nestorianas Christianorum reliquias una collectas ultro fovit, quas Innocentius Pontifex, hujus nominis quartus, an. 1246. a posteris Tartarorum regibus vexatas, missis illuc e Dominicana familia Patribus, Magno Cano, Tartarorum Principi, commendavit: cujus adhuc in regnis plurimi Christiani e Nestorii secta reperiuntur, qui, praeter divinam in Christo personam, humanam insuper humanae naturae affingit Ergo reges illi Christiani florentissimi de schola Nestorii, quos in Europa Pretejannes appellabamus, cum suum in Asia amisissent Imperium, nihil *nisi* nomen in ore hominum reliquerunt: idque ad Abassinorum regem ex Asia in Africam, errore vulgi, translatum etiamnum viget, & hominum sermonibus usurpatur, quod hic quoque rex venerandae Crucis insigne, velut avitae religionis & ipse defensor ubique circumferat. Et errorem videntur confirmasse quidam ex Monachis Abassinia, qui nostrum in orbem cum venissent, illudque celebre invenissent nomen, et argumenta Imperii quaedam summa in regem caderent, plane ipsum esse Pretejannem asseverarint. Et, quamvia aliter ipsi nominent, tamen causas interrogati nostri vocabuli varias ex ingenio attulerunt. Vnde factum est, ut alii nostrorum autorum priorem partem nominis non *Presbyterum*, sed *Pretiosum*, alii posteriorem, non *Ionanum* aut *Ioannem*, sed *Potentem* reddiderint, quod *Gian* Abassina lingua *Potentem* significet. Haec autores magni nominis, & in primis Joannes Barrius Lusitanus, de vulgi errore disputant. Illud certum est, quem hodie Pretejannem vocitamus, eum Dynastam quendam esse Christianum Jacobitam, qui totius Aethiopiae Abassiaeve rex appellatur a suis. . . Opinio Abassinorum est, regem suum, quem *Negaz* ipsi vocant, originem trahere ex filio Salomonis Miltk, e Saba regina: se autem ab iis ortos, quorum in comitatu Salomon filium suum remi-

,, sit

amne emergit, longa, quantum, extensis, rapido cursu aliquot dierum, brachiis, flumen amplecti potuit. Distat a Syene, ubi incipit Aegyptus, ad septingenta millia passuum. Caput olim Regiamque Aethiopum hic fuisse scriptores rerum prodidere; tantae amplitudinis ac tantarum opum, ut ducenta quinquaginta millia armatorum ad bellum educeret, quadringenta millia opificum aleret. Quidam Britannia ampliorem esse scripserunt. Sabam, Aethiopum reginam, quam sacrae litterae, sive ad visendum audiendumque Salomonem, *Saba regina* Davidis filium, ea tempestate opibus & sapientiae fama inclytum, sive ad connubium ejus petendum, Hierosolyma venisse memorant, ab hac insula profectam, ejusque imperio potitam, regesque suos ab Meilecho, filio Sabae, Salomonis concubitu concepto, prognatos Aethiopes ajunt: &, in cultu Christianae pietatis, ritus quoque Hebraeorum quosdam, a majoribus acceptos, in hanc diem retinent. Nam & circuncidunt pueros, & diem Sabbati festum habent, & animalibus, quibus fissae ungulae non sint, abstinent. Merohem Mahometani nunc tenent, qui Turcarum Maurorumque amicitia fulti, infesta Christianorum Aethiopum arma non sustinent solum, sed egregie retundunt. Quidam tribus possideri regibus tradunt, singulosque *Tres reges in Meroe.* magnis pollere opibus, & lingua, moribus, institutis differre; cum alius Christiana Sacra fidemque colat, alius Mahometanorum superstitione teneatur, tertio commentitia & ficta numina in honore sint. Qui de Sacrorum ratione opinionibus dissident, etiam bello atque armis saepe ajunt contendere: Christiano Aethiopes & Pretejanem, Mahometano Turcas studere: illum alterum nunc huic, nunc illi jungi, atque utriusque opibus invalescere. Nilus a Meroe immensum post cursum, obvias altissimorum montium fauces intrat, quarum angustiis pressus saxorumque occursu illisus irritatusque spumans ac fremens insurgit, concitusque ob- *Nili cataractae.* stantia perrumpit. Atque ubi, superatis omnibus, evasit, repente subducentibus cautibus, veluti alveo destitutus, ex vastis abscissisque ac praealtis rupibus infra Syenem in humiles Aegypti campos non fluit, non, sed totus, quantus est, cadit praeceps, cadensque se in se mergit, aeterno ac tanto quidem fragore, ut, qui circa incolunt populi, aurium sensu carere dicantur [a]; ita ab ipsis, unde cadit, rupibus resi-

 liens,

" sit ad matrem: Christi vero legem " ab Eunucho reginae Candacis, quem " in Actis Apostolorum baptizatum " a Philippo diacono legimus, acce- " pisse. &c.

a Cicero in Somn. Scip. cap. 5. " Hoc " so-

liens, ut ſub cadentis undis ſiccum praebeat iter, ſpectetur-que ſub flumine ex alto ruens tanta mole aquarum flumen. Lenis inde ſedatuſque, omni remiſſo impetu, per plana Aegypti, pluribus oſtiis, in noſtrum mare delabitur. Incre-

Verae incrementorum Nili cauſae.

mentorum ejus, ſtatis nec unquam aberrantibus temporibus, ratio eſt, ut noſtri pro explorato ac non dubio tradunt, quod terris, unde profluit, ultra aequinoctialem circulum jacentibus, hyems ſit, cum apud nos aeſtas, rigeantque ibi dies, cum nobis fervent. Et, ſicuti urenti aeſtu, nullis recreantur pluviis ſex ipſis menſibus, ita a nova aprilis luna, quae illis initium hyemis, ad ineuntem ſeptembrem, creberrimi quotidie coelo praecipitant imbres; quibus, ubi diuturna ſiti arens ſatiata humore eſt tellus, tantum aquarum in ſubjectos lacus fluminaque decurrit, ut nuſquam

Iisdem fontibus tres ingentes amnes

contineri ripis ſuis queant. Ita tres ingentes amnes, qui iisdem fontibus eodemque Zambri lacu manant, Zairus, Cuama & Nilus, alius in occaſum, alius in auſtrum, alius in aquilonem, maximis omnes aquarum agminibus, feruntur; & Congi, Caefalae, Monopotapae, Aethiopiae, Aegypti regna faecundis irrigant perfunduntque aquis. Nec quotidianos certoſque hyemis imbres mireris, ſiquidem in Mexico, ditiſſimo ac latiſſimo novi orbis regno, atque aliis item in regionibus, auguſto ac ſeptembri menſe, ſingulis diebus, a meridie ad noctem, magnas effundi nubibus pluvias, primis ineuntibus tenebris, liquidum ac ſerenum redire coelum, nemo eſt, qui

De media Zona quam errarum ab antiquis.

neſciat. Et ſubjicitur haec plaga mediae Zonarum, quam nimiis ſolis ardoribus torreri, nec habitari [1], vana atque arrogans ſui aeſtimatrix antiquitas credidit. Non enim ſolum habitatur, ſed eſt opulentiſſimis regnis ac frequentiſſimis populis referta, in ſumma aeris ſalubritate & faecunditate terrae. Quo deductae Hiſpanorum coloniae in tantum auctae ac propagatae ſunt, ut ei merito Novae Hiſpaniae indiderint nomen; & haec nova veteri nihil, ſeu naturae ſeu diſciplinae laude, concedat. Philoſophorum primi aut nul-los

„ ſonitu oppletae aures hominum obſurduerunt: nec eſt ullus hebetior „ ſenſus in vobis: ſicut, ubi Nilus „ ad illa, quae Catadupa nominantur, „ praecipitat ex altiſſimis montibus, „ ea gens, quae illum locum accolit, „ propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret. „

1 Idem Cicero ibid. cap 6. „ Cernis autem eandem terram, quaſi „ quibusdam redimitam & circumdatam cingulis: e quibus duos maxime inter ſe diverſos, & coeli verticibus ipſis ex utraque parte ſubnixos, obriguiſſe pruina vides: medium autem illum, & maximum ſolis ardore torreri. Duo ſunt habitabiles &c „ Et lib I. Tuſcul. quaeſt cap. 20. „ Tum & habitabiles regiones, & rurſum omni cul- „ tu,

los esse Antipodas [1], aut nos commercio eorum, interjectu terrae, flammis ac vapore solis exustae, intercludi disseruerunt, argumentisque contenderunt; magno sapientiae ludibrio. Quippe aetas nostra circumdedit terras, adivit gentes, quae nobis adversis vestigiis insistunt, &, quas frigore ac rigore premi oras, & unde aeterno gelu arceri humanum cultum illi opinati sunt, eo quoque penetratum. Vbique reperti populi, & cuncta homini pervia subjectaque compertum. Atqui usque adeo erratum a veteribus est, ut Danubium quoque abdidisse caput, ignotisque oriri fontibus, & aestate, quam hyeme auctiorem fluere, utrunque falso prodiderint: cum exploratissimum sit, eum apud Svevos in saltibus Nigrae Silvae ortum habere, & nullis auctibus immutari. Audax & inaniter sibi fidens humanum ingenium! Scrutamur arcana naturae, cujusque rei causas ratiocinando inquirimus; quae immutabili lege statuta divinitus sunt, aestimationi nostrae subjicimus: &, quid ipsi simus, & ipsum, quo sentimus, quo cibum coquimus, quo sanguinem alimus, quo spiramus, quo vivimus, quo movemur, quid sit ignoramus [2]. Quid? Animum esse nobis omnes scimus, aut scire Danubius.

 nos

„ tu, propter vim frigoris aut calo-
„ ris, vacantes. „ Virgilius autem
„ Georgicorum lib. I. v. 233.
„ Quinque tenent coelum zonae:
„ quarum una corusco
„ Semper sole rubens, & torrida
„ semper ab igni. „
Denique Ovidius Lib. I. Metam.
„ Quarum quae media est, non est
„ habitabilis aestu. „

1 Cicero in Somn. Scip. cap. 6 „ Quorum (circulorum) australis „ ille, in quo qui insistunt, adversa „ nobis urgent vestigia, nihil ad ve- „ strum genus „ Itemque libro Academicarum quaestionum, qui Lucul- „ lus inscribitur cap 123 „ Nonne „ etiam dicitis, esse e regione nobis, „ e contraria parte terrae, qui adver- „ sis vestigiis stent contra nostra ve- „ stigia, quos Antipodas vocatis? Cur „ mihi magis succenseatis, qui ista non „ aspernor, quam eis, qui, quum au- „ diunt, desipere vos arbitramini? „ Virgilius lib I Georg v 247

„ Illic, ut perhibent, aut intempesta
„ silet nox
„ Semper, & obtenta densantur no-
„ cte tenebrae;
„ Aut redit a nobis aurora diem-
„ que reducit:
„ Nosque ubi primus equis oriens
„ afflavit anhelis,
„ Illic sera rubens accendit lumina
„ vesper. „

2 Cicero in Lucullo cap. 122. (al. 39.) „ Corpora nostra non novimus: „ qui sint situs partium; quam vim „ quaeque pars habeat, ignoramus. „ Itaque medici ipsi, quorum inter- „ erat ea nosse, aperuerunt, ut vide- „ rentur. Nec eo tamen ajunt empirici „ notiora esse illa: quia possit fieri, „ ut patefacta & detecta mutentur. „ Hunc Ciceronis laudare locum memini G. V. Antonium Cocchium in Oratione de Anatomicae artis usu, quam in Bibliotheca Nosocomii S. Mariae Novae III. Id Mart an. 1736. apud lectissimam nobilium doctissimorumque virorum coronam habuit: cui quidem orationi mirifica cum animi voluptate advocatus interfui; nec statuere satis possum, doctrinamne magis ora-

nos dicimus. Quid autem iste sit animus 1, sine quo non sumus; unde adveniat; quae illi in nobis sedes; an, post extinctum corpus, aliquo & quo abeat, quis nostrum se scire dixerit? aut, si dixerit, quibus rationibus demonstrabit? Nobis nulla de nobis fides: & animal animantium omnium dominus de se sibi nihil credit. Quid ita non credit? quia, quae inaniter disserit, quo probet, non habet. Ex quo intelligimus, quantum illi debeamus, qui mentibus nostris obfusas tenebras discussit, qui caecis & densa caligine pressis lumen praetulit. Is Deo genitus, Deus ipse, humana specie inter homines, hominum causa, versatus, haec nobis arcana retexit revolvitque. Huic de nobis merito credimus; a quo conditi, a quo redempti multo quidem majori, quam quantum debebamus, pretio sumus. Ab hoc edocti institutique, quod fallax humana sapientia nequivit, assecuti sumus, ut nos ipsos nosceremus; de Deo deque coelestibus rebus ut non sancte solum ac pie, sed, quod caput est, vere sentiremus. Hujus divinae doctrinae, hujus lucis, hujus beneficii expertes qui sunt, iis quid inconstantius? quid involutius? quid denique miserius? qui nec inscitiam ferre possunt, nec scientiam cupiunt; & ad summum sapientiae eum pervenisse praedicant, qui se unum modo scire, quod nihil sciret, pronunciavit . Crescere in Aegypto Nilus ad Id. Junii incipit, sensimque augetur quadraginta ferme diebus. Decedit ante Julii exitum, qua crevit ratione. Auctus ejus neque infra tredecim cubitos consistat, neque sexdecim excedat oportet. Altera mensura ad omnes terras non pervenit, altera tardius,

Qui faecundi, qui steriles Nili auctus.

oratoris, an eloquentiam, an latini sermonis castitatem elegantiamque suspexerim.

1 Idem Cicero ibid cap. 124. „Tenemusne quid animos sit? ubi sit? „ denique sitne, aut, ut Dicaearcho „ visum est, ne sit quidem ullus? „ si est, tresne partes habeat, ut Pla„ toni placuit, rationis, irae, cupidi„ taris: an simplex unusque sit? an, „ ut Xenocrates, mens nullo corpo„ re? &c. „ Plura in eandem sententiam vide Tuscul. quaest lib. I. cap. 18. (al. 9.) ac reliquis deinceps

2 De Socrate id memoriae proditum est. Cicero ib. cap. 74 (al. 23.) „ Vi„ xisse cum his equidem videor: ita „ multi sermones perscripti sunt, e „ quibus dubitari non possit, quin So„ crati nihil sit visum sciri posse. Ex„ cepit unum tantum, scire se, nihil „ se scire; nihil amplius. „ At Democritus, aequalis Socratis, ipsam illam minimam scientiam, quam sibi Socrates reliquerat, illi atque adeo sibi caeterisque hominibus, teste eodem Cicerone ib. cap 73 detraxit: „ Nego, „ inquit, scire nos sciamusne aliquid, „ an nihil, sciamus; ne id ipsum qui„ dem nescire aut scire, scire nos. „ De sapientia autem Socratis Cato apud eundem Ciceronem de Senect cap 78. (al 21.) „ Demonstrabantur mihi „ praeterea, quae Socrates supremo vi„ tae die, de immortalitate animorum „ disseruisset, is, qui esset omnium sa„ pientissimus Oraculo Apollinis ju„ dicatus. „

dius, quam fationi necesse est, abit; utraque non dubiam famem nunciat. Inter haec spatia, quanto accedit propius ad XVI. tanto erit exuberantior annus [1]. Monstrorum animalium, quae Nilo gigni alive credidere veteres, sphinges,

Monstra Nili.

cercopithecos, hippopotamos equidem fabulosos reor. De crocodillis non dubium, siquidem coria eorum impenetrabilis [2]

Crocodillus.

duritiae, ac vastae longitudinis & ipse vidi, tuque narrare multa haud absimilia his, quae scriptores memorant, soles. Maxime memorandum videtur in hac bellua, quod, adversus timidos audacissima, audaces reformidat. Si praesenti animo aggrediare, nihil fugacius; si quid emineat metus, inevitabile exitium: pari vi ac celeritate & insequitur fugientes, & insequentes fugit: ut non virium adversus eam, sed animorum atque audaciae certamen subiri videatur. Nec Tintiritae, gens Nili accola, arcano ullo naturae munere, quod quidam credidere, vincunt crocodillos,

Tintiritae.

ac saepe, injectis laqueis, vivos capiunt, arboribusque suspensos verberibus necant: sed, assuetudine ipsa dimicandi cum iis, ita contemnere didicerunt, ut non in conspectos solum statim exiliant, sed etiam insidiis captent: & belluae vel sonum vocis eorum incredibiliter horrent. At contra, Ombitis, circa Coptum incolentibus, crocodillum pro Deo coli proditum memoriae est; tantumque mentibus vesaniae, tantum vecordiae esse; ut raptos a fera liberos voratosque, tanquam genuisse se Diis escam, laetentur parentes. Visi & cum delphinis ad Nili ostia, directis ordinibus, veluti acie confligere feruntur [3]: saevumque atque immane monstrum ab inermi atque innoxio pisce victum.

Crocodilli & Delphini pugna.

Nam delphinus crocodilli invadentis impetum facile sua celeritate eludens, se ventri ejus insinuat (quae una pars illi vulneribus patet, reliquo corpore praeduris squamis munito & spinis, quae cultellatae & peracutae dorso ejus eminent) fodit, ac transcursu ipso secat mollia ventris, atque ita territum avertit in fugam hostem victor delphinus. Aegyptios ingenio miti & ad humanitatem prono ferunt.

Aegyptiorum mores.

Eosdem leves admodum, & ad omnem auram novae spei mobiles, & voluptatum simul & gloriae, contrariarum rerum, avidos. Religionem Christianae fidei statim ab ortu ejus amplexi, tradente Marco, Evangelii ac rerum a Christo gestarum

rum

1 Ex Virgilii lib. II Georg v. 516. „ quin aut pomis exuberet annus. „

2 Autographum praefet *impenetrabili*.

3 Scripserat librarius *contendere feruntur*. Priorem vocem Gratianus in *confligere* mutavit, posteriorem non attigit: quam aliquis supervacaneam fortassis existimarit.

rum ſcriptore. Atque adeo hic cultus omnis ſanctitatis viguit, ut nulla ex gente plura pietatis exempla prodierint: & fere in Syriae Aegyptique ſolitudines eremoſque undique concederent, quicunque, rejectis humanarum rerum illecebris, ad unam coeleſtis, id eſt Chriſtianae, ſapientiae contemplationem animum adjicerent: in quibus fuit Divus Hieronymus, praeclarum Chriſtianae diſciplinae lumen, & eximius divinarum litterarum interpres, & ante eum Paulus [1], Antonius, Machareus, Hilarius innumerabileſque alii, doctrinae ac ſanctitatis fama percelebres. Atque hic caeptus mos, in loca maxime ab humano cultu deſerta ſecedendi, propagatus paene jam plus aequo eſt toto Chriſtiano orbe. Et manent in ipſa quoque Aegypto in hodiernam diem magna & magnifice ſtructa monaſteria, remotis quidem ſecretiſque in locis, ſed lucis, umbris, ſilvis, amenitate ac ſalubritate delectis: in quibus, ut apud nos, retinetur ſpecies quaedam antiquae ſanctitatis ac diſciplinae. Ab tam inſigni Imperii, opum, ingeniorum, artium ingenuarum, & ipſius etiam religionis gloria depulit eos Mahometanae ſuperſtitionis exortus. Nam, attrita jam Graecorum Caeſarum, quibus parebant, potentia, Aegyptum Saraceni occuparunt, ipſis libentibus Aegyptiis, Imperii Graecorum pertaeſis. Sed levitatis ſuae paenas ſtatim luerunt. Nam brevi Saracenorum afflicti ſaevitia, & contagione corrupti in barbaros mores abiere; atque, omnibus ſpoliati ornamentis, Chriſtianae quoque pietatis fidem amiſere, aut ita retinent, quae ſuperſunt reliquiae, ut a priſcorum jure Sacrorum longe aberraſſe ac degeneraſſe videantur. Nam & Euthichianae haereſis errores eorum animis evulſi nunquam ſunt, & infantes, etſi ſacrata abluunt aqua, baptiſmoque afficiunt, tamen, Judaeorum quoque ritu, eis carunculae aliquid e genitalibus circuncidunt. Proximis annis, cum haec abjicere, & Catholicae Eccleſiae adjungi cupere ſe oſtendiſſent, miſit Gregorius XIII. Pontifex Max. aliquot in Aegyptum e Jeſuitarum Societate [2], ſpectatae probitatis ac religionis viros, & in divi-

Monaſteria in Aegypto.

Aegyptus a Saracenis occupata.

1 Sic edidi, autographo contradicente, in quo *Paulinus*.

2 Fuerunt ii Jo. Baptiſta Eliānus, & Franciſcus Saxius: quorum de legatione vide Hiſtoriae Societatis Jeſu Partis V lib III. num. 39 ad ann. 1583. & Partis V. lib. 4. num. 40. ad ann. 1584. Gregorii XIII. Pontificis Max. Catholicae fidei pietatiſque propagandae incenſum ſtudium ſupra etiam pag 172. declaratum ab Gratiano eſt. Sed & alia plurima ejus rei argumenta ſupperunt: quorum, reliquis notioribus praetermiſſis,

vinis litteris apprime eruditos ; a quibus docerentur, volenteſque in fidem Romanae Eccleſiae reciperentur. Hi, primo-

Conciliunt Chriſtianorum ad Cairum.

ſis, unum dumtaxat afferam, quod vulgo id ignoratum videam, & ne ab ipſis quidem Societatis Jeſu hiſtoricis indicatum. Atqui, quum de Antonii Poſſevini rebus pro Catholica religione, Gregorii auctoritate atque auſpiciis, praeclare geſtis agerent, videntur aliquid de re, utrique eorum multo honeſtiſſima, commemorare debuiſſe. Nam, quum Gregorius intelligeret, maximum ad rem Chriſtianam pietatemque conſtituendam in eorum, qui ad Sacerdotii dignitatem Sacrorumque adminiſtrationem in Seminariis, quae vocant, adoleſcunt, inſtitutione eſſe momentum, Poſſevino mandaverat, ut ea, quae in Europae urbibus erant, inviſeret, in iiſque, ſiquidem neceſſe eſſet, rectam morum ſtudiorumque rationem Pontificio nomine ac poteſtate praeſcriberet: quin etiam, ſi rei familiaris anguſtiis forte premerentur, Pontificiam ad eas ſublevandas operam munificentiamque polliceretur. Sunt in meis manibus inſignia duo ejus rei monumenta: alterum eſt Poſſevini oratio, quam ad Paſchalem Ciconiam, Venetorum Principem, ejuſque Conſilium habuit: alterum, Seminarii, quod *Patriarchae* atque etiam *Univerſale* dicebatur, Moderatorum ſupplex ad eundem Poſſevinum libellus. Utrumque, numquam antea editum, habeto, orationem quidem plane ita, ut dicta eſt, libellum ita plane, ut ſcriptus fuit.

„ Sereniſſimo Prencipe, et Eccel-
„ lentiſſimi Signori.

„ La paterna cura di ſua Santi„ tà, colla quale, abbraccia tutte le „ nationi, ha fatto, che mi chia„ maſſe da Polonia à Roma, per „ hauer piu piena luce di tutte quel„ le prouincie ſettentrionali et orien„ tali, alle quali la Sede Apoſtoli„ ca, per aumento della religione „ Chriſtiana, et per la pace de' Pren„ cipi mi haueua mandato. In quel „ tempo medeſimo il Sereniſſimo Re „ di Polonia haueua moſtrato deſide„ rio, che per le dette cauſe io ue„ niſſi à Roma; et Dio Signor no„ ſtro à me peculiarmente ſoggeriua „ uiui deſiderij di poter moſtrare al „ nuouo Pontefice lo ſtato di que' „ regni, i quali haueuo noti, aſſicu„ randomi della ſanta intentione di „ ſua Beatitudine, et di quella ſin„ golar perſpicacia, della quale Chri„ ſto benedetto l' ha dotato, che à „ gran paſſi promouerebbe l' opera „ del Chriſtianeſimo in quelle pro„ uincie, et come Dio ha ricca bot„ tega, concederebbe, che à sì ma„ gnanimo Pontefice molte altre por„ te ſi apriſſero per la gloria ſua.

„ Da queſto concorſo di uocatione „ mia è nata la deliberatione di ſua „ Beatitudine di commettermi uarie „ coſe conformi alla profeſſione no„ ſtra, et continouatrici di quel, „ che alcuni anni colla diuina gratia „ ſi è andato procurando. Et per„ cioche uede ſua Santità, quanto „ momento habbia l'andare commu„ nicando con queſta Sereniſſima Re„ publica le coſe, ch'ella per diui„ no ſeruitio delibera, mi hà com„ meſſo, che dovunque io ſarò, o „ potrò ſeruire à uoſtra Serenità, et „ à queſti Eccellentiſſimi Signori, et „ Signoria, io lo faccia, et così lo „ ſignifichi a queſta uenuta mia, co„ me fo humilmente.

„ Di più ſentendo ſua Beatitudine, „ che niuna coſa può eſſer più effi„ cace per hauere il diuino preſidio, „ et per propagar la religione Chri„ ſtiana, che di fomentare il calor „ degli animi di diverſe nationi, et „ di procurar l'aumento degli ope„ rarij nella uigna di Dio, hauendo „ ſua Beatitudine aumentato, et ſta„ bilito in perpetuo alcuni grandi „ Seminarij nelle Indie, hà riuolto „ l'animo ad aumentar parimente, „ et ſtabilir quegli, che ſono nella

„ Eu-

moribus eorum appellatis, concilium ad Cairum Episcoporum atque Sacerdotum, cui ipse quoque Patriarcha Alexandri-

„ Europa. Per il che hauendomi commesso, oltre un Breue paterno diretto à tutti coloro, i quali ne hanno cura, che io dica da parte di sua Beatitudine ciò, che possa appartenere a questo santo negotio, mi ha specialmente commesso, che in questa Città a coloro ragioni, i quali ne hanno cura: il tutto communicando prima con nostra Serenità, et con questa Serenissima Signoria, la qual come certo propugnacolo di Christianità, considerando il detto Breve, il quale hò qui, uedrà quanto sante et paterne uie troua lo Spirito Santo in questo Santo Pontefice per accrescimento della diuina gloria.

„ Dall'altra parte hauendomi commesso il Serenissimo Re di Polonia, che al mio ritorno da Roma salutassi uostra Serenità, le presentassi questa lettera, et rendessi testimonio a questa Serenissima Republica della continouatione dell'amore et osseruanza, che sua Maestà le porta, et finalmente (se così mi commandassero) le dessi quella parte, et quel ragguaglio delle cose di quel regno, et altre contigue prouincie, che altre uolte per ordine della Sede Apostolica le diedi. Io ueggo, che poca fatica haurò in persuadere a uostra Serenità, & a questi Eccellentissimi Signori l'amor di detto Re Serenissimo, et molto meno à procurar la continouatione di quell'amore, il qual fra due si grandi Potentati può esser molto grato a Dio, et gioueuole colla sola uoione di animi à rimuouer molti incommodi dalla Christianità. Però rendo pur uiuo testimonio, che col ualor di quel Re ua di pari (per quanto sempre hò compreso) un più che ordinario affetto di compiacere in ogni Christiano negotio a questa Serenissima Republica.

„ Dalla parte mia quanto più mi sento inhabile ad ogni buona impresa, non posso niegare, che io non senta speciale conforto, uedendo il detto concorso della uocatione divina, et che doue Dio mi chiamò dal secolo à questa professione religiosa (cioè in questo Serenissimo Dominio, studiando in Padoua) quiui habbia occasione in questi pacifici maneggi di mostrarmi a tutta la Compagnia nostra gratissimo seruo di questa Serenissima Republica, alla quale, come Dio sa, che non si ha da noi altri altro fine, che della salute delle anime, et della quiete publica, così sento di poter dir con uerità, che non è cosa, per ardua che sia, la quale collo spandimento del mio sangue non intraprendessi per seruitio di uostra Serenità in tutto quello, che è conueniente à seruo di Dio, et all'instituto nostro.

„ Però, se si degnaranno commettere alcuna cosa, sappiano, che per ordine di Sua Beatitudine, per desiderio del detto Re, per inclinatione uniuersale della Compagnia nostra, per mio particolarissimo obligo sono prontissimo ad ubidirle.

„ Nel restante, se uorranno rispondere à sua Beatitudine, et al detto Re, o se uorranno altro, sappia la Serenità uostra, che conuenendomi pigliar presto il uiaggio della superior Germania, per trouarmi a tempo di quei Comitii, che saranno al principio del prossimo mese di Febraio, riceuerò per singolarissimo fauore, che si degnino uostra Serenità con questi Eccellentissimi Signori spedirmi.

„ Et perchè à negotij, concernenti il seruitio di Dio, le altre uolte questa Serenissima Republica si degnò fauorirmi di due segnalati beneficij, l'un de' quali fu il commetter, che per queste Chiese di Venetia, doue son tanti corpi Santi,

drinus interfuit, coegerunt: navassentque operam (nam & Hebraicum circuncidendi ritum abrogarant, & Romanum Pon-

„ ti, pegni della Diuina prouidenza „ sopra questa Città, si pregasse Dio „ per me, l'altro, che mi si desse „ passaporto conforme al presente, „ che concedette il Serenissimo Doge „ Ponte, però le supplico di amendue „ queste gratie.

Hactenus Possevini oratio. Sequitur Seminarii Moderatorum supplex ad eundem libellus.

„ Molto Reuerendo Padre, et „ Signore Osseruandissimo.

„ La gratia, che la Santità di nostro Signore ha fatta al Seminario „ Vniuersale di questa Città, et a „ noi Gouernatori di esso mandando „ V. P. M. R. a uisitarlo, et benedirlo per suo nome, et a farci tutti partecipi delli santissimi suoi thesori, ci obliga infinitamente alla singolar pietà di sua Beatitudine, et „ ci dà animo di notificar à V. P. „ il stato suo, et il trauaglio nostro „ per sua cagione; supplicandola a „ uolerne dar conto alla Santità sua, „ et ad intercederci presso di lei „ qualche opportuno aiuto. Ella sapià, che per sei anni continui dopoi la sua erettione questa opera è „ stata sostentata con le elemosine, „ che già erano larghissime, et con „ la contributione del Clero fatta „ solamente per certo tempo; la qual „ contributione finita, non hauendo „ giudicato nostro Signore che fusse „ bene ritornar a grauar esso Clero, „ per esser molto pouero, le fece „ gratia di mille ducati d'oro all'anno sopra le entrate di S. Spirito di „ questa Città per dieci anni. Per „ questa concessione si sparse talmente fama da pertutto, che il Seminario fosse fornito di sofficiente entrata, che con tutto, che s'habbi „ fatto dire a' Predicatori publicamente, ch'ella non bastaua se non „ per la portione, che pagaua il Clero, che la Santità sua haueua uoluto disgrauare; nientedimeno le „ elemosine sono uenute ad una picciolissima summa; perche quelle, „ che si raccoglieuano ogni mese per „ tutte le Chiese, che altreuolte sono state appresso à ducati 50. al „ mese, sono state il mese passato „ circa à quattro ducati, et le altre „ si uanno ogni giorno maggiormente estinguendo, restando à noi più „ di mille ducati de debiti la più „ parte sopra li Cambij, et altri interessi, con pochissima speranza di „ poterli estinguere. Questo accidente ha sforzato Monsignore Illustrissimo Patriarca à ridur esso Seminario dal numero di più di cinquanta Chierici, prima à quaranta, „ et hora, che ha fatta una noua uisita, à trentadue, li quali non sappiamo come si possino augumentare, se non siamo souenuti in qualche altro modo per mantenerli. Perche adonque questa santa impresa, „ dalla qual depende la salute delle „ anime d'una Città cosi piena di popolo diuotissimo alla Santità sua et „ amatissimo da lei, come è questa, „ non resti infruttuosa, et l'istessa „ Città priua di quell'utile, che „ senza dubio haueria, se si ritornasse à fare il Seminario almeno di „ quel numero, ch'era altreuolte, „ et se li leuasse il pericolo di hauer „ più à cadere, saria bisogno, che „ la Santità sua di nouo si degnasse „ di rimirarlo con l'ochio benignissimo della liberalità sua, facendolo „ degno d'altrettanta gratia almeno, „ quanta fu quella dell'anno passato, con la quale saria perfettamente stabilito; se bene à settanta „ Chiese parochiali, che sono in Venetia, et alla necessaria riforma d'un „ Clero di forse seicento Sacerdoti, „ che sono in essa, et della qualità, „ che ad ognuno è noto, aggionto „ il pericolo delli Chierici, che muoiono, o non riescono cosi bene, ò „ si mettono ad altra uita, saria necessario

Pontificem Christianae Ecclesiae caput ac principem agnoverant) nisi rem, prospere inchoatam procedentemque, Gallus quidam Calvinianus, qui forte tum Cairi erat, improbe interpellasset evertissetque. Is Turcam, Aegypti praesidem, adiit monuitque, ut a tumultu atque turba caveret: illum enim caetum, Romano Pontifice auctore, instinctu Philippi, Hispaniarum regis, haberi; quo provinciam seditionibus infestaret. Hac injecta suspitione, Barbarus & concilium disjecit, & Jesuitas & aliquot praeterea Aegyptios sacerdotes in custodiam tradidit, nec, nisi magna pecunia placatus, quam ipsi Aegyptii pie ac liberaliter contulerunt, dimisit. Cophthi appellantur, fortasse ab hujus nominis urbe, quae est in Thebaide, seque veram atque incorruptam veterum Aegyptiorum sobolem esse praedicant. Aegyptii ante a Saracenis exuti omni dignitate, pulsis iis, haud minus durum Servorum dominatum subiere, ac trecentis ferme annis perpessi sunt. Saracenos enim regno fortunaque, quae amplissima erat, servilis conjuratio detraxit. Postremus enim eorum rex, finitimorum bellis concussus, potiusquam Aegyptiorum fidei crederet, pretio coemptos a Scythis servos magno numero armavit; eorumque forti opera usus, pristinam potentiam receperat. Sed servi, suo uti ingenio, ut victoriae, sua virtute, suo sanguine partae, fructum quoque suum facerent, in necem domini conspirarunt, eique vitam eripere sustinuerunt, pro cujus dignitate nuper vitam profundere veriti non erant. Sublato rege, Imperium quoque ejus ac regium nomen occuparunt: tantumque indolis in iis fuit, ut & fines regni late, ad Euphratem usque Arabiamque, ultra Rubrum mare, protulerint, ac Syriam omnem, pulsis ex ea Christianorum quoque reliquiis, subegerint, atque egregiis, de Persis, de Turcis, partis victoriis, nomen opesque Imperii in plura secula propagarint. Ipsi, Mamaluchi, eorum reges, Sultani vocitabantur. Patrum memoria

Aegyptii sub servorum dominatu.

Mamaluchi.

„ cessario molto maggior numero, „ che non sono stati fin hora in Seminario, et assai maggior prouisione. „ Di ciò preghiamo V. P. per la „ sua carità à voler far officio per „ lettere con la Santità sua, facendola certa, come li attestiamo con „ ogni uerità, ch'ella può farla, „ che il frutto, che fanno li Chierici nella diuotione, et nelle lettere, è di tal sorte, che, si come „ non è indegno di questa gratia della Santità sua, così promette una „ certissima riuscita di molti buoni „ operarij, che coltiuaranno la uigna del Signore, et daranno compimento alli santissimi desiderij, „ che ha la Santità sua della gloria „ diuina, et delli salute delle anime „ di tutta questa Città. Et à V. P. „ M. R. con ogni affetto baciamo „ la mano. „

ria a Selimo, rege Turcarum, bello victi ac internecione deleti sunt. Ita Aegyptii, qui sibi avare atque superbe a Mamaluchis imperitatum querebantur, tam immani nunc Turcarum dominatu premuntur, (apud quos nihil jus & leges, omnia calumnia & dominantium libido obtinent) ut plerique ultro agrorum cultu absistant, ne tantum crudelibus dominis serant [1]; caelibem aetatem agant, ne filios in tam tetram servitutem procreent; omnes, si quid pecuniae, labore ac mercatura quaesitum sepositumque habent, abdant, & egestatem & inopiam simulent, ne praedae inde ac rapinae regentibus sint; denique tanta ac tam saeva tyrannis horum est, ut optabilem prioris servitii memoriam Aegyptiis fecerit.

Saevum Turcarum Imperium.

Sed, ut ad te, frater, (quem, dum ad multa, quae non indigna memoratu visa sunt, diverto, diu Pelusii reliqui) revertar, conscenso navigio, adverso Nilo subiens, aliquot dierum itinere ad initium Deltae venisti: ubi Balacus est, oblonga urbs & nullis maenibus clausa, sed hortis aedificiisque pernobilis. Deltam ab similitudine Graecae litterae appellant; qua se Nilus in duas partes findit, &, magna utraque aquarum mole, Pelusium altera, altera Rosetum fertur in mareque effunditur, triquetramque [2] insulam efficit, ad trecenta passuum millia gemino brachio complexus. Atque pars haec est faecundissima Aegypti. Haud multum supra Balacum, Cairum in dextera Nili ripa appulisti: quanquam Cairus Nilum non attingit, a quo duo ferme passuum millia abest. Haec, post imminutam Alexandriae dignitatem, diu Regia Sultanis Aegypti fuit, immensumque ex eo crevit, ut aedificiorum magnificentia, publicorum privatorumque, & amenitate & laxitate hortorum, atque omnis opulentiae luxu, nulla totius orientis urbium praeferri illi videretur posse. Nam Mamaluchi, qui diu Aegypto potiti sunt, peramplumque Imperium virtute ac militiae artibus pepererant, splendore vitae atque omnis elegantiae ostentatione, magnopere efferebantur, sic, ut pre-

Delta Nili.

Cairus urbs.

Dd 2 tio

1 Virgil. Ecl I. v. 71.
„ Impius haec tam culta novalia miles habebit?
„ Barbarus has segetes? . . En, queis consevimus agros! „

2 In autographo est *triquentramque*. Emendavi, ut certe scribi Gratianus voluit *Triquetram* triangularem significat, cujus formae Delta Δ est. Caesar lib. v. Belli Gall. cap. 13. *Insula natura triquetra*. Siciliam item ab eadem trianguli similitudine *triquetram* appellavit Horatius lib II. Sat 6.

Militibus promissa triquetra
Praedia Caesar, an est Itala tellure daturus?

De triangulari superioria Aegypti figura meminit Plinius lib. III. cap. 16.

tio supellectilis, numero ac delectu servorum, & totius domestici cultus apparatu; officiis etiam & humanitate caeteras orientis nationes facile anteirent: sicuti equorum nobilium studio & equitandi disciplina. Non enim solum in bello atque in acie, armis insignes conspici appetebant, sed, cum animi causa urbem obequitarent, aut, ad spectantium matronarum captandam gratiam, equestres ederent ludos, divite in veste, multo auro argentove intexta, equis non solum magna cura perpolitis ac tersis, sed aureis ac gemmatis phaleris ephippiisque nitentibus; cumque equos ipsos arte agitarent, & modo brevi spatio immissos inhiberent, converterent, atque iterum incitarent, modo angusto gyro flecterent, modo saltu impellerent, prorsus admirabiles apparebant [1]. Et manent in hunc usque diem in Aegypto propagati greges ac soboles equorum, quos Mamaluchi, magna impensa, ex Italia, Hispania, Thracia adducendos curabant: ut Cairus, non ipsa frequentia & magnitudine sua tam visenda, quam, equorum numero praestantiaque & ornatu & multitudine equitum, esset. Post deletum Mamaluchorum nomen (ab his enim praecipua Cairi decora erant) ipsa quoque civitas cum Imperii ruina pristina sua fortuna magna ex parte cecidit. Retinet tamen adhuc aliquam pristini honoris speciem, quod hic potissimum Aegypti praefectus sedem suam habet; & est praeterea totius regni forum rerum venalium. Addunt dignitatem vetera Mamaluchorum aedificia, praesertim circa arcem, quae belli vis [2] non abstulit, & arx ipsa eminens media in urbe, regiae magnificentiae opus, quam conservavit victor Selimus, etsi praecipuis ornamentis spoliatam reliquit: quippe & columnas majoris pretii omnes (& erant permultae) & varii operis, & ex porphyrite lapide crustas, quibus fere regiarum aedium parietes obductae erant, & ipsa adeo pavimenta aedium strata marmoribus, opere vermiculato ac tessellato, & ostia ex alabastrite, & ostiorum ipsorum postes solido ex ebore affabre elaboratos [3], multaque praeterea ex ophite lapide detraxit, jure victoriae, Byzantiumque avexit. Manent & Christianorum templa diversis urbis

Cairo dignitas imminuta.

1 At mihi admirabilis Gratianus apparet, qui tam graphice eleganterque equestrem exercitationem descripsit.

2 Si autographi scripturam sequi voluissem, non *vir*, sed *vis* edere certe debuissem. Librariorum, praesertim vetustiorum, consuetudo, sive nulla punctula litterae iotae, sive non superne ad perpendiculumque inscribentium, incredibilem in MSS. codices perversitatem importavit. Id in Ciceronis potissimum oratione pro A. Caecina contigisse, nostri ad eam commentatii non uno in loco docebunt.

3 Autographum habet *elaboratas*.

bis regionibus, ſed praecipue religionis fanum in eo loco aedificatum, ubi Virginem Dei genitricem cum Joſepho ac puero Chriſto aliquot annis latuiſſe memorant, cum in Aegyptum ex Judaea declinandi cauſa Herodis ſaevitiam, profugiſſet. Franciſcus Petrarca [1] in libello quem „ Syriae itinerarium „ inſcripſit, fontem hic ait eſſe admirandae varietatis atque naturae [ſi naturam fas eſt dicere, quod naturae legibus nullo congruit modo.] Fontem, ipſo jubente puero, naturae conditore, e terra repente extitiſſe ferunt, anxiae parentis in uſum, latebraeque ſolatium. Pellucidum quidem ac mire frigidum eſſe, & haurientibus Chriſti Dei cultoribus praedulces ſalubreſque praebere aquas, Saracenis & a fide Sacrorum noſtrorum abhorrentibus adeo amaras faedaſque guſtatu videri, ut iis monſtri ſimile ſit, libari attingique a noſtris poſſe. Extendi Cairum in longitudinem, qui minimum, plus tribus millibus paſſuum, qui plurimum, ſex tradidere; in latitudinem paulo minus duobus millibus patere. Totam longitudinem latiſſima viarum ſecat, cui Balſaro nomen; item alia latitudinem. Quidam quatuor & viginti millibus vicis diſcindi urbem ferunt: unde infinitam prope incolentium multitudinem licet conjicere. Sed ea humilibus opificibus & faece plebis conſtat, inermis imbelliſque, & tantum ſervilibus muneribus operata. Deductus & Nilus in urbem ingenti foſſa, opere manufacto, intrat, cum tumeſcit; & maxime aeſtivos menſes perdurat, auguſtum & ſeptembrem. Foſſae utranque ripam denſis atque umbriferis arboribus conſitam, ac late opacam frequentat, voluptatis cauſa, populus. Circa Regiam duo ſunt lacus, quos idem ſtagnans efficit Nilus; in quibus piſcantes, & aquatiles volucres varii generis, quarum magna vis ſemper circunvolat & innatat aquis, inſectantes ex ipſis Regiae feneſtris cum voluptate ſpectantur. Mirum, quod lacus, abeunte quotannis aqua, ſiccantur;

Fons admirandae naturae.

Cairi magnitudo.

Nilus in Cairum deductus.

Lacus apud Cairum.

1 Pettarcae haec ſunt verba: „ Clarum quiddam & relatu dignum, „ quod ab illuſtribus viris accepimus, „ locus hic exigit: fontem eſſe perlucidum illic, ubi ab Herodis rabie Chriſtum occultabant: quem puer omnipotens e terra arida in refrigerium anxiae matris eduxerat: ex illo Chriſtianos jucundiſſime bibere, Sarracenis abſynthio amariorem eſſe, ita, ut deguſtare illum vel ſummis labiis poena ſit: „ nos quoque, tam cupide haurientes inde, ceu monſtrum aliquod „ admirentur. Nec ſane magnum fuit „ illi, qui fontem fecit, eidem quoque, quos voluit edere; et, pro „ varietate bibentium fidei unum ſaporem quiſquis immittere „. Deſcripſi ex Baſileenſi apud Henrichum Petri editione, nihil, ne mendoſa quidem, quae tam multa, praeſertim in extremo, ſunt, immutans.

tur; &, ubi cymbis ludebatur, aratro agitur sulcus; ubi capiebantur pisces, feruntur olera hortensesque herbae & pepones & cucumes & cucurbitae: atque, his perceptis, redeunt aquae avesque & pisces. Circa Cairum duo visuntur aedificia, vetustate maxime admirabilia. Horrea publica, opus eximia firmitate: quippe annos MDCCL. antequam nasceretur Christus, a Josepho Judaeo, quem magna cum laude memorant divinae litterae, structum opinantur; ubi frumenta alendae Aegypto in septem futuros annos, quorum ille summam inopiam ac sterilitatem fore praesenserat, reconderentur. Et hodie idem est eorum usus; asservanturque ingentibus granariis, ad praestandam annonam, saepe supra quindecies centena millia sextariorum tritici. Aliud est, effossus puteus, & intus immane patens specus, solido in saxo manu excisus cavatusque. Hic in praelongis latisque viis occurrunt passim cameratae cellae, in quibus veterum Aegyptiorum reposita & certo ordine coacervata constipataque cadavera cernuntur, prope innumerabilia. Miraculi simile, incorruptum manere tot seculis, quod tam facile corrumpitur tabescitque; membris integris, durata, ut corium, carne; quibusdam capillos dentesque haerere, &, quod aeque mirandum, non dilapsis, non absumptis vestimentis, & e gossipio fasciis, quibus de more revinciebantur involvebanturque. Tam valida adversus aevi tabem vis medicaminis, quo, ut existimare est, delibuta conditaque sunt! Quidam Judaicum Asphaltidis [1] bitumen putant. Pyramides hoc ipso in loco visuntur, magnum barbarae vanitatis portentum, &, aeque portentosum, Sphingis simulacrum [2]; cui muliebris facies, leoninum corpus. Quo monstro, Nilo flumini, cui divinitatem tribuebant, dicato, ejus crescentis exundantisque tempora significari volebant; cum scilicet sol leonem & virginem subit. Sicuti obeliscos Soli ipsi, pyramides Vulcano consecrarant, ob quandam harum cum igne, illorum cum radiis solis similitudinem. Et fuit hic veterum Aegy-

Horrea Josepho condita.

Cadavera in specu condita.

Simulacrum Sphingis.

[1] Ita correxi, quum autographum exhiberet *Asphaltidis*.

[2] De quo Plinius lib. 36. cap. 12. „ Ante has est Sphinx, vel magis „ narranda, quasi silvestre numen „ accolentium. Amasin regem putant „ in ea conditum, & volunt invectam videri. Est autem saxo naturali elaborata & lubrica Capitis monstri ambitus per frontem „ centum duos pedes colligit, longitudo pedum CXLIII. est, altitudo a ventre ad summam apsidem „ in capite, LXII. „ Ausonii de Sphinge illud est:

„ Terruit Aoniam volucris, leo,
„ virgo, triformis
„ Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella. „

Aegyptiorum mos, sensa animi quaedam non aperte litteris, sed obscurioribus notis figurisque, quas Hieroglyphicas appellabant, prodere: quarum multa impressa saxis, & maxime obeliscis, Romae cernuntur. Atque obeliscos quidem, dum eorum res floruere, soli Aegyptii habuerunt. Quorum tantus numerus fuit, quantum ne hostilis quidem rabies absumere potuit. Nam Cambyses, Persarum rex, victor infesto exercitu ingressus Aegyptum, omnia incendiis, ruinis, caedibus faedavit; & maxime obeliscos, veluti cum saxis quoque bellum gereret, evertit. In dispari facto par barbaries, & eorum, qui tanto sumptu opereque moles illas saxorum exciderunt dedicaruntque, & eorum, qui in dedicatas erectasque tam immaniter saevierunt. Nunc apud Aegyptios perpauci sunt reliqui. Tantum in urbium ruinis ingentia fragmina reperiuntur. Quo Imperium & opes, eo & haec vanitatis monumenta translata sunt. Roma quidem duodequinquaginta abstulisse dicitur; si minores quoque adnumeres. Primus Octavianus Augustus, subacta Aegypto, & populi Romani provincia facta, duos obeliscos Romam deportavit. Post hunc C. Caesar Caligula, non tam suae gloriae consulens, quam alienae invidens, ut Augusti animum gestaque aemulari videretur, obeliscum majorem prioribus transtulit. Postremo Constantius, magni Constantini filius, ab pari aemulatione, longe maximum omnium, qui unquam fuerunt, advexit; eoque amoto, quem Augustus in circo maximo statuerat, suum eodem loco subrexit. Atque hi maxime memorandi: reliquorum ignobilius nomen. Sed Romae quoque eadem obeliscos fortuna, post accisas Romani Imperii opes, invasit, qua in Aegypto a Cambyse strati afflictique sunt. Dejecti enim, sive temporis sive Barbarorum injuria, sive Pontificum Max. consilio, (ut oblitteraretur omnis priscae superstitionis memoria, ejusque tam clara monumenta admirari homines desinerent) diu aut sepulti ruinis aut neglecti jacuerunt: donec Sixti quinti Pont. Max. pectus aeque vana cupido imitandi barbaros reges, & propagandi magnisque saxis inscribendi nomen suum, nuper incessit. Quanquam vanitatem affectatae gloriae, ut quondam reges, religionis specie texit; imposita singulorum cacumini Cruce, Christianae pietatis insigni, quasi Dei cultui ac venerationi vertens, quod ignara veri antiquitas fictorum Deorum numinibus consecrarat. Quae illi causa etiam cochlidibus [1] columnis Trajani atque Antonini auratas ex

Litterae Hieroglyphicae.

Obelisci.

Obelisci Romam translati.

Sixtus quintus obeliscos erigit.

[1] Κοχλίδες a cochlearum similitudine.

ex aere ſtatuas Divorum Petri & Pauli imponendi, eaſque, ubi corroſae fractaeve erant, reficiendi fuit. Id certe auſus, a quo ſuperiores Principes & ſumptus & rei magnitudo & moliendi difficultas deterruerat. Is igitur Caligulae primum obeliſcum, qui, etſi ſolus integer ſtabat, tamen in Vaticani angulo, a tergo templi, ignobili loco latebat, in forum ipſum areamque, quae latiſſima ante templum eſt, tranſtulit. Ingens Romanae Aulae populique ad rem ſpectandam, tot poſt ſeculis relatam, concurſus fuit: ſuſpenſis expectatione omnium animis, & ante omnes Pontificis ipſius, cui futuram omnem ex eventu famam apparebat. Feliciter ſua baſi evulſum depoſitumque laetus ſpectantium celebravit clamor. Duodetriginta ergatae, uno tempore circumactae per dorſum editi & ad id excitati aggeris, traxere. Inceſſit ſenſim impoſita machinae moles, magna vulgi admiratione, nec minori gaudio, ubi erectam, novaque in ſede repoſitam, conſpexere. Nencoreus [1], Seſoſtris filius, rex Aegypti apud hunc ipſum obeliſcum excidit, ac Soli, apud Heliopolim, dedicavit: cujus initium regni fuit ante Chriſtum natum anno MCCCCLXIII. At Sixtus, ſucceſſu elatus, conquiri atque explorari ſpatium, ubi circus maximus fuit, juſſit. Quo nunc loco ne ruderum quidem reliquiae ſunt ullae. Pingue ſolum eſt, colitu rque, & maxime in eo hortenſes herbae oleraque feruntur. Hic & fama & conjectura erat, opertum terra, Conſtantii obeliſcum latere. Nec conjectura nec ſpes fefellit. Repertus eſt alte obrutus humo. Non longe ab eo repertus item, quem eodem circo Auguſtus ſtatuerat. Vterque tres in partes fractus, uterque, opere ac labore ingenti, effoſſa circum terra erutus, uterque mediam per urbem, eadem ergatarum vi, pertractus, denique uterque, commiſſis fragminibus, baſibuſque conſtitutis, erectus: Conſtantii [2] quidem, in area, quae eſt ante portam

Caligulae obeliſcus tranſlatus.

Obeliſci in circo reperti.

1 Nuncoreus non *Nencoreus* habet Pariſina Plinii an. 1723. editio cum Jo. Harduini commentariis. „ Tertius, inquit Plinius de Obeliſcis „ lib. 36. cap 11., Romae in Vaticano Caji & Neronis Principum „ Circo, ex omnibus unus omnino „ fractus eſt, imitatione ejus, quem „ fecerat Seſoſtridis filius Nuncoreus. „ Ejusdem remanet & alius centum „ cubitorum, quem, poſt caecitatem „ viſu reddito, ex oraculo Soli ſacravit. „ Ad vocem autem *Nuncoreus* haec adnotat Harduinus: „ Pheronem appellat Herodotus lib. 2. „ Euterpe num. 111. pag. 129. Defuncto patre Seſoſtride, regnum „ adminiſtraſſe: luminibus interim „ captum eſſe: reſtituto viſu obeliſcos duos Soli ſacraſſe, longitudinis centenum cubitorum, octonum „ latitudinis. Eadem refert & Diodorus Siculus lib. 1. Bibl pag. 54. „ qui hunc Seſoſtridis filium *Seſoſtrin ſecundum* vocat. „

2 In Autographo eſt *Conſtantis*.

tam Lateranensis templi; Augusti autem, ad fanum Mariae, cui a Populo est nomen, prope fontem: ut statim urbem Flamminia porta intrantium oculis occurrat. Lateranensis tanta lapidis moles est, ut nulla unquam caesa major sit. Opus Rhamisis [s] regis, qui, Sethem patrem aemulatus, quatuor

Ee obe-

[s] De eo Plin. lib. 36 c. 8. „ Rhamises autem, is, quo regnante ſ- „ lium captum est, quadraginta cu- „ bitorum. „ In quem locum Harduinus: „ Hun (Rhamisen) Taci- „ tus Rhamisen lib 2 Annal. pag 61. „ Ῥέμφιν Diodorus Sic. lib. 1. Bibl. „ pag. 55. Josephus Rhamphem: He- „ rodotus Rampsinitum vocat lib. 2. „ Euterpe, num 51. „ Pergit porro Plinius de eo obelisco, quo de agit hic Gratianus, ita: „ Idem digres- „ sus inde, ubi fuit Mnevidis Re- „ gis, posuit alium, longitudine un- „ decenis pedibus, per latera cubi- „ tis quatuor. Opus id fecisse di- „ cuntur CXX M. hominum. Ipse „ rex, cum sobrecturus esset, verere- „ turque, ne machinae ponderi non „ sufficerent, quo majus periculum „ curae artificum denunciaret, filium „ suum adalligavit cacumini, ut sa- „ lus ejus apud molientes prodesset „ & lapidi. Hac admiratione operis „ effectum est, ut cum oppidum id „ expugnaret Cambyses rex, ven- „ tumque esset incendio ad crepidi- „ nes obelisci, extingui ignem jube- „ ret, molis reverentia, qui urbis „ nullam habuerat. „ Quod Cambysis factum, Rhamisis obelisco ob operis dignitatem parcentis, facit, ut in memoriam redeam Alexandri illius Magni, qui in Thebarum expugnatione, quum omnia flammis absumerentur, unam Pindari poetae domum incendio eximi, tanti vatis admiratione respectuque, jussit. Quam quidem rem egregio sane ac plane Catulliano carmine, superiori anno, in publico litteratorum hominum, praestantissimi vatis ingenio suavitatique secunda admurmuratione plaudentium, conventu, doctissimus collegarum meus, Carolus Santinius S. J. in hac urbe celebravit: cujus carminis particulam, in qua cum Historia colloquens ac de dignitate certans Poesis inducebatur, ne videar eam lectoribus invidisse, hic subjicio.

„ At non ille tuus tecum, nec talia sensit
„ Heros, argiva primus in historia,
„ Rex Macedûm: qui, quum longarum ambage viarum
„ Se tandem Aeacidae sisteret ad tumulum,
„ Et prius insueto tactus praecordia motu
„ Ora, deo dignis, proluerat lacrymis,
„ Non illi Aemoniam, non maenia Larissaea,
„ Aut conjuratorum agmina Myrmidonum
„ Invidit, non belli ullos nec pacis honores
„ Rex ipse & magni conditor Imperii,
„ Innumeras ducens devicto ex orbe catervas
„ Et Barchi laudes unus & Herculeas
„ Aequare, amborumque unus superare labores
„ Et patrem merito visus habere Jovem.
„ Unum illi invidit divini vatis honorem,
„ Diaque praeconis carmina Maeonidae.
„ Hac una sensit se Vatis laude minorem.
„ Nimirum hoc illi invidit, & ingemuit.
„ Quum vero insontes voluit rescindere Thebas,
„ Et laudata deûm maenia diruere,

„ Jam-

Cambyses obelisco pareit.

obeliscos fecit, circa annum MCCCXVIII. antequam Christus nasceretur. Ab hoc Cambyses cum omnia everteret, ipsasque incendisset Thebas, admiratione molis tam immanis, prohiberi ignem, qui jam ad crepidinem ejus pervenerat, extinguique jussit: &, qui urbi nobilissimae non parcebat, nobili saxo pepercit. Quae res inde ei in tantam venerationem vertit, ut & Augustus & Caligula ab eo religione abstinuerint. Constantinus magnus, Christiana jam pietate imbutus, spreta gentis superstitione, Thebis detractum Alexandriam devexit, ut inde Byzantium (quam urbem, de suo nomine appellatam, omnibus Imperii opibus ornabat) transferret. Constantius filius, ut memoravimus, Romam transportavit, post Christi ortum anno CCCLXIII. Quem ab Augusto adductum, ad Flamminiam portam locatum diximus, Semnefertes rex fecit, cujus regnum ante Christum anno circiter DXXII. memoratur. Atque hunc ultimum obeliscorum ab Aegyptiis decisum ferunt. Alter ab eodem Augusto translatus, & in campo Martio statutus, eodem in campo sub terram, aedibus etiam superaedificatis, jacet, & Sesostris, maximi Aegypti regum, opus esse scriptores tradunt: qui annis plus mille ante Christi exortum regnavit. Quartum idem Sixtus posuit obeliscum ante templum Divae Mariae Majoris, ubi ipse sibi sepulcrum condidit. Et is confractus, in media via ad Rochi diu jacuit, quem Smarres rex DCXC. anno ante Christum fecisse memorant.

Thebaides Aegypti regio.

His tu, frater, caeterisque antiquae Aegypti miraculorum & potentiae vestigiis inspectis, a Cairo iter retro avertisti, relicta a tergo Thebaide, maxima provinciarum Aegypti, quae nunc Sahid dicitur, & introrsus ad Svenem usque finesque Aethiopum pertinet, plena populis urbibusque, & vastis interscissa montibus, quos inter Nilus fluit. Hic illae sunt immensae lapidicinae, unde tot caesi obelisci, unde tot ac tam immanibus aedificiis materia suffecit. Huc in

„ Jamque furens circum fremeret per compita miles
„ Non usquam precibus parcere, non lacrymis
„ Jussus; jamque alto ruerent a culmine Thebae
„ Et circum immensis ampla voluminibus
„ Sese ageret, lateque ingenti flamma ruina
„ Delubra atque arces sterneret aerias:
„ Haesit Pindarica victor violentus in aede,
„ Tantisque in rerum cladibus atque hominum
„ Illam unam (tanta est divino gratia vati!)
„ Illaesam extemplo jussit & incolumem. &c. „

in maxime abditas, etsi coelo umbrisque salubres, solitudines secedebant prisci illi Christiani, qui ex re Eremitae ac Monachi appellati sunt: quorum & nomen & disciplina inde ad nos, ut supra attigimus, propagata est. Manent monasteria, & Sacerdotum numero & cultu Sacrorum & aedificiorum laxitate, visenda; in quibus excellunt, quae ab Divis Antonio, Macario, Paulo nomen disciplinamque acceperunt. Primum in Tracloditide, est in monte situm, ubi ab infesto daemone vapulasse Antonium memorant. Monasteria. Alterum, non longe hinc, in maxime abditam solitudinem recessit. Tertium in desertis Balachi consedit; appellaturque Nitria. Secundo flumine devectus Roxetum descendisti; visis ex itinere in utraque Nili ripa supra trecentis urbibus, in quibus quasdam amplitudine & frequentia vix Cairo ipsi cedentes. Quippe Micale, quae ab orientali ripa in medium Deltam recessit, adeo frequentem habitatoribus ferunt, ut auctores habeam, alendae multitudini trecentos quotidie boves mactari solere. Micale urbs. Celebratur & Nicaria, item in Deltae mediterraneis. Roxetus in sinistra Nili ripa, ad quinque millia passuum distans ab ostio, portum peregregium habet, quo omnes, ex Alexandria Cairum petentes, naves applicant; eodem commeantes a Cairo Alexandriam mercatores deferuntur. Roxetus. Inter has enim urbes, alteram praesentibus opibus, alteram priscae dignitatis gloria insignes, magna rerum omnium commercia exercentur; praebente altera, quae undique mari advehuntur, altera non solum, quae ipsa Aegyptus, sed quae in Aegyptum Aethiopia, Nubia, interioresque Africae populi, Nili accolae, ferunt; quaeque ex India, Arabico sinu, advehuntur. Nam nostrum, quod in Aegypti oram aestuat, mare, ne orientali oceano per Arabicum sinum jungatur, non plus obstat terrae, quam quantum quatridui itinere pedibus percurri ab expedito possit. Quod spatium non defuere reges Caesaresque, qui intercindere cogitarunt. Deterruit incaepto metus, ne, irrumpente immensa cum aquarum mole oceano, universa Aegyptus Graeciaque ipsa summergeretur, comperto mari Rubro tribus cubitis excelsiore, quam terra Aegypti. Alexandria nomen ab auctore suo inditum retinet. Alexandria. Alexander, Macedonum rex, profligatis in Ciliciae angustiis ingenti praelio, Persis, & cum Syria Aegypto quoque potitus, urbem hanc condidit, ac de suo nomine appellavit, annis ante editum Christum CCCXXVIII. Locum ei condendae Pharum insulam prius delegerat. Sed ea animo suo angustiore

reperta, in proximo littore quindecim millia passuum muris est complexus, ingenio Dinocharis architecti in ea metienda usus, qui ex eo spatio tria millia passuum regiae domui aedificandae exemit. Atque e vicinis urbibus parte populi in novum commigrare oppidum jussa, brevi frequens ac percelebre effecit [1]. In ipsa Pharo, quam postea continenti Cleopatra regina valido aggere annexuit, a Ptolemaeo rege, qui Philadelphus est dictus, aedificata turris [2], sumptu veterum Aegypti regum insaniam aequante, non alium in usum, quam regendo, nocturnis ignibus, navigantium cursui, portuique ostendendo. Opus adeo magnificum, ut in illud octingenta talenta impensa dicantur. Quae pecunia ad nostram rationem relata, summam quadringentorum octuaginta millium aureorum nummum implet. Et, quod haud minus mirati sunt Romani, tanta magnitudo animi Philadelphi fuit, ut artificis ipsius nomen inscribi turri, quod Romanus mos respuebat, permiserit. Nunc, additis ex praesenti bellandi usu munitionibus, pro arce est Turcis, portumque obtinet, quem & ab adversa parte impositum scopulo aliud castellum tuetur.

Turris in Pharo.

Is idem rex bibliothecam Alexandriae instituit, praeposito Demetrio Phalereo, nobili philosopho, cujus studio, quantum diligenti perquisitione inveniri librorum omnis generis usquam potuit, collectum est. Cui cum Hebraeorum res librique, abditis mysteriis inclyti, deesse viderentur, Philadelphus, etsi eos libros negligi spernique caeteris gentibus, tanquam fabulosa ac parum similia vero tradentes, intelligeret, tamen miranda magis ea, quam contemnenda existimans, magnam captivorum multitudinem Judaici nominis, quae servitutem apud Aegyptios serviebat, libertate donavit, ac pro tam insigni munere ab Eleazaro, Maximo Hebraeorum Pontifice petiit, ut viros e suis aliquot, linguarum & doctrinae laude praestantes, qui leges Sacraque & res ab Hebraeis gestas cum fide in Graecum converterent, ad se mitteret. Eleazarus delectos senos ex singulis tribubus, quos sapientiae atque eruditionis fama caeteris excellere intellexit, in Aegyptum misit: a quibus

Philadelphus bibliothecam instituit.

Septuaginta interpretes.

mos

1 In autographo legitur *affecit*.

2 De ea Plinius lib. 36. cap. 12. „ Magnificatur & alia turris a rege „ facta in insula Pharo, portum ob„ tinente Alexandriae, quam constitis„ se octingentis talentis tradunt; ma„ gno animo, ne quid omittamus, „ Ptolemaei regis, quod in ea per„ miserit Sostrati Gnidii architecti „ structurae ipsius nomen inscribi. V„ sus ejus, nocturno navium cursu „ ignes ostendere, ad praenuncianda „ vada, portusque introitum: quales „ jam compluribus locis flagrant, ut „ Ostiae ac Ravennae. „

mos gestus regi, &, duobus ac septuaginta diebus, Hebraeorum libri ex patria lingua in Graecum sermonem omnes translati. Atque horum interpretum auctoritatem, qui duo & septuaginta fuere, secuta fere omnis inde posteritas est. Quanquam divus Hieronymus, cujus ingenio doctrinaeque ab omnibus plurimum tribuitur, eos respuere videatur [1]. Sed contra, gravissimi & totius antiquitatis studiosissimi auctores, etiam divinitus factum prodidere, ut singuli interpretes singulis discreti inclusique cubiculis, nulla re discrepantes, iisdem ac plane totidem verbis, omnes omnia verterint. At bibliothecam, regio sumptu ac summo labore studioque comparatam a Philadelpho, atque ab insequentibus quoque regibus auctam exornatamque, incendium absumpsit, paulo ante, quam Christus Deus nasceretur. Quo quidem incendio quadringenta librorum millia arsisse Seneca ait [2], Gellius septingenta. Vigentibus Ptolemaeis, ita res Ale-

Bibliothecam incendium absumit.

[1] Si quis Hieronymi Praefationes in Pentateuchum ad Desiderium, atque in Paralipomena, ad Chromatium, Domnionem & Rogatianum, intento, immo vero etiam remisso, animo legerit, adduci non poterit, ut Gratiano assentiatur, cui S Hieronymus visus est septuaginta duorum interpretum auctoritatem respuere. Legenti enim eas manifesto apparet, non interpretum auctoritatem ab eo, sed quasdam de eorum interpretandi ratione, quae circumferebantur, fabellas, & multiplices sibique invicem repugnantes, quae iis tribuebantur, editiones, denique librariorum peccata repudiare. In praefatione quidem ad Desiderium: „ Nescio, inquit, quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriae „ mendacio suo extruxerit, quibus „ divisi eadem scriptitarent cum Ari„ staeus ejusdem Ptolemaei ὑπερα„ σπιςής, & multo post tempore „ Josephus nihil tale retulerint. „ In praefatione autem ad Chromatium: „ Si septuaginta, inquit, interpretum „ pura, &, ut ab eis in Graecum „ versa est, editio permaneret, su„ perflue me, Chromati, episcoporum „ sanctissime atque doctissime, im„ pelleres, ut Hebraea tibi volumi„ na Latino sermone transferrem . . . „ Nunc vero, cum pro varietate re„ gionum diversa ferantur exemplaria, „ & germana illa antiquaque trans„ latio corrupta sit atque violata, „ nostri arbitrii putas, aut e pluribus „ judicare, quid verum sit, aut no„ vum opus in veteri opere cudere, „ illudentibusque Judaeis, cornicum, „ ut dicitur, oculos configere. „ Denique in praefatione ad Domnionem & Rogatianum: „ Libere enim, „ inquit, vobis loquor. Ita in Graecis „ & Latinis codicibus hic Nominum „ liber vitiosus est, ut non tam He„ braea, quam barbara quaedam & „ Sarmatica nomina conjecta arbitran„ dum sit. Nec hoc septuaginta inter„ pretibus, qui Spiritu sancto pleni, „ ea, quae vera fuerunt, transtule„ rant, sed Scriptorum culpae ad„ scribendum, dum de emendatis ine„ mendata scriptitant. „

[2] Libro de tranquillitate animi cap. 9. Sed juvat locum egregium transcribere. „ Quo mihi, inquit, innume„ rabiles libros & bibliothecas, qua„ rum dominus vix tota vita sua in„ dices perlegat? Onerat discentem „ turba, non instruit: multoque sa„ tius est paucis te auctoribus trade„ re, quam errare per multos. Qua„ dringenta millia librorum Alexan„ driae arserunt, pulcherrimum re„ giae opulentiae monimentum. Alius „ lau-

Alexandrina floruit, ut ei nullam urbium toto terrarum orbe facile anteferres. Retro labi fortuna ejus comminuique ab exortu Saracenorum caepit, & non parva illi detrimenta attulere averſae in Luſitaniam opes, quas dives rerum India atque oriens mittit. Magnae tamen urbis ſpeciem, validis ac turritis maenibus, nunc quoque appellentibus praebet: portuſque ejus non ſolum ab Aſiae atque Africae, ſed etiam Europae atque occidentis nationibus, mercaturae gratia, celebratur, Gallorum maxime, Britannorum, Venetorum, ac Raguſeorum navibus aditur, tametſi fallacibus vadis difficilibuſque intretur. Nec divitiis ſolum ac dignitate praeſtitit, ſed etiam Chriſtianae pietatis laude: cujus cum Marcum Evangeliſtam doctorem, ut ſupra meminimus, ac magiſtrum habuit, tum multos praeterea ſacratos viros, Chriſtianae diſciplinae atque omnis virtutis antiſtites dedit, Amanum, Clementem, Origenem, Athanaſium, Didymum, Theophilum, atque alios, quos divus Hieronymus commemorat. Ab Alexandria regreſſus in Syriam praecipua ejus regio-

,, laudaverit: ſicut Livios, qui elegantiae regum curaeque egregium id opus ait fuiſſe. Non fuit elegantia illud aut cura, ſed ſtudioſa luxuria: imo ne ſtudioſa quidem, quoniam non in ſtudium, ſed in ſpectaculum comparaverant: ſicut pleriſque, ignaris etiam ſervilium literarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed coenationum ornamenta ſunt. Paretur itaque librorum quantum ſatis ſit, nihil in apparatum. Honeſtius, inquis, in hos impenſas, quam in Corinthia, pictaſque tabulas effuderim. Vitioſum eſt ubique, quod nimium eſt. Quid habes, cur minus ignoſcas homini armaria e cedro atque ebore captanti, quam opera conquirenti aut ignotorum auctorum aut improbatorum, & inter tot millia librorum oſcitanti? cui voluminum ſuorum frontes maxime placent titulique? Apud deſidioſiſſimos ergo videbis, quidquid orationum hiſtoriarumque eſt, & tecto tenus exſtructa loculamenta. Jam enim, inter balnearia & thermas, bibliotheca quoque, ut neceſſarium domus ornamentum, expolitur. Ignoſcerem plane, ſi e ſtudiorum nimia cupidine oriretur. Nunc iſta exquiſita, & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum, in ſpeciem & cultum parietum comparantur. ,, De numero vero librorum, qui Alexandrino incendio conflagrarunt, non convenit cum Seneca A. Gellio, qui lib. VI. Noctium Attic. cap. ult. ,, Ingens poſtea, inquit, numerus librorum in Aegypto a Ptolemaeis regibus vel conquiſitus vel confectus eſt, ad millia ferme voluminum ſeptingenta. Sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non ſponte neque opera conſulta, ſed a militibus forte auxiliariis incenſa ſunt.

1 Credemuſne verum eſſe, quod de eo Seneca tradit epiſt. 88.? ,, Quatuor, inquit, millia librorum Didymus Grammaticus ſcripſit. Miſer, ſi tam multa ſupervacua legiſſet! In his libris de patria Homeri quaeritur; in his de Aeneae matre vera; in his, libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit; in his, an Sappho publica fuerit: & alia, quae erant dediſcenda, ſi ſcires. I nunc, & longam eſſe vitam nega. ,, Suidas,

gionis oppida obivisti, & mare † navibusque omissis, longe aliam, quam, qua veneras, redeundi in Italiam itineris rationem instituisti. Multas Syria nobiles provincias continet; ipsa Ciliciae atque Arabiae finibus, Euphrate amne atque mari nostro continetur. Nos, ut instituimus, paucas insigniores urbes, vias abs te, attingemus; quod in Palaestina fecimus oraque maris, peragrata tibi. Non omiserim Drusos, qui montes incolunt, Damasci fines attingentes; quorum tam indomita ingenia sunt, ut, subactis circa omnibus populis, uni Turcarum Imperium detrectent, armisque libertatem tueantur. Tantum valet virtus disciplinaque & locorum situs! Reliquiae Latinorum Gallorumque esse creduntur, qui, sub Gothifredo clarissimisque aliis ducibus, mare ad eripienda Barbaris Hierosolyma trajecerunt. Prioris originis suae nihil, praeter ferociam animorum & quandam similitudinem linguae retinent. Mores adeo degenerarunt, ut feri barbarique inter ipsos quoque barbaros censeantur. Christianorum amissa religione, nomen modo tueri videntur. Quippe & circuncidunt pueros, Turcarum instituto, & ferarum ritu cum propriis quoque liberis corpus miscent. Damascum, superato Libano, adiisti, pulcherrimam ac vetustissimam Syriae urbem, a qua Damascena regio ipsa nuncupatur. Sita est in praelata plantie, arenti, suapte natura, & arenis sterili solo, sed cultura ac studio incolarum maxime frugifero. Tanto enim artificio tantaque industria aquis, quas interfluens urbem fluvius praebet, varie deductis irrigant agros, & armentis gregibusque faecundant, ut nusquam, tota Syria, aut feracior terra sit, aut vineis fructibusque omnis generis, aut silvis atque umbris cultiores horti, & villis atque aedificiis ameniores elegantioresque conspiciantur. Damascum, avorum memoria, magnopere Florentinus quidam excoluit, atque egregii operis arce munivit. Is, deserta Christianorum Sacrorum fide, in disciplinam Mamaluchorum, qui

Fines, quibus Syria concluditur.

Drusi populi.

Damascus.

Florentinus Damascum exornat.

das, teste Lipsio, librorum modo tria millia & quingentos scripsisse eum scribit. Ob incredibilem tam multa scribendi laborem atque assiduitatem χαλκέντερος, scilicet, *ferreis visceribus* dictus est. Vixit Augusti temporibus.

† Lectionem autographi retinui, quum viderem veteres etiam Latinos a *mare* pro *mari* non abhorruisse. Omisso Plauto in Rudente actu 4. sc. 3. v. 42. *Dicant in mare communi captos*: quod is locus controversus esse possit: Ovidium auctorem habeo lib 5 Trist. eleg. 2. v 20 „ Exiguum pleno de „ mare demat aquae. „ Et lib 4. de Ponto eleg. 6 v 46 „ In caput, „ Euxino de mare vertet inter. „ Denique de arte am lib. 3. v. 94. „ Quisve cavo vastas in mare servet „ aquas. „

qui tum Syriae Aegyptique Imperio potiebantur, & maxime opibus & belli gloria florebant, ascitus, tantum apud regem, ingenio atque Aetruscae solertiae commendatione, nactus est gratiae, ut ad praefecturam Damasci pervenerit. Quanquam ferunt, regi, ex veneni haustu gravissime ac sine spe laboranti, praesenti remedio subvenisse, atque, hujus merito beneficii, ab grato & acceptae salutis memore Principe, provectum. Is in ipsa quoque urbe domos ad nostrum morem aedificare docuit, aquasque e communi flumine per occulta emissaria in privatorum aedes deducere, in quibus varie marmoreis fontibus emicant exiliuntque. Sed nihil aeque Damascum illustravit, ac Pauli Apostoli miraculum, ab nefaria mente impugnandi primordia Christianae pietatis, delapsa e coelo voce, hic revocati. Ab Damasco ultra Antilibanum Antiochiam, in ripa Orontis fluminis, adiisti; quod ipso Antilibano erumpens in mare delabitur, atque ad ostium Seleuciam alluit. Haec nunc Saldiva, illud Farfar vocitatur. Antiochia Syriae olim totius caput fuit, ab eaque haec pars, ubi illa est sita, Antiochena dicebatur. Natura & opere munita, duplici muro fossaque cingebatur. Muri ipsi trecentis sexaginta eminentibus turribus horrebant, adeuntibus simul admirationem, simul quasi minas [1] incutientes. Nec maenium firmitate ac mole, quam civium atque incolarum multitudine ac virtute validior tutiorque habebatur. Turcae, non nisi omnibus circa subactis urbibus, diuturna obsidione fessam fame expugnarunt. Christiani, qui ante quingentos annos, ducibus fortissimis heroibus, sponte ab domo profecti ad pellendos Hierosolymis Barbaros, animis ac Religione ardentes vadebant, non nisi dolo ac proditione, octavo obsidionis mense, Barbaris eripuerunt. Ereptam, regendam habendamque Bohemundo Appulo, Italici sanguinis Principi, cujus sacro illo bello inter omnes enituit virtus ducis, dedere. A quo posteris est tradita: donec, octuaginta post annis, cum ipsis Hierosolymis amissa ac pene omnis excisa est; ut nunc ruinae tantum ejus & vestigia maenium spectentur. Floruit diu Christianae pietatis gloria: unde Antistes Sacrorum in ea Patriarchae appellationem, dignitatis gratia, est adeptus, latissimeque per orientem auctoritas ejus patuit. Viginti provinciae ei dicto audientes erant; ab eoque divinarum rerum jura pete-

Antiochia (margin)

Patriarchae Antiocheni dignitas. (margin)

1 Virgil lib. 4. Aen. v. 87.
„ Pendent opera interrupta, mi-
„ naeque
„ Murorum ingentes, aequataque
„ machina caelo. „

tebant. Quibus quatuordecim Metropolitani [1] (sic enim appellant) praeerant, atque his sui cuique Episcopi obtemperabant. Reliquas sex duo, qui insigniori nomine Catholici vocabantur, regebant: manetque in hanc diem & appellatio Patriarchae & potestas; licet interrupta locis nationibusque, &, ut inter Barbaros, imminuta corruptaque. Nec diruta desertaque Antiochia nominis hujus dignitatem amisit, Sedes translata Damascum. Multis quidem excelluit opulentiae atque amplitudinis ornamentis, sed ornamentorum omnium gloriam superat natum in ea Christianum nomen. Nam sectatores Christi, qui antea aut discipuli aut Nazaraei dicebantur, moderante hic & regente res sacras Petro, Apostolorum principe, Christiani primum nuncupari sunt caepti. Monstratur & domus, quam habitasse Apostolus, & locus, ubi permultos baptismi Sacro procurasse dicitur. Post deletam Antiochiam, ad Syriae principatum excessit in Comagene Aleppus, in ipso pene regionis umbilico sita, media inter Euphratem amnem & mare; quae & ipsa aliquando Antiochia dicta est. Magnus hic agitur orientis totius mercatus, quo tantae undique merces opesque comportantur, quae toto inde Turcarum Imperio diffusae ad nos quoque devehuntur, ut urbs, & frequentia civium, & advenarum ac negociatorum concursu, cum Cairo ac pene cum ipso Byzantio conferatur. Multitudinis incolentium argumentum sit, quod, superioribus annis, grassata ingens pestilentiae lues, cum supra centum & quadraginta millia capitum abstulisset, nihil tamen de consueta celebritate detractum videretur. Quatuor intra maenia continet colles, quos late aedificiis complet: atque eminentioris cacumini imposita magnifici operis arx. Proxima substructionum laus penes Deorum delubra, in quibus Barbari nequissimo mortalium Mahometi sacrificant. Secundum haec, ingentes visuntur fornices, recipiendis mercibus sarcinisque, quae innumerae camelorum dorso quotidie congeruntur asportanturque; & latas areas complexae porticus, quo ad negocia mercatores conveniunt; quas passim erumpentes marmoribus fontes, e fluvio propter urbem labente deducti, exornant. Sed tu, frater, e Syria, per Phoeniciam, minorem Asiam, quam nunc Natoliam, Turcico vocabulo, id est, orientalem, dicunt, es ingressus: cujus longitudinem, ab Euphrate ad Bosphorum Thracium, vix triginta dierum itinere expeditus in equo percurrat,

Antiochiae ortum Christianum nomen.

Aleppus.

Asia minor.

Ff vix

1 In autographo *Metrapolitani*.

vix decem, latitudinem; ut Titus Livius memoriae prodidit. Circunfluit totam pene mare, a meridie noſtrum, a ſeptentrionibus Euxinum; in occaſu Propontis, Helleſpontus & Aegaeum alluunt; ab ortu claudit Euphrates & Armenia utraque. Ad Euxinum vergunt Cappadocia, Paphlagonia, Pontus, Bithynia; in Aegaeum minor Phrygia majorque, & Troas, & Attali regnum, utraque Myſia & Jonia Cariaque ac Doris; & in alterum mare ad auſtrum Lycia, Pamphylia, Cilicia, quae nunc Caramania eſt, & introrſus Piſidia, Lydia, Lycaonia, Gallograecia aliaeque permultae gentes. Taurus mons a Caria oriens univerſam proſcindit Aſiam, qua Scythiam, qua Indiam petens, varie, nunc Caucaſus, nunc Imaus, nunc aliis nominibus, nuncupatus. Longior, quam pro inſtituto, ſim, ſi nobiles & celebratas ſcriptoribus urbes fluminaque & illuſtria ingenia, quae cum philoſophiae ſtudiis, tum pietatis ac coeleſtis doctrinae laude; item ſi reges ducesque, qui belli gloria claruere, quos haec edidit terra, memorare velim. Et mutata, longinquitate temporis & Barbarorum colluvie, provinciis, gentibus, urbibus ac rebus omnibus nomina ſummam difficultatem obſcuritatemque ſcribentibus afferunt. Anguſtias Amani montis & Ciliciae portas tranſgreſſus, locaque, ubi Iſſus fuit, quae nobilem illam Alexandri victoriam [1], & turpem Darii
Tarſus. Perſarumque fugam ſpectarunt, Tarſum veniſti, Ciliciae caput: urbem nulla re celebrius adeptam nomen, quam quod Pan-

[1] Non modo Alexandri, ſed etiam M. Tullii Ciceronis victoria rebuſque praeclare geſtis nobilitata haec regio eſt. Audiatur ipſe imperator ad M. Coelium Rufum lib. II epiſt. 10. Famil. ita ſcribens: „ Parthico bello nuntiato, locorum quibusdam anguſtiis, „ natura montium fretus, ad Amanum exercitum adduxi, ſatis probe „ ornatum auxiliis, & quadam auctoritate apud eos, qui me non norant, nominis noſtri .... Cum „ veniſſem ad Amanum, qui mons, „ mihi cum Bibulo communis, eſt diviſus aquarum divortiis, Caſſius noſter, quod mihi magnae voluptati „ fuit, feliciter ab Antiochea hoſtem „ rejecerat. Bibulus provinciam acceperat. Interea cum meis copiis „ omnibus vexavi Amanienſes, hoſtes ſempiternos. Multi occiſi, capti; reliqui diſſipati; caſtella munita, improviſo adventu, capta & „ incenſa. Ita victoria juſta *imperator* appellatus apud Iſſum (quo in „ loco ſaepe, ut ex te audivi, Clitarchus tibi narravit, Dareum ab „ Alexandro eſſe ſuperatum) adduxi „ exercitum ad infeſtiſſimam Ciliciae „ partem. Ibi quintum viceſimum „ jam diem aggeribus, vineis, turribus oppugnabam oppidum munitiſſimum Pindeniſſum, tantis operibus, tantoque negotio, ut mihi „ ad ſummam gloriam nihil deſit, „ niſi nomen oppidi. quod ſi, ut ſpero, cepero, tum vero litteras publice mittam. „ Cepiſſe autem deinde ſe ad Atticum ſcripſit lib. V ep. 20. hiſce verbis. „ Saturnalibus mane ſe mihi Pindeniſſae dediderunt, „ ſeptimo & quadrageſimo die, poſtquam oppugnare eos coepimus. „

Paulum Apostolum genuerit, vita, & praeconiis Christi clarum, clariorem miraculo oppetitae pro ea religione atque fide mortis, ad quam insectandam evertendamque, si posset, tanto animi impetu vadebat. Conditorem urbis hujus Sardanapalum ferunt, regem Assyriorum, hominem faeminis corruptiorem, in quarum [1] gregibus vitam egit, ingenii adeo perditi, ut dictum ejus credatur illud: „ Ede, bibe, „ lude: post mortem nulla voluptas. „ Quae verba Cicero bove, quam rege, digniora esse ait [2]. Hujus inertia ab Assyriis Imperium ad Medos translatum. Tarsum Cydnus amnis interfluit, ejusdem Alexandri periculo nobilitatus [3], qui, cum imminens praelio, in Darium, maximo animo atque alacri spe, ferretur, pulvere atque aestu calens, aspectu fluminis vitreis aquis leniter labentis illectus, deposita statim veste, in conspectu transeuntis exercitus, in medios se gurgites nudus injecit. Sed tantus repente rigor omnes occupavit artus, ut, intercluso spiritu, aegre in ripam, adjutantibus etiam suis, evaserit. Inopinata vi mali, tam importuno tempore, correptus, tamen, non tam de vita quam de pugna anxius, maluit Philippi medici, celerem morbi depulsionem pollicentis, ancipiti atque adeo etiam suspecta potione curari, quam tardis, licet tutis, remediis salutem adipisci. Tanto potior huic regi gloriae cura semper, quam vitae, fuit! Sed mirum, quod scriptores [4] prodidere, Cydni aquas mederi podagrae, cum summe algidas, aestivis quoque solibus, Alexandri discrimine probatum sit. Ex Ciliciae in

Cydnus amnis, & Alexandri periculum.

1 Autographi *quorum* sustuli.

2 Non id Cicero, sed a Cicerone allatus Aristoteles ait; neque Sardanapali verba ea, quae Gratianus commemorat, sed alia ab ipso Aristotele reprehensa sunt. En Ciceronis locum Tuscul quaest lib V. cap 101. (al. 35.) „ Ex quo Sardanapali, opulentissimi Syriae regis, error agnoscitur, qui incidi jussit in busto:
„„ Haec habeo, quae edi, quaeque
„„ exsaturata libido
„„ Hausit: at illa jacent multa &
„„ praeclara relicta „„
„ Quid aliud, inquit Aristoteles, in „ bovis, non in regis sepulcro inscriberes? Haec habere se mortuum dicit, quae ne vivus quidem diutius „ habebat, quam fruebatur. „ Sed omnino consulatur. peregregia *Dissertation sur Sardanapale, Roi d'Assyrie* Parisiis an. 1737 ad calcem operis, cui titulus *Remarques sur les Tusculanes de Ciceron*, edita. Utriusque auctor Joannes Buherius, in Divionensi Senatu Praeses, per Aquensis Senatus tum praesidem Thomassinum de Massaugues, muneri mihi unum exemplar ante aliquot annos transmisit Cui Clarissimo aeque atque humanissimo Viro magnificentissima illa laus ab Cl. item V. Josepho Oliveto, in Praefatione ad suam omnium Ciceronis operum Parisinam an 1740. praeclaram editionem, tributa jure meritoque est: *parem esse Criticorum sagacissimis, plures ab eo superatos, ipsum a nemine.*

3 Rem fusius Q. Curtius narrat. lib. III. cap. 5.

4 Vitruvius lib. VIII. cap 3.

Lycaoniam atque Iconium, celeberrimam apud veteres quoque urbem, transisti (hodie Cogni dicitur) peramplam atque aedificiis frequentem: ubi, qui universae Asiae equitatui praeest, Beller Bejus Turcice appellatus, sedem habet; qui magistratus apud Barbaros primae dignitatis, secundum Bassas, habetur. Filii quoque regis, qui vicinae Amasiae, cum adoleverunt, praefici, & procul Regia haberi, ex disciplina Turcarum, a parentibus consueverunt, Iconii plerunque diversantur. Amasiae enim nomine hodie multae provinciae censentur. Lycaoniae ad meridiem est Pamphylia, quae ad mare excurrit, quod ab ipsa Pamphylium cognominatur: ubi Attalia est caput gentis, in sinu, cui nunc Sataliae nomen, celebris tum numero, tum genere tapetum, qui [1] hic varie picti, non lana solum & serico, sed auro quoque intexuntur (nec alia apud Barbaros pretiosior supellex.) His mensas, lectos, & maxime pavimenta & equos sternunt. Proxima Pamphyliae Lycia, quae Brichia dicitur: & haec nomen sinui maris dedit. Caput ejus Patara, sicuti, junctae huic, Cariae, Halicarnassus. Ab Iconio Antiochiam Pisidiae, & ipsam celebrem urbem (cujus auctor rerum, ab Apostolis gestarum, meminit) atque inde Ancyram Galatiae venisti: (Angoria nunc dicitur.) Ancyrae genus telae texitur, caprinis e villis (Zambellottos vocamus) quorum vis ingens Venetias, atque inde in omnem ferme Europam, differtur: Venetiis varie inficiuntur. Caprae in radicibus Olympi montis adjacentibus campis pascuntur, & alio translatae degenerant. Pili his praelongi ad terram fluunt, lenitudine mira ac tenuitate: nec eos forcipibus tondent pastores, sed manu vellunt, carminatosque pectinibus domant: inde colo nent, ordiunturque ac texunt. Galatiam hinc Cappadociae, hinc Paphlagoniae fines a Ponto Euxino attingunt. Olim utriusque pars fuit. Prisci ademere Galli, in Asiam e Graecia, novas quaerentes sedes, delati, infessasque late terras de gentis suae nomine dixere [2]. In Cappadocia Trapezuntis mentionem non omiserim: ubi Isahacius Comnenus ab Constantinopolitano Imperatore desciscens, alterum Imperium condidit, aemuloque, & opibus & nominis honore, aequavit, posterisque tradidit. Vtrunque Mahometes se-

Attalia, ubi tapetes texuntur.

Ancyrae.

Zambellotti ex caprinis villis

Galatia.

1 Contra autographum, in quo *quae . . . . picta*. Certe Virg. lib. 9. Aen. v. 358 „ Craterasque simul, pulchrosque tapetas. „

2 Alii Galatiae nomen non a *Gallis* sed a *Galatis* ducunt: *Galatas* autem a Graecis suisse appellatam Gallorum gentem ob lacteum corporum candorem. γάλα enim Graecis lac est.

ſecundus, Turcarum rex, qui rem Chriſtianam longe maximis cladibus affecit, debellatum delevit. In Paphlagonia, ut id quoque memoretur, durat adhuc & nomen & dignitas antiquae Sinopis, urbis, in ora Ponti ſitae, clariſſimi & longe maximi regis Mithridatis ortu inclytae. Fuerit operae pretium pauca de hoc rege attingere, in quo tanta vis animi fuit, ut populum Romanum ultro aggredi ſit auſus, & quidem non, ut Pyrrhus, vix extra Latii terminos reptantem, vel, ut Annibal, Italiae modo viribus nixum, ſed domitorem Africae, Hiſpaniae, Galliae, Graeciae, Macedoniae, atque Magni Aſiae ac Syriae regis Antiochi, & haud dubie dominatum orbis terrarum affectantem. Praebuere occaſionem mutati Romani mores, & verſa civilibus diſcordiis Reſpublica. Ergo unius atrocitate edicti, quantum tota Aſia Romani nominis eſt inventum, una die hauſit ferro 1. Sic exorſus bellum, per quadraginta inde annos ita exercuit, ut hoſtium cladibus pene, quam ſuis, illuſtrius fecerit, triumpharus ſaepius a Romanis ducibus, quam victus 2. Sed victus quoque victoris animum geſſit, ſaepe augeri damnis ſuis viſus, ſollicitatis excitiſque in auxilium valentiſſimis orientis & ſeptentrionis gentibus. Nec deſertus, & filii quoque ſcelere proditus, hoſti ceſſit. Sed, ubi ultra obniti infeſtae fortunae inglorium duxit, invictum ſpiritum ipſe exegit. Hujus tanta nobilitas ingenii fuit, ut duarum ac viginti nationum, quas imperio regebat, linguis loqueretur, ac apud ſingulas, cum uſus ferret, ſine interprete conciones haberet. Nec, in tanta bellicae laudis ac regiarum virtutum gloria, infra magnitudinem ſuam duxit, medicinae curam impartiri; in qua tantum profecit, ut diligentiae ejus, etiam ad nos, monumenta fructuſque permanarint. Qui, quae ſui, longe terris diſcreti, percunctanti & ſingula perquirenti ſibi attulerunt, in commentarios retulit: quos Gn. Pompe-

Mithridates rex.

Mithridates rex Medicinae laudem appetit.

1 Cicero pro lege Manilia cap. 7. (al. 3.) „ Delenda vobis eſt illa „ macula, Mithridatico bello ſuperio„ re ſuſcepta .... quod is, qui uno „ die, tota Aſia, tot in civitatibus, „ uno nuntio atque una literarum „ ſignificatione cives Romanos ne„ candos trucidandoſque denotavit, „ non modo adhuc poenam nullam „ ſuo dignam ſcelere, ſuſcepit, ſed „ ab illo tempore annum jam ter„ tium & viceſimum regnat, & ita „ regnat, ut ſe non Ponto neque „ Cappadociae latebris occultare ve„ lit, ſed emergere e patrio regno, „ atque in veſtris vectigalibus, hoc „ eſt, in Aſiae luce verſari. „

2 Idem ibid cap. 8. „ Etenim ad„ huc ita veſtri cum illo rege con„ tenderunt imperatores, ut ab illo „ inſignia victoriae, non victoriam „ reportarent. Triumphavit L. Sul„ la; triumphavit L. Murena de Mi„ thridate .... ſed ita triumpha„ runt, ut ille pulſus ſuperatuſque „ regnaret. „

pejus post victoriam in thesauris regis repertos, transferendos in Latinum curavit, non parvo humanae vitae commodo. Et retinet ejus nomen in hanc diem antidoti genus, ab ipso inventi, cujus creberrimus est in medicina usus. Ipse se adversus venena ita medicaminibus munierat, ut ea sibi ne tum quidem, cum maxime cupivit, nocere potuerint, & remedium abrumpendae vitae a ferro petere coactus sit.

Libissa, ubi Annibal venenum hausit.

Nicomedia.

Nicaea, ubi celebre Concilium habitum.

Prusia.

Chalcedon.

Ex Galatia tu in Bythiniam transisti; quae, latissimas amplexa regiones, utrunque mare attingit. Multae hic nobiles urbes visae tibi: in quibus non silenda Libissa; ubi Carthaginiensis Annibal, patria profugus, et ubique populo Romano hostes quaerens, Romanis ipsis, cum vel extorrem & exulem timentibus, ne dederetur, venenum hausit: dux haud dubie victor debellatorque Romani nominis, si, post Cannensem pugnam, victoriae institisset. Vidisti & Nicomediam, quae olim, ab immani tyrannorum saevitia, Christianorum martyrum sanguine maduit, & Nicaeam, primi Concilii, CCCXVIII. Episcoporum honore, & Arrii damnatione, celebrem. Cui quidem Concilio & ipse interfuit Constantinus Imperator, & sacrum illum Senatum reverentissime salutavit; &, cum ei multi ab ipsis Episcopis oblati libelli essent, quibus se mutuis criminibus incessebant, disceptatoremque illum controversiarum exposcebant, Constantinus, pari modestia ac religione, & perstrinxit Episcopos, & eorum dignitatem sancivit sacrosanctamque habuit. Quippe, conjectis in ignem libellis, de Episcopis, non mortalis cujusquam, sed ipsius Dei, judicium esse pronunciavit. Principatum nunc Bythiniae urbium Prusia tenet sub Olympo monte, ab Annibale aedificata (Birsiam Barbari appellant) magnis incrementis aucta, quod diu Regia Turcis fuit. Capta enim ab Orcane, qui primus saevae genti Otthomanaeque familiae fortunam sedemque certam peperit stabilivitque, centum ferme ac triginta annis caput rerum fuit; donec ei Mahometes secundus, anno MCCCCLIII. expugnatam Constantinopolim, haud inepto consilio, praetulit. Magnus hic sericae vestis, omnis generis, mercatus habetur. A Prusia, quatuor ferme dierum itinere, Chalcedonem venisti. Et hanc quartum Christianae Reip. Concilium nobilitat. Scutaris hodie dicitur: & veteres Caecorum terram appellarunt, quod incolae nihil vidisse existimarentur, qui in sterili ac insalubri solo consedissent, tam propinquo Byzantio, & agrorum & coeli faecunditate praeferendo. Finitima Bythiniae est Phrygia, Ida monte & Trojano bello

cla-

clara. Interjectam Mysiam sequitur Ionia, ubi insignis urbs Ephesus, quae nunc Fingea dicitur. Hic templum Dianae fuit, quod Amazones aedificasse CCXX. annis, totius Asiae opibus, feruntur: opus, magnificentiae admiratione, in septem orbis terrae miracula relatum. Hanc tantam, tot annis elaboratam, molem, divitiis donisque omnium regum gentiumque inclytam, inventus est, qui, semihorae spatio, incendio deleret, non aliam ob causam, nisi ut immortale sibi nomen immortali scelere pareret. Quis hic humanorum conatuum vanitatem non rideat? Qui struxere, famae aeternitatem spectarunt: eadem cupiditas destructorem excivit: utrosque spes fefellit. At non miraculum templi Ephesiis tantum claritatis,

Ephesus.

Dianae templum incensum.

1 Herostrato fuisse illi nomen feruot. De Dianae autem templi ephesii conflagratione sunt illa Ciceronis de Nat. deor. lib II. cap 69. (al. 27.) „ Concinneque, ut multa, Timaeus: „ qui cum in historia dixisset, Qua „ nocte natus Alexander esset, ea„ dem Dianae Ephesiae templum de„ flagravisse, adjunxit: minime id „ esse mirandum; quod Diana, cum „ in partu Olympiadis adesse voluis„ set, absuisset domo „ Nollem id quidem adjunxisset Timaeus, ne sententiam tam hercle frigidam, quam ardens incendium illud fuit, laudandi occasionem Ciceroni praebuisset. Sed de Timaei in hoc genere peccatis pervulgatum est Dionysii Longini *περὶ τῦ ὕψυς* testimonium. „ Dell' altro „ poi di que' vizj, de' quali abbiamo „ ragionato, *del Freddo* io dico, n'è „ pieno Timeo, uomo per altro abi„ le, nè disadatto talora alla gran„ diosità del discorso, comecchè eru„ dito ed arguto; sebbene degli al„ trui difetti appuntatore finissimo, „ ne' proprj poi disavveduto: il qua„ le per vaghezza di sempre promuo„ vere pellegrini concetti, cade be„ ne spesso nel più puerile. „ Etruscam Cl. V. amicissimique hominis, Ant. Francisci Gorii interpretationem, Florentiae an 1737. editam, & Facciolato meo nuncupatam, nihil aut gravitate aut elegantia sermonis autographis Longini verbis concedentem, attuli. Sed ut ad Dianae templum revertar, deque eo nonnulla, cognitione digna, commemorem: aedificarunt illud sive ii, qui urbem Ephesum condiderunt, ut apud Athenaeum Meneus tradit; sive Amazones, auctoribus Callimacho, Dionysio, Pomponio Mela, Solino; sive ex Amazonibus una, Otrita nomine, ut Hygino placet; sive Croesus & Ephesus, Caystri filius, ut Pausanias est auctor. Primum operis descriptorem sive architectum, Ctesiphontem fuisse, Vitruvius, Chersiphrontem sive Archiphronem Strabo, perfectores, Demetrium & Peonium sive Poenium, Vitruvius; incensores, semel Amazonas, Eusebius Pamphilus, iterum Herostratum, Strabo & Solinus; instauratores, Ephesios cives, architecto usos Cheiromncrate, Strabo, memoriae prodidere. Has tantas eruditionis divitias ex locupletissimo Joannis Poleni V. Cl. thesauro, in Italica *de Dianae Ephesiae templo Dissertatione*, Romae an 1742. edita, expositas, promsi: cui pro amicitia non displiciturum confido, suorum scriptorum copia atque elegantia scripta ditari atque exornari mea. Qua quidem de dissertatione sic sentio: non minus dignitatis Dianae templo esse eâ allatum, quam quantum eorum operâ, qui templum ipsum condiderunt; auctori vero suo longe majorem gloriam ac nominis immortalitatem esse, eâ scriptâ, comparatam, quam quantum dedecoris atque ignominiae, incenso templo, Herostratus apud omnem posteritatem suscepit.

tis, quantum Christiana res, attulit. Hic Paulus Apostolus triennium docuisse fertur, gentemque ad cultum Christianae Religionis traduxisse: & extant ejus ad Ephesios scriptae litterae, quibus & nos ad pietatem erudimur. Hic Joannem Evangelistam, dilectum Christi discipulum, diem suum obiisse, sunt, qui tradunt; cum nonagenario major esset, & saepe pro fide erga magistrum atrocia tormentorum supplicia pertulisset. Hic habitum Christiani nominis Concilium, & salutaribus legibus sancita divinarum rerum disciplina. Joniae interius jungitur Lydia, insignis fertilitate, & Croesi regis divitiis, & victoria Cyri, & Maeandro amne, ita se crebris flexibus retorquente [1], ut saepe relabi retro videatur. Philadelphia in Lydia est, Archiepiscopali honore celebris. Postremum Asiae angulum, inter Aegaeum pelagum [2] & Lycium, occupat Doris, peninsulae modo, longe in altum porrecta: ubi oppidum Cnidos; cujus pensilem ambulationem memorant scriptores, & Veneris statuam [3], opus Praxitelis, omnibus toto terrarum orbe praelatam, ad quam videndam plerique Cnidum navigabant; & Cnidii petenti eam Nicomedi regi, & totum aes alienum Civitatis, quod erat ingens, persoluturum se pollicenti, negarunt. Cnidum, Chium promontorium nunc appellant. Caeterum tu ab Chalcedone, angusto demum quingentorum passuum freto (tantulo enim spatio Europa ab Asia dirimitur) Byzantium trajecisti; visis transcursisque innumeris pene regnis populisque partim Euxino Ponto adjacentibus, partim in mare nostrum versis: quorum clara olim nomina, & armorum & artium praeclarissimarum gloria inclyta, vasta nunc barbaries obruit. Non illic vestigium ullum [4] libertatis, non ulla generis nobilitas: cum supremae dignitatis honor sit, mancipium re-

Ephesi Concilium.

Maeandrus, amnis.

Cnidos.

Asiam Barbaries tenet.

1 Ovid. in Heroid. epist. Dejan.
„ Maeander toties, qui terris er-
„ rat io jidem,
„ Qui lapsas in se saepe retor-
„ quet aquas. „
Itinerum ambages ac diverticula, quae rediens ex Macedonia Piso sequutus fuerat, *Maeandros μεταφορικῶς* appellavit Cicero in oratione contra eum cap. 53. (al 22) „ Quos tum „ Maeandros, dum omnes solitudines „ persequeris, quae diverticula fle- „ xionesque quaesisti? „ Non recte, ut arbitror, eandem vocem quidam ita interpretati sunt, ut dicerent, *Maeandros* esse, *vafra & obliqua consilia*. De quo plura in nostris Commentariis.


2 Vide pag 154. Annotatum primum.

3 Cicero in Verr lib. IIII cap. 135 (al 60.) „ Quid arbitramini „ Rheginos . . ., merere velle, ut ab „ eis marmorea Venus illa ne aufe- „ ratur? . . quid Tarentinos, ut „ ne Europam in tauro sedentem amit- „ tant . . quid Cnidios, ut Vene- „ rem marmoream? „

4 Autographi *illum* neglexi.

regis appellari & esse. Non opes, nisi raptu atque injuria quaesitae; ac ne in has quidem filii parentibus, sed rex succedit. Non ingenia, non doctrinarum studia, quorum laude olim ne ipsis quidem Athenis concedebant; non denique ullae ingenuae artes, quibus una omnium terrarum maxime Asia floruit. Adeo omnia naturae ac disciplinae decora fortuna, mortalium res aeternis vertens atque varians vicibus, & saevum hoc, quo premitur, Imperium Turcarum obtrivit abolevitque: cum tantae opulentiae, ab diuturna felicitate, coelique ac soli ubertate, hominumque ingeniis fuisse Asiam veteres scriptores prodiderint, ut rerum dominum populum Romanum post Poenos Macedonesque devictos, sollicitare cupiditate potuerit; & bello victa victores ipsa suos, divitiarum studio & luxuriae contagione, subegerit: „ Victoresque suos natio victa premit: „ ut de Judaeis scripsit Rutilius. Ita, quibus externa arma gloriae materia semper fuerunt, ii externis vitiis, victoria partis, pessum dati sunt. Scilicet per bellum quoque & sanguinem quaeritur, quo mores corrumpantur, idque nos gloriam & imperium, falsis nominibus, vocitamus.

Subacta Asia victores suos subegit.





ANTONII MARIAE
GRATIANI
A BVRGO SANCTI SEPVLCRI
DE SCRIPTIS INVITA MINERVA
AD ALOYSIUM FRATREM
LIBER VIII.





Yzantii, ut Turcarum Regiae instituta cognosceres, plures restitisti dies. Haec nunc urbs, illustriori nomine, Constantinopolis dicitur, ab Constantino Caesare, qui, victo Maxentio sublatisque tyrannis, distracto nuper Imperio solus eximia felicitate potitus, Magni cognomentum meruit, quod ei cum res bello gestae, tum suscepta Christianorum Sacra, Sacrorumque fides pie atque constanter culta, & propagata religio indiderunt. Sed, pacatis in occidente rebus, oriens hostilia minabatur; ubi Romani juris erant nationes omnes, quot Euphrates amnis a fontibus suis ad sinum maris, in quem exit, dextera ripa concludit. Alteram ripam Persae tenebant; qui, dejectis regno Parthis, veterem gentis dignitatem bello vindicarant, & cum regno animos quoque Parthorum infensos nomini Romano induerant: nec multo ante victus a Sapore [1] captusque Valerianus Caesar, priva-

Constantinus Magnus.

1 Autographo *Sapore* praeferenti infra *umbelicum* exhibenti. non sum obsequutus; quemadmodum

to quoque pudendis, ignominiis fuerat affectus. Hi haud dubie aemuli, & equitatui & spiculis suis fidentes, ne aliquando summa ope irrumperent, Principis ipsius vis auctoritasque ex propinquo objicienda ostendendaque cum videretur, Constantinus Imperii sedem propius hostem admovere statuit, quando ab urbe Roma, tanto maris terraeque interjecto, jussa Imperatoris ad duces, qui arcendo bello in finibus agebant, saepe sero ac post res afferebantur. Atque has ille novo inexpectatoque consilio causas praetexuit. Sed jam Caesaribus alieno sanguine genitis nec patria Roma nec Italia Imperii altrix reputabatur. Siquidem paulo ante Constantius, hujus Constantini pater, in divisione Imperii, Italiam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, Germaniam sortitus, neglectam Italiam ultro Galerio remisit. Ergo non Romani nominis gloria illis, sed sua cordi erat, ut mirum non sit, si Constantinum nulla urbis Romae, in qua neque natus neque educatus fuerat, charitas tetigit tenuitque, quominus novum ipse Imperii domicilium conderet, novumque humanis rebus caput, vel inter barbaras & armis domitas gentes, constitueret: ut ab se, quo libido tulisset, translatum Imperium, fama apud posteros ferret. Ita Romae atque Italiae, subegisse tot populos, finesque Imperii latissime propagasse, amittendae dignitati decoribusque, virtute & sanguine partis, fuit. Byzantium, umbilicum ipsum Romani Imperii tenere visum, praetulit. Hanc urbem Pausania Lacedaemonius aedificavit, electo loco, pariter Asiae Europaeque opportuno, in extremo Thraciae Bosphoro, atque in confinio utriusque maris, Euxini nostrique. Qua loci opportunitate, brevi praecipuam sibi, inter Graecas urbes, dignitatem opesque comparavit: cum divitiarum omnium, quae navibus e Ponto afferebantur, aut e Graecia in Pontum exportabantur, portoria Byzantii exigerent. Sed nequaquam in spem tantae fortunae conditum, quanta secuta inde oppidum est, maximi ac diuturni Imperii, non ullis suis viribus parti, sed aliunde allati. Quis enim existimare potuit, Romanam virtutem ad tantam magnitudinem excessisse, ut fructus tot victoriarum, tot triumphorum, ac denique devicti subactique, mille annorum laboribus, terrarum orbis, in Byzantii gloriam opesque recideret? Constantinus destructum eversumque oppidum non restituit solum, sed magnopere amplificatum validis maenibus circumdedit. Ac primo quidem Novam Romam, deinde, cum omnibus imperii opibus exornasset, Constantinopolim de suo nomine appellavit. Atque adeo

Quam causam transferendo Imperio Constantinus praetexuit.

Constantino neglecta Italia.

Romanis vicisse tot gentes damno fuit.

Byzantium.

Romanorum virtutis fructum Byzantii tulere.

deo in una excolenda urbe nimius fuit, ut & Romam & Italiam & prope omnes provincias spoliarit, quo huc conferret quicquid toto orbe esset ornamentorum. Mansit hac ipsa in sede Imperii nomen annos MCXX. Translatum enim est anno post Christum natum CCCXXXIII. amissum anno MCCCCLIII. Turcae ademere, qui e Scythia profecti, dispersique per Asiam, praedis ac latrociniis cuncta miscuerunt. Mox copia & amenitate locorum capti, multis expugnatis urbibus, certas sibi sedes statuerunt. Nullo tamen certo Imperio, id sibi quisque habebat, quod de alieno rapuisset: donec Otthomanus quidam, humili natus loco, sed manu simul atque ingenio promptus, audendo agendoque, magnas comparavit opes, &, proximis quibusque populis bello victis, & late terrore nominis sui diffuso, primum quidem gratia & opinione virtutis, deinde potentia quoque & imperio polluit. Obiit demum circa annum MCCCCXXVIII. Atque is auctor fundatorque regni Turcarum fuit: is nomen familiae indidit: is genus regnumque ad decimamquartam jam stirpem propagavit.

Quanta Byzantii fortuna.

Turcae unde.

Otthomanus auctor regni Turcarum.

Orcanes, ejus filius, non finitimos solum subegit, sed inde auctus animis Constantinopolitano Caesari bellum intulit, Prusiamque, validam Bythiniae urbem, de illo caepit, atque in eam regni sedem transtulit.

Orcanes Turcarum rex II.

Hujus filius Amurathes pacis faedera cum Caesare ex usu suo sancivit. Nec multo post, cum Caesar a suis oppugnaretur, auxilia ab Amurathe petiit, quae ille facilius promptiusque, quam a Barbaro & alienam rem gesturo expectandum fuit, attulit. Et Caesar cum sero sensisset dolum, composita celeriter cum suis pace, emendare erratum suum nequicquam est conatus. Nam Turca, per speciem ulciscendi rebellium perfidiam, in Thraciam per Hellespontum exercitum trajecit anno MCCCLXIII. duabus Genuensium navibus operam ei mercede praebentibus. Atque hoc initium avidissimae Imperii genti transeundi in Europam fuit: documentum, ne quis se potentioris fidei, ne opem quidem afferentis, temere credat. Salubrius cautiusque Veneti, qui adverso ad Abduam praelio circa annum MDIX. fracti profligatique, &, deserto omni continente, intra paludes suas compulsi, ultro oblata a Bajazete, Turcarum rege, auxilia remiserunt. At Amurathes, aedificatis mox navibus, novas subinde copias trajiciens, Caesare hiscere non auso, Philippopolim & Andrianopolim, nobilissimas Thraciae urbes, in potestatem redegit; atque in Tribal-

Amurathes Turcarum rex III.

ballos Mysiosque, qui nunc Servii & Bulgari sunt, impetum vertit: quorum reges (Despotas ipsi appellant) alium in acie occidit, alium captum necavit. Sed propagato per haec in Europam regno victoriaque sua frui illi diu non licuit. Servus enim interfecti contra fidem Despotae, in ultionem domini, Amurathem vel victorem & tantis copiis succinctum ferro palam aggressus, ante obtruncavit, quam sui opem ferre possent. Nec contentus tanto nequaquam servilis indolis specimine, cruciatus inde saevientium Barbarorum omnes non fortiter solum, sed etiam laetanter, tulit.

Amurathes a servo occisus.

Amurathi Bajazetes filius successit. Is, avi secutus consilium, Constantinopolitanum Caesarem bello persequebatur, qui, & animis ei & viribus impar, in Galliam, ut opem a rege impetraret, est profectus. Missus cum egregio equitatu Nivernensis regulus; cui Sigismundus, Vngariae rex, comitem se addidit. Virisque Bajazetes ad Nicopolim occurrit: ubi, temeritate Gallorum, qui, contemptu hostis, neque loco neque tempore apto praelium commiserunt, magna accepta plaga est. Victor Bajazetes Byzantii excidio imminebat, nisi eum necopinata calamitas occupasset. Tamerlanes Scytha, prope innumerabilem & multarum gentium cladibus efferatum exercitum ducens, Asiam invaserat, atque totam perculsam metu ad se averterat, ultro dedentibus se passim valentissima quaque urbium. Siquidem apud immitem hostem cunctationis nulla venia. Nam prima die tabernaculum sibi candidum tendi jubebat; quo significabatur deditos, salvis rebus, in societatem recipi: secunda die rubeus; tertia ater tabernaculo erat color. Illo caedes armatorum puberumque, hoc funesta omnis aetatis, omnis sexus clades, ac ipsius urbis ultimum excidium denunciabatur: atque haec immutabili inexorabilique decreto. Adversus hunc hostem Bajazetes, soluta Byzantii obsidione, cum ducentis armatorum millibus profectus, ad Stellamontem cum eo conflixit, adeo adversa praelii fortuna, ut pars maxima Turcarum sit caesa, & ipse in potestatem hostis pervenerit. Quem Tamerlanes aureis devinctum cathenis, ferrea cavea inclusum, per omnes Asiae atque Syriae urbes, ut spectaculo omnibus esset, circunduxit: &, quoties convivaretur, cathenis iisdem mensae alligatum, molossi modo, projectis in terram cibis vesci jubebat; &, cum iter ingressurus esset, educti e cavea procumbentisque dorso nixus equum ascendebat. Atque, in hoc ludibrio miseriaque, domi-

Bajazetes Turcarum rex IIII.

Clades temeritate Gallorum accepta.

Tamerlanes Scytha.

Bajazetis ingens calamitas.

minator modo tot gentium, vitam, singulari fortunae, humanis rebus ludentis, exemplo, reliquit. Concidisse, tanto accepto vulnere, Turcica res videbatur.

Celebino, qui solus filiorum Bajazetis e prelio Andrianopolim evaserat, ruina domus regnique attonito, nisi pia quidem, sed fere improspera, Sigismundi regis arma, qui ab Vngaria quiescentem invaserat, animos ad spem melioris fortunae erexisset. Nam Sigismundus, primo statim congressu, in fugam actus, magna suorum caede victoriam hosti tradidit. Qua ille elatus non sua solum tueri, sed Constantinopolitanum bello lacessere jam audebat, nisi immatura mors conatus ejus interrupisset. Celebinus Turcarum rex V.

Sed, qui ei successit filius, nomine Mahometes, & Valachos, validam ac bellicosam gentem, magnis cladibus attrivit, & transgressus in Asiam aviti regni opes, Tamerlani procella distractas, recuperavit, ac rem Turcicam in pristinam potentiae dignitatem restituit, circa annum MCCCCXIX. Mahometes Turcarum rex VI.

Hoc genitus Amurathes secundus intermissum bellum adversus Serviae Despotam [2] repetiit, ac, tres ejus filios cum caepisset, duos virilis stirpis, admotis candentibus laminis, luminibus privavit: filiam, quod eximia forma esset, inter pellices retulit, & Sophiam illi & Nicopolim & aliquot praeterea insignia oppida ademit. Verum ab obsidione Belgradi magna clade repulsus, pacem cum Vladislao [1], Vngariae & Poloniae rege fecit, & in Asiam reversus bellum Cilicum regi movit. Interim Vladislaus discessum hostis suam occasionem ratus, Eugenio quarto Pontifice Max. Constantinopolitano Caesare & Philippo Burgundione cohortantibus, & Venetis, reditum in Europam Amurathi interclusuros se pollicentibus, abrupit initae nuper pacis faedera: magna spe exigendi omni Europa Barbaros, si spei eventus respondisset. Nam, his acceptis, Amurathes, omisso Cilicum bello, summo conatu ac magna celeritate, nequicquam objicientibus se Venetis, in Thraciam rediit, & ad Varnam cum Vladislao ita est congressus, ut primo quidem, dextero suorum cornu profligato, ipse quoque, desperatis rebus, fugam caeperit. Sed mox, interfecto ab altero cornu Vladislao, elapsa e Christianorum manibus victoria, ad ipsum transiit. Qui eo loco, ubi peracta pugna est, anno MC-

Amurathes Turcarum rex VII.

Vladislaus renovat in Turcas bellum.

Vladislaus victus caesusque.

1 Ab Autographo non recessi.
2 Hic vero recessi; quum in eo legatur *Despotam*, contra quam scribere Gratianus soleat.
3 In autographo *Vladislao*.

MCCCCXLIIII. marmoream ingentem columnam, quae victoriae suae monumentum esset, erexit. Sed adeo multo sanguine ea illi stetit victoria, adeo ancipiti marte pugnatum est, ut excepta vox ejus sit & a scriptoribus memoriae prodita, cum gratulantibus suis respondit: Eo modo saepe vincere se vero nolle. Secundum hanc pugnam, castigata magnopereque retusa Vngarorum audacia, pacem Venetis dedit, ne sibi, oppugnanti Graeciam, navalibus copiis impedimento essent: ac protinus transgressus in Peloponnesum Constantinopolitani Imperatoris fratrem, ausum in aciem descendere, fudit; ac universam inde Graeciam ferro atque igne vastavit; &, ut opinio fuit Italicum meditans bellum, Aulonem, loco & portu opportunam, contra Hydruntum sitam, caepit munivitque. Quanquam non multo post, quodam rerum humanarum fastidio affectus, consilium caepit, cujus nec exemplum in Otthomanorum familia extabat, nec posteri secuti sunt, regnum filio tradendi. Quo facto in Asiam se, modico etiam inter privatos cultu, recepit. Verum privatam & expertem curarum amplectentem vitam interpellavit Georgii Castrioti, qui Scanderbechus est dictus, defectio. Is, in Epiro, regio ortus sanguine, obses impetratae pacis a parente Turcis datus, ob eximiam formam indolemque, ascitus ab Amurathe inter pueros intimos cubiculi ministros, ad Sacra disciplinamque Mahometanorum est traductus, & unice charus regi ob egregiam oris speciem & procerum ac insigniter validum corpus, & corpori parem vim animi, vixdum pubescens ad Sangiacatus honorem (est hic militaris procurationis titulus, qui non, nisi spectatae & exercitae bello virtuti, mandari solet) est evectus. Sed, mortuo demum patre, cum oppida paterni regni Turcae occupassent, male ementitam Mahometanorum sectam abjiciens, clam Constantinopoli in Epirum profugit, &, cum virtutis ac fortitudinis fama, tum charitate erga regum suorum sanguinem, tanta omnium alacritate est receptus, ut non sua modo recuperaverit, sed multi praeterea populi se ei adjunxerint. Atque ipse statim vicina Turcarum praesidia aggressus, ubique victor & felix apparuit, & inde omnia fuga atque metu implevit. Amurathi haec tanto acerbiora auditu fuerunt, quanto sua insignior in Georgium gratia extiterat. Itaque, non contentus Europeo filii exercitu, ad illum opprimendum ex Asia ipse cum totius regni viribus in Epirum venit. Et Crojam urbem, in quam se Georgius incluserat, op-

Amurathes filio regnum tradit.

Scanderbechus.

oppugnare summo conatu instituit. Fatigatus diuturna obsidione, ac saepe ab erumpente Georgio magnis affectus detrimentis, ad extremum incaepto abire est coactus. Quae res seni ac victoriis assueto usque adeo gravis accidit, ut paucis diebus, ira ac dolore acceptae ignominiae, contabuerit, anno MCCCCL.

Scanderbechus Turcas egregie sustinet.

Paternae virtutis pariter ac cupiditatis haeres Mahometes in regnum successit, bellatore patre bellicosior. Is, etsi a Christiana matre, Despotae filia, educatus, primordia Christianae pietatis puer imbiberat, tamen religionum omnium contemptor unum potentiae & gloriae numen coluit. Quippe, aut vana esse, quae de animorum aeternitate praedicantur, ajebat, aut omnibus post fata melius fore: Deorum cultum invenisse homines, ut esset, quo populi regi, & spe metuque agi, ac certis vivendi legibus subjici possent; neque enim aliter coerceri ignarum vulgus posse, quam si scelerum ultio ei delegetur [1], cujus vim & timeat & ignoret. Adeo homines, ubi sui judicii divinas res faciunt, ad ultimum impietatis praecipitant. Inito statim regno, totus spe atque animo ad Constantinopolitanum bellum, saepe tentatum, semper omissum a majoribus suis, incubuit. Nec hominis consilium, magna atque excelsa spectantis, fortuna & Graecorum Caesarum accisae jam ac debilitatae res fefellerunt. Ad IIII. Cal. Jun. MCCCCLIII. acerrime sexaginta ipsos dies cum trecentis armatorum millibus obsessam oppugnatamque Constantinopolim caepit; & mortem, in supremo illo Imperii casu, ipso quoque Imperatore occumbente, victor Turca nullum crudelitatis, nullum avaritiae, nullum libidinis exemplum praetermisit. Non dignitas cujusquam, non aetas, non sexus, non humanum, non divinum jus cuncta sanguine ac rapinis miscentium aequantiumque Barbarorum impetum est remoratum. Qui ne mortuo quidem Caesari pepercerunt; cujus invento cadavere caput praeciderunt, & hastae cuspidi infixum tota urbe circumtulerunt. Vrbs ipsa triduum militari libidini licentiaeque vastanda diripiendaque est permissa. Atque hic [2] finis Graecorum Imperii fuit. Illud quoque notatum scriptoribus, & ab Constantino, Helenae filio, Byzantii constitutum Imperium, & item Constantino, Helenae filio, ereptum; casu ita ferente; ut & ipsis utrisque idem nomen, & parentibus eo-

Mahometes Turcarum rex VIII.

Impia Mahometis de divinis rebus sententia.

Capitur Constantinopolis a Turcis.

Finis Graecorum Imperii.

1 Auctoris chirographo scriptum hoc verbum est.

2 Virg. lib. II. Aen. v. 554. „ Haec „ finis Priami fatorum. „ Atque haec est lectio vetustissimi Mediceo-Laurentiani codicis.

Byzantium sedes Imperii aliena virtute parti.

eorum esset. Supremae cladis damna perpessae urbi mansit tamen fato data fortuna, ut aliena virtute parti Imperii sedes fieret. Nam Mahometes, Andrianopoli Prusiaque posthabitis, regni, latissime per Asiam Europamque prolati, domicilium huc transtulit. Sic Byzantium, victum captumque, victorum opes fortunasque caepit retinetque in hanc diem. At Mahometes, ab hac victoria cuncta jam proclivia spei suae fore existimans, ad obsidendum Belgradum, unde pater ejus irritus recesserat, cum ducentis armatorum millibus in Vngariam est profectus. Verum majori etiam, quam pater, detrimento contumeliaque est repulsus. Ingressus enim oppidum erat cum quadraginta armatorum millibus Legatus a Pont. Max. missus, ac parem numerum paulo post Joannes Huniades adduxerat. Quibus copiis non tueri solum Belgradum, sed acie quoque congredi cum superbo hoste ausi Christiani sunt: eo quidem eventu, ut, hinc omnia peritissimi ducis officia prestante atque obeunte Huniade, hinc Joanne Capistrano, ex Francisci disciplina viro eloquentiae & sanctitatis gloria praeclaro, Christi Dei simulacrum praeferente, & multa adhortatione milites ad pugnam accendente, Mahometes, viginti millibus suorum desideratis, victus sauciusque abierit. Adeoque discrimen ejus diei ignominiaque insolentis Barbari animo haesit, ut per omnem inde vitam ejus memoriam sit abominatus. Verum hoc incommodum homini, nihilo minus ad summam potentiam anhelanti, fortuna adeo prosperis inde rebus reposuit, ut & Turcae Alexandro Magno, domitori orientis, eum fando aequarent, & ipse se aemulum gloriae illius palam ferret.

Mahometes a Belgrado repulsus.

Mahometis res gestae.

Nam, praeter eversum Graecorum Imperium, civitates in Asia omnes, quae Graecis paruerant, circunlatis armis, recepit: Ciliciae regem magna parte regni spoliavit: Trapezuntium aggressus, ubi alterum Imperium Graeci condiderant, illius quoque nomen abolevit: Colajane Imperatore Dauideque fratre & filiis eorum captis, quos omnes Byzantium abductos immaniter necari jussit. Caepit & in Taurica Chersoneso Theodosiam, Genuensium coloniam, quae nunc Caffa dicitur, & Valachos & Transilvanos ditioni suae obnoxios fecit. Epirum & Bossinam parere Imperio coegit, & Stephanum regem, in potestatem redactum, publici carnificis manu, more fontium, securi percussit. Cum Vsuncassane, clarissimo Persarum rege, bis magno conatu signa contulit. Prima pugna victus decem millia suorum amisit. Repetito deinde praelio, ita prospere pugnavit, ut Vsun-

cas-

cassani ipsius filium in acie occiderit. Graeciam pene universam subegit. Junctas Graecorum ac Venetorum copias in Peloponneso fudit. Insulas Lemnum, Mitylenem, &, his multo majorem, Rubeam, quae Nigroponte dicitur, & in Euboea Chalcidem, pulsis Venetis, caepit. Stiriam & Carinthiam omnibus belli cladibus affecit. Homar Bejum, cum validis equitum alis, per Carnos penetrare in Forum Julii & populari Italiae fines, jussit; qui transgressus Visontium amnem, Venetos, duce Hieronymo Novello, objicere se ausos, magna dedita caede, in fugam vertit. Atque hujus gestae rei fama universam Italiam metu concussit. Postremo tantam fiduciam sui caepit, ut tria uno tempore diversa bella, tribus exercitibus, sumere non dubitarit. Quorum alterum, Mesitho duce, ad oppugnandum Rhodum, quam equites, qui ab ipsa insula Rhodii dicebantur, tenebant, misit: alterum Achomati tradidit, & ab Aulone trajicere in Salentinos, Italiamque invadere, & maritimam aliquam urbem, quae futuro bello sedes esset, occupare ac munire jussit. Ipse majori robore per Asiam transire in Syriam, & Aegypti regem Mamaluchosque bello aggredi statuit. Ad has expeditiones supra trecenta millia armatorum, ducentas triremes, trecenta minora navigia comparasse dicitur. Sed tantarum rerum consiliorumque apparatibus, quibus ille terrarum orbis Imperium vasto animo sibi destinabat, fortuna illusit. Nam ipsum, in Bythiniam progressum prope Nicomediam, supremus morbus invasit, rapuitque quinquagesimum tertium annum agentem, in ipso immensae spei suae cursu, cum duos & triginta regnum tenuisset. Mesithus, post acerrimas impressiones, quibus bis in ipsa Rhodi maenia evaserat, propugnantibus pari virtute Rhodiis equitibus, irrito incaepto in Asiam rediit. Achomates vero in Italia navaverat operam, &, capto Hydrunto, Ferdinandum Neapolitanum regem in magnum suarum rerum metum conjecerat. Et haud dubie aditum ad infestandam bello Italiam Turcis aperuerat, nisi, audita Mahometis morte, ac desperatis auxiliis, excedere urbe, & milites in Epirum reducere coactus fuisset.

Turcae in Venetiam excurrunt.

Tria uno tempore bella Mahometes aggreditur.

Mahometis mors.

Bajazetes secundus, studio Chersеoli, qui aliorum conatus celeritate praevertit, patri successit. Prima illi contentio de regno cum Zizimo fratre fuit; qui Ciliciae aliisque ad mare provinciis praeerat, &, audita morte patris, ad occupandam sedem Imperii, magnis cum copiis, Prusiam contenderat, unde belli terrorem fratri, novo regi, in-

Bajazetes Turcarum rex IX.

 ten-

Zizimus ad Christianos profugit.

Cuspis, qua transfixus Christus.

Zizimus veneno sublatus.

Turcae iterum Venetiani perpopulantur.

tentabat. Sed prope Nicomediam praelio congressi, peritia ac virtute Achomatis, illius, qui in Italia Hydruntum caeperat, victus Zizimus ad Aegypti regem Mamaluchosque confugit. Horum ope, renovato bello, iterum ab eodem Achomate in fugam agitur: ex qua navigio Rhodum delatus, ab equitum Rhodiorum Magistro in Galliam atque inde Romam ad Pont. Max. mittitur. Ac aliquot Romae annos regio cultu est habitus, ea lege, suppeditante sumptum Bajazete, ne Italia excedere permitteretur. Et, quo proniorem in res suas Pontificis Max. animum redderet (is erat tum Innocentius octavus) cuspidem ejus hastae, qua Christi, in crucem sublati, pectus a Judaeis confixum divinae litterae tradunt, dono illi misit. Quae, a Pontifice pro summo ac regali munere, & omni auro pretiosiore, suscepta, in maximo Divi Petri templo asservatur, & certis anni temporibus populo venerabundo spectanda e superiori loco praebetur. Caeterum Zizimus Carolo demum octavo, Gallorum regi, Turcicum bellum, devictis Aragoniis regibus Neapolis, meditanti, traditur. Et paulo post per Borgiam, a Bajazete (ut creditum est) muneribus pecuniaque corruptum, veneno est sublatus. Hunc quoque Bajazetem, morte fratris omni suspitione curaque intestini dissidii liberatum, nostrae clades illustrarunt; quanquam suopte ingenio ad pacis & philosophiae, quam armorum, studia proniorem. Moncastrum, in septentrionali Euxini ora ad Borysthenis ostium de Polonis caepit, atque utranque Valachiam, tam quae Moldavia, quam quae Transalpina dicitur, malis subactam, parere imperio coegit. Nec multo post, cum Illyrici populis, Vngaris, Croatiis ac Slavis, qui junxerant arma, praefectus ejus Cadamus Eunuchus magno praelio, & Turcis secundo, conflixit. Aggressus deinde Venetos, & classem eorum mari exegit, & in Peloponneso Methonem, Coronem, Pylum, Naupactum iis ademit, &, quod turpius Christiano nomini est, sollicitatus ad hoc suscipiendum cum Venetis bellum a Ludovico Sfortia, Mediolanensium Duce, fertur, cum Ludovicus ipse Venetorum & Gallorum armis premeretur. Et Bajazetes, patris exemplum secutus, Scander Bassam cum expedito equitatu in Forum Julii misit, qui, nemine se illi objicere auso, superato Tiliavento flumine, Tarvisium usque omnia perpopulatus excurrit. Et, cum regrederetur gravis praeda, quatuor captivorum millia, quod eos abducere secum impeditius erat, in ipsius Tiliaventi ripa crudeliter trucidavit, naribus

tan-

tantum recisis ablatisque, quae fidem illatae cladis regi facerent. Ad ocii inde ac litterarum studia relapso Bajazeti, & senio jam & podagrae doloribus fesso, Selimi filii scelus, Imperium primo, deinde, propinato veneno, vitam quoque eripuit: cum annos XXXI. regnasset, LXXIII. vixisset.

Selimus Turcarum rex X.

Selimus, non successor, sed raptor paterni regni, MDXII. rerum habenas suscepit. Avo, quam patri, similior, propagandae quidem potentiae, & aequandae majorum gloriae avidissimus: sed inhumana crudelitate infamis. Primum male parti regni opus fuit patris nex [1]: cujus, senecta & morbis confecti, expectare mortem, ut thesauris gemmisque, quas cedens Imperio infelix senex secum abstulerat, potiretur, longum ducens, per Judaeum medicum aegrotanti misceri venenum jussit: ac, tegendo inde sceleri, magnificum illi funus sepulcrumque fecit: &, unde viventem vi atque armis ejecerat, mortuum referri Byzantium praecepit: & propinquanti cadaveri cum omnibus Aulae ordinibus obviam egressus tantos honores habuit, ut ne regnanti quidem haberi majores potuissent. Militibus aliisque, quorum favore ac proditione evectus ad id fastigium fuerat, liberalissime donatis, & ad caetera firmatis sibi, saeva arma in fratres vertit: quorum Achomatem bello, Corchutum dolo adeptus, occidit. Pari immanitate, fratrum filios, &, quot praeterea Othomanici sanguinis ac nominis in cruentas ejus manus pervenere, omnes strangulari jussit. Cui enim parceret, qui parenti seni, aegro, innoxio, a quo evocatus ad non dubiam spem Imperii fuerat, non pepercit? Inter majoris fratris filios, quorum quinque uno tempore neci tradidit, Mahometes erat, adolescens viginti jam natus annos, regia praeditus indole cum animi tum corporis. Ad hunc ferunt, cum ingressi carnifices duo, nihil tale expectanti necessitatem mortis denunciassent, generosa incensum ira alterum eorum cultello, qui forte oblatus est, occidisse, alteri ita manus injecisse, ut, oppressis faucibus, aegre a satellitibus, qui cubiculum irruperunt, ei ereptus sit: ab illis demum nervo, detracto arcui, constrictum juveni jugulum fuisse. Esto adultorum indolem timuerit: quid in pueros, infra octavum annum sitos, saevire coegit, quos ad idem supplicium truculentus tradidit? Vbi, sublatis gentilibus suis omnibus, nemo Otthomanicae stirpis, praeter ipsum

Saevitia Selimi in regium sanguinem.

Indoles regii pueri.

1 Mendosum autographi *neces* in in *Iudaeum*. *nex* converti, itemque infra *Indaeum*

ipsum & adolescentem filium superfuit, &, pacato Imperio, suarum se rerum opumque potentem sensit, quod antea semper excelsus agitaverat & cupiverat animus, arma & bellum aggreditur. Deus hunc hostem tam acrem, tam avidum, tam intentum, tantis viribus subnixum a Christianis, ea tempestate mutuis cladibus se conficientibus, in orientem Persasque avertit. Praecipuam aemulationem atque contentionem animi adversus Hismaelem, Persarum regem, cui Sophio cognomentum fuit, sumpserat, atque eum parem aetate, clarum victoriis, & novae superstitionis gloria, cujus ipse auctor ferebatur, apud orientis nationes inclytum, hostem sibi potissimum destinaverat, eo quidem magis, quod Amurathem, fratris filium, saevis ejus elapsum manibus, receptum ab illo, & in honore haberi audierat. Ad hunc igitur hostem ingenti cum exercitu apparatuque aeneorum tormentorum profectus, trajecto Euphrate, in campis, qui Calderani dicuntur, cum eo acie contendit. Persae longe numero inferiores, virtute ita praestabant Turcis, ut haud dubia eorum victoria futura fuerit, si turmae cum turmis, acies cum acie & vir cum viro congressi, armorum, virium, disciplinae periculum fecissent. Alacriter enim Persae decem adversus quinquaginta Turcas pugnam invasissent. Sed duo iis praesidia defuerunt, quae utraque suppetebant Turcis; peditatus robur & tormentorum ac bombardarum vis. Cum igitur & densata peditum phalanx, in qua ipse Selimus erat, perrumpi non posset, & in confertos Persas excussi tormentis ferrei globi ingentem stragem darent, & ad tonitrum boatumque eorum insueti equi consternarentur sic, ut nulla vi regi ab sessoribus possent, aversi in fugam Persae sunt: & rex ipse, sclopi glande ictus, acie excedere & se recipere est coactus; cum, primo concursu, disjecto Turcarum equitatu, longe superior apparuisset. Victor Selimus, sed nequaquam laetus, quod supra triginta millia Turcarum eo praelio cecidissent, & in his Cassam Bassa & ducum fortissimus quisque, Taurisium, regiam Persarum urbem, intravit, sed, paucos moratus dies, cum Hismaelem novis copiis ferociorem adventare didicisset, abducto magno opificum numero, discessit. Insecutus Hismael, quanta potuit celeritate, adipisci tamen Turcarum agmen, quod magno intervallo antecesserant, non potuit, sed tantum terroris properantibus, ac pene fugientibus, intulit, ut Euphratem tumultuose admodum trajecerint, & magnum tormentorum ac sarcinarum numerum amiserint, & i-

Selimus bellum Persis infert.

Qua re victi Persae a Turcis.

& ipse Selimus, parvo exceptus lintre, tranaverit. Hoc modo Persarum manibus elapsus, qui ad Euphratem persequendi finem fecerunt, haud minus infestum reliquum iter habuit. Ab Aladulo enim rege, insessis passim Tauri montis angustiis, ita vexatus est, ut, pene exutus impedimentis, in Cappadociam redierit, atque inde, sequenti aestate, acceptas ab Aladulo contumelias ultus Constantinopolim se recepit. Sed animus impatiens ocii non diuturnam quietem tulit, &, quanquam e Calderanis campis, cedente hoste, victor discessisse videri poterat, tamen nequaquam immiti saevi hominis irae satis erat factum, cujus stimulis ad capiendam de inviso hoste vindictam acriter incitatus, majori, quam antea, conatu renovat bellum. Sed progresso in Asiam, & ad Euphratem paucis diebus perventuro fortuna, quae permittente ex arcanis consiliis Deo, saepe ex sua libidine, vel scelestis & impiis favet, ad illustriorem, & fructu ipso ampliorem victoriam illi aditum aperuit. Campson, Mamaluchorum rex, cujus imperio Aegyptus & Syriae & Arabiae populi & Rubri maris accolae parebant, magno comparato exercitu, Damascum transierat, & infensus Selimo cum ob scelera atque immanitatem, cujus infamia apud omnes nationes laborabat, tum quod eum majores sibi jam spiritus sumere, quam tutum aliis esset, intelligebat, aut in Persiam contendenti occursurus, aut praetergressi invasurus terga videbatur. Selimus, de Campsonis animo certior factus, legatos ad eum misit rogatum, ne sibi superbum atque importunum invasuro hostem impedimento esse vellet. Sed Mamaluchi, qui superioribus annis ad Tarsum in Cilicia congressi cum Turcis, quanquam numero longe superioribus, magna ac nequaquam dubia victoria potiti fuerant, usque adeo eorum arma despiciebant, ut Selimi oratoribus elate atque contemptim responderint. Nam, Bajazetis nece caeteraque in regium sanguinem amicorumque primos saevitia exprobrata, renunciare illi jusserunt, unam esse pacis conditionem, si Persico bello absisteret, & Aladuli filio paternum redderet regnum. Tam praeciso, tam arroganti responso ita incensi non Selimi solum, sed totius exercitus animi sunt, ut iram omnem a Persis in Mamaluchos intenderint, &, commutata belli ratione, protinus flexo ad dexteram itinere, Comagenem atque Campsonem petere instituerint. Qui & ipse, post dimissos legatos, Damasco Aleppum propius hostem castra moverat, consilio haud satis sano; quo & alienum bellum in se avertit & nulla ne-

Selimus renovat in Persas bellum.

Campson Mamaluchorum rex.

Superbum Mamaluchorum responsum.

Mamaluchi alienum bellum in se avertunt.

necessitate, pro alterius commodis, ancipitis dimicationis aleam subivit: quod, sicuti incepto parum prudens, ita exitu calamitosum ac faedum extitit. Selimus supra centum armatorum millia, quorum magna pars ex veterano & bellis exercito milite constabat, in aciem deduxit, quam permagnus tormentorum numerus egregie muniebat. Mamaluchi ad duodecim millia erant, sed singuli, pro cujusque dignitate facultatibusque, servos armis, equis, disciplina dominis pene pares (sic mos erat gentis) ducebant. At ne horum quidem acies, ut Persarum ullo pedestris Martis robore, ullo tormentorum apparatu, firmabatur. Omnis in equestri vi & in dextris spes erat: quae non vana fortibus viris futura videbatur, nisi eos tota jam acie victores, tormentorum procella primum, deinde Cajer Beji, unius e purpuratis proditio turbasset, postremo fortuna ipsa imminens jam ultimo eorum exitio destituisset. Campsonem, & pondere corporis & duo de octuaginta annis gravem, in ipsa recipientis se fuga, pulvis, aestus, labor extinxit. Mamaluchi ita excessere praelio, ut Selimus noctem, quae diem pugnae secuta est, in ipsis campis duxerit, adeo non certus victoriae, ut, metu curaque, victi habitum praeferret. Caeterum haec pugna eum Syriae, Aegypti totiusque Mamaluchorum Imperii dominum fecit. Quanquam enim neque animos illi neque ferociam abjecerant, tamen & adversus pugnae casus & amissus rex & proditor Cajer Bejus, cujus, inter Principes, opes atque auctoritas eminebat, ita res omnes perturbavit, ut, deserta Syria sit prius, quam expediri defendendae ejus consilia potuerint. Coacti undique in Aegyptum primores gentis, & deposita in tam trepidis rebus omni contentione, Tomum Bejum regem, concordibus studiis, crearunt, virum vel justitiae vel sapientiae vel militaris rei laudibus tantae dignitati parem, & qui erigere afflictas res posset, nisi fortuna, ad excidium nominis Mamaluchorum incumbens, totam se in Selimi sinum profudisset, & omnia virtutis, omnia industriae opera aspernari evertereque videretur, quo, demersis iis, illum unum proveheret. Syria omni, unius successu pugnae, potitus Selimus fortuna victoriae uti, & prius, quam valesceret novi regis auctoritas, ipsam aggredi Aegyptum statuit. In hanc cogitationem praemiserat Damasco cum parte exercitus Sinam Bassam ad occupanda itinera, quibus Aegyptus ex Syria Judaeaque aditur. Adversus hunc ducem missus a Tomum Bejo cum sex millibus equitum, & Arabum manu Gazel-

Campson a Selimo victus.

Turcae Syria potiti Aegyptum invadunt.

zelles, inter omnes Mamaluchos vir bellicae virtutis gloria excellens, non longe ab Gaza, cum eo acie decertavit, eadem, qua ad Aleppum, fortuna. Et Selimus toto cum exercitu, quem novis supplementis, classe advectis, auxerat, insecutus, per loca vastis arenis infesta & humore carentia, incredibili felicitate, veluti coelo missis imbribus, ita est sublevatus, ut, contra quam crediderat, nullo sitis incommodo ad hostes, qui, sex admodum millia passuum a Cairi moenibus, suo loco consederant, pervenerit. Hic tertium est commissum praelium, in quo, etsi summa peritia summoque studio praeparata provisaque omnia a Tomum Bejo ad victoriam fuerant, omnia tamen veluti rabies iniquae atque infestae fortunae pervertit. Victi, quanquam ancipiti certamine, Mamaluchi Cairum se recipiunt. Turcae maxime cruenta potiti victoria, amisso Sinam Bassa, qui summae totius rei praefuerat, ac multis suorum millibus desideratis, quatriduum eodem loco reficiendis animis explicandisque consiliis manserunt. Postremum certamen in ipsa urbe Cairo ac de ipsa urbe fuit. Pugnatum summa contentione duos ipsos dies totidemque noctes. Quippe hinc victores tertio jam praelio, hinc viri fortissimi, obstinati in vestigio amissae fortunae mori, dimicabant. Hic dies trecentorum annorum parta decora, & magna virtute quaesitas opes, cum ipso regno Mamaluchis ademit. Gazelles & alii cum eo Mamaluchorum primores, post amissum Cairum, de Imperio desperantes, in fidem victoris benigne suscepti venerunt. At Tomum Bejus, supremo edito virtutis, consilii, constantiae specimine, cum pene caesum internicione omne Mamaluchorum nomen esset, a fortuna, ab amicis, ab omnibus rebus destitutus, ipse se nunquam destituit. E Cairo elapsus gentes ultra Nilum concivit, & Selimum, ad eum persequendum, ponte in flumine navibus facto, copias trajicientem, cum quatuor millibus equitum audacissime aggressus, majori, quam usquam ante, discrimine, de rerum summa dimicare coegit. Sed hunc quoque supremum conatum ejus elisit fortuna. Rebus jam plane perditis, ab domesticis quoque desertus in solitudines aufugit. Sed, edicto Selimi, quo ingentia praemia tradentibus eum, & atrocissima recipientibus supplicia proponebantur, in obsita juncis calamisque palude, ad humeros usque mersus aqua, a perquirentibus est inventus, & Cairum perductus. Selimus pro caetera immanitate torqueri eum atrociter, ut, ubi Campsonis thesauri conditi essent, fateri cogeretur, jussit. A quo non solum in-

Mamaluchi iterum victi.

Tertio vincuntur Mamaluchi.

Quarta Turcarum de Mamaluchis victoria.

Tonum Beji indignus exitus.

indicium abditae pecuniae, ſed ne vocem quidem aut gemitum ullum Barbari, vel ſaeva laceratione, exprimere potuerunt. Ad extremum, nudato corpore, ac manibus revinctis poſt terga, latronum more, virum ea calamitate indigniſſimum, Selimus vili camelo inſidentem per omnia fora circunductum teterrimo ſupplicio affecit anno MDXVII. Hoc tam ſecundo victoriarum curſu, Selimus Turcarum Imperio haud dubie duplicato, cum Aegypto Cajer Bejum, Syriae Gazellem praefeciſſet, Byzantium ſe ipſo inflatior rediit, bienniumque conquievit, ut exhauſtas tot praeliis Imperii vires reficeret. In Chriſtianos inde nova bella meditantem mors praevertit, octavo regni, aetatis ſexto & quadrageſimo anno.



AN-



ANTONII MARIAE
GRATIANI
A BVRGO SANCTI SEPVLCRI
DE SCRIPTIS INVITA MINERVA
AD ALOYSIVM FRATREM
LIBER IX.





Xcepit immense auctum regnum Solimanus filius, unica stirps Otthomanici sanguinis, atque is ipse aegre Selimi saevitiae superfuit. Siquidem hunc quoque adolescentem suspectum sibi, missa ei dono linea interiori tunica, veneno illita, tollere conatum scriptores tradunt. Is Imperium sex & quadraginta annos tenuit, fortuna & belli studiis, patre non inferior, artibus pacis & temperamento animi illo praestantior. Christiani quidem, accepta Selimi morte, exilierant gaudiis, & publicis etiam supplicationibus testati laetitiam fuerant. Sed brevi senserunt, spem defendendae dignitatis, non in hostium commutatis regibus, sed in concordia & communibus viribus animisque jungendis esse reponendam. Quod tamen ipsum est hujusmodi, ut inanibus modo verbis fingi differique a nobis, & frustra semper votis expeti videatur. Caeterum Solimanus primo quidem Gazellem, morte Selimi, sacramento solutum se, quod illi dixerat, ratum, & Mamaluchorum dispersas reliquias colli-

Solimanus Turcarum rex XI.

Gazellem rebellantem opprimit.

gentem, & haud dubie molientem sibi regnum, prospere compescuit, misso statim in Syriam valido cum exercitu Farate Bassa, quem Gazelles prope Damascum praelio excepit, in quo, & ipse fortiter pugnans, &, quae prioribus cladibus superfuerant, Mamaluchorum reliquiae omnes cecidere. Deinde, compositis Syriae rebus, veteri majorum suorum consilio innixus, ad Belgradum, unicum Vngariae propugnaculum, aggrediendum, animum adjecit, nihil deterritus, quod fortissimi ante se stirpis suae Imperatores inde repulsi semper cum ignominia essent. Oblatam enim ejus rei occasionem Pyrrhus Bassa, consilii auctor, ostendebat, quod, mortuo nuper Jagellonio Vladislao, Ludovicus filius successisset, adolescens cum ipse imbecillo ingenio, tum suorum discordiis magnopere distractus, & ab illorum ducum praesidiis destitutus, qui ante sua virtute tutati Vngarici nominis dignitatem fuerant. Non fefellit eventus callidi ac providi hominis consilium. Profectus magnis cum copiis Solimanus ante oppidum expugnavit, quam Vngari se ad subveniendum laborantibus satis expedirent: & hac victoria, cum ad occupandam Vngariam, quod postea fecit, aditum sibi aperuit, tum initia regni sui magnopere commendavit; & tam prosperi successus fama non Vngaros solum, sed reliquos etiam Christianos magno metu conterruit. Sequenti anno cum quievisset, [& perpetuum hoc illi institutum fuit, alternis annis expeditiones suscipere] ut, quae majoribus suis sine effectu tentata essent, ipse felicius ad exitum perduxisse videretur, Rhodiis, nequicquam eodem deterrente ac dissuadente Pyrrho, quadringentis cum navibus transvecto exercitu, bellum intulit, & sex ipsis mensibus acerrime oppugnatos obsessosque ad deditionem compulit. Et, quod rarum in Barbaris, pactas deditionis conditiones egregia fide servavit; Viladamumque, Magistrum equitum, benigne & cum miseratione senectutis & adversae fortunae ejus, ab se dimisit. Re bene gesta, reversus domum, non bellicae solum laudis, sed felicitatis, justitiae, fidei famam retulit. Tum iterum Vngaricum bellum est aggressus, patefacto jam ad interiora Vngariae per Belgradum itinere. Et respondit fortuna consiliis ejus, quae pariter & virium suarum robore & alienae inertiae fiducia nitebantur. Et facile intelligebat, Christianos reges, & Carolum in primis Caesarem, ac Ferdinandum ejus fratrem, in cujus matrimonio Maria, Ludovici soror, erat, suis occupatos distentosque rebus, nullam Vngaris opem laturos,

Belgradum occupat.

Rhodios domat.

Vngariam invadit.

& Pon-

& Pontifex Max. qui defuturus Ludovico, tam duro ejus tempore, non videbatur, haud quaquam satis validas, pro tanta belli mole, summissurus per se copias erat. At Vngari, gloria rerum a majoribus suis adversus Turcas prospere gestarum, immodice elati, & ipsi assueti crebris, ac plerunque secundis, excursionibus cum iis contendere, usque adeo hostes viresque eorum despiciebant, ut & aspernari externa auxilia viderentur, & jactatas peditum atque equitum nubes Turcarum riderent. Inter quos eminebat Tomorei, Colocensium Archiepiscopi, arrogantia qui etiam auctor erat regi eundi obviam hosti, & acie ac ferro ejus vim refringendi. Atque is (quod magis mirere) Tomoreus e Franciscanorum septis prodierat, &, pro martiali galea, ciniream cucullam irrumpenti cum longe maximo exercitu Solimano objecturus erat. Apud inexpertos valuit tam furiosae sententiae auctoritas. Indicitur armatum gentis concilium (Rachos ipsi appellant) & glorianti in concionibus Tomoreo, ad quem, jure Archiepiscopalis honoris, [sic mos apud Vngaros] Imperii summa respiciebat, se ante omnes infesta cuspide in barbarum hostem incursurum [tantum is militaris audaciae ab humili atque inopi Franciscanorum disciplina in castra attulerat] decernitur praelium, & cum quinque admodum & viginti armatorum millibus occurrunt Turcis, qui supra ducenta millia equitum peditumque ducebant: adeo stolida temeritate, ut etiam adolescentem atque incautum regem in tanti discriminis aleam dare non dubitarent. Ita, admirante ac ridente hominum vecordiam ipso Solimano, ad Moncacium collata signa sunt, & victa, ut fere semper, temeritas est. Facilis jactura, si tantum auctores illa clades abstulisset. Nam & Tomoreus, haud minus fortiter pugnans, quam locutus fuerat, & caeteri ferme principes Vngarorum in acie sunt caesi. Verum & exercitus omnis deletus & rex ipse, in fuga, lapsu equi, evolutus in proximae paludis caeno misere periit IV. Cal. Sept. MDXXVI. Ita Vngari, paucorum inconsulta ferocia, & antiqua gentis decora & cum iis libertatem ac regnum, semihorae spatio, amisere. Neque enim post hanc pugnam quicquam, pro veteri gentis indole, gesserunt, aut unquam arma adversus hunc hostem prospere induerunt. Solimanum ferunt, post victoriam, cum Ludovici atque uxoris una in tabula depictas imagines aspiceret, misertum tam infaustae adolescentis fortunae, dixisse, si viveret, redditurum se ei regnum fuisse, quod nulla sua culpa, sed suorum insanis ac praecipiti-

Vngarorum temeritas.

Tomoreus Archiepiscopus.

Ludovicus rex stolida suorum temeritate objectus Turcis.

ti-

tibus ingeniis, amisisset. Muniverat quidem sibi hac victoria Solimanus viam ad omnem occupandam Vngariam: sed orta de regno inter Joannem Sepusium, ad quem Vngari, more a majoribus tradito, detulerant, & Ferdinandum Austrium, qui jus haereditatis praeferebat, contentio, etiam stravit aperuitque, magno, ut exitus docuit, Ferdinandi errore; cui, inter se Turcasque Christianum, & nihil sibi metuendum regem interjici, utile fuit, nisi cupiditate lapsus, pro Joanne Solimanum, cui par esse nullo modo poterat, ultro hostem asciviſſet. Vnde tot eum domumque ejus clades & Vngariae supremum exitium est secutum. Nam Joannes a Ferdinando armis pulsus, per Hieronymum Laschium, Polonum, ad quem ex praelio profugerat, a Solimano facile impetravit, ut vi ejectus vi reducendus susciperetur. Qui non contentus Vngaria, etiam Austriam perpopulatus, Viennam, caput gentis, appetiit: et, saeva aliquot dierum oppugnatione, tantum non caepit. Et quanquam ab ea, vano incaepto, quod muralibus tormentis ad verberanda maenia careret, abierit, tamen tantis biennio post equitum peditumque viribus ad invadendam Germaniam est reversus, ut Carolus quintus Caesar ipsum se objicere Barbarorum conatui, necesse habuerit, coactis in una castra, prope Viennam, tantis e Germania, Italia, Hispania copiis, ut ad centum millia armatorum habuisse sub signis dicatur. Ac, quemadmodum is, ne tanto quidem exercitu succinctus, ire obviam hosti est ausus, sed suo se loco tenuit, ita Solimanus, ubi ipsum adesse Carolum, & cum eo florentissimas ferocissimarum nationum copias intellexit, ab illo pugna lacessendo temperandum esse sibi statuit, licet Byzantio proficiscens, ad id modo Vngariam petere se, ut Carolum ad decernendum nobili praelio de summa rerum provocaret, jactasset. Ita, mutua tantum ostentatione virium nobilitato bello, inglorii utrique discessere. Verum haec de Vngaria contentio eum habuit eventum, ut, mortuo Joanne, Ferdinandus, bello inferior, quae pars regni Austriae adjacet, eam aegre retineret; Joannis uxor [erat haec Isabella, Sigismundo Poloniae rege & Bona Sfortia genita] cum infante filio, beneficiario jure, regnare in Transilvania juberetur; reliqua fere Solimanus ditioni suae subjungeret: qui ita inducias Germanis concessit, ut, tributi nomine, certa pecuniae summa singulis annis illi penderetur. Tandem aliquando avertit a nobis in orientem atque Persas bellum, &, capto Taurisio, ac statim relicto, inde, auctore ac duce Vla-

Perniciosa de regno contentio.

Carolus & Solimanus pari consilio pugnam detrectant.

Solimanus Vngariam occupat.

lamane, nobili Persa, qui ad eum a Tammaso defecerat, flexit in Mesopotamiam atque Assyriam iter, &, nusquam auso conferre secum arma, aut dare se in conspectum Tammaso rege, Hismaelis filio, utranque gentem, vetustate nominis ac potentiae fama celebrem, sine vulnere cum ipsa Babylonia in deditionem accepit, firmisque impositis praesidiis, Imperio Turcarum adjecit: quod quidem ad Balsaram usque, qua se in Persicum sinum effundit Euphrates, magno auctu extendit. Ac inde, repetito ac direpto Taurisio, magnum, ut olim Selimus pater, textorum atque opificum numerum secum abduxit, urbemque, & maxime regiam domum, omnibus suis ornamentis, usque ad aurata laquearia, spoliatam deformatamque reliquit; abdito adhuc atque in tuta refugiente Tammaso Verum abeuntium inde Turcarum ita novissimo agmini ad Euphratem usque institere Persae, ut exutos impedimentis, erepta tormentorum parte, tanta clade affecerint Turcas, ut Solimano nequaquam laeta Babyloniae ac Mesopotamiae accessio fuerit. Quin adeo paenituisse negocii eum ferunt, ut Habraimum, antea cunctis Aulae proceribus insigni gratia longe praelatum, quod auctor hortatorque illius expeditionis fuisset, crudeliter occiderit. Injecit & Africae avidas manus, nulli majorum suorum ante tentatae, ubi regnis Tuneti atque Algerii, regibusque eorum in fidem receptis, rerum pene arbitrium inter eas gentes ad se revocavit, & inde, cum omnem Hispaniae oram latrociniis infestam habuit, tum Italiae invadendae consilia coquens, Hariadeno archipiratae, cui ab aeneo capillo Barbarussae cognomentum fuit, homini saevo, strenuo & in navali disciplina totaque re bellica magnum usum habenti, classium suarum imperium credidit; per quem Italiae littora saepe immaniter ussit, &, expositis in Apuliae campis ad viginti Turcarum millibus, cuncta caedibus, fuga, terrore miscuit, nec, nisi totius prope Italiae concursu, est repulsus. Venetos magno impetu aggressus coegit aliquot in Peloponneso urbibus, quas ad eam diem retinuerant, in pretium impetratae pacis, excedere. Conatus quoque est Lusitanos Indico oceano exigere, ut Indiae opes, & maxime Gariofolum, piper & cinnamomum in Aegyptum atque Alexandriam, ut inde ab reliquis gentibus peteretur [quod antea fiebat] averteret: classemque octuaginta navium ad inops materiae mare, Nilo [1] primum subvectam Cairum, deinde came-

Babylonia potitur.

Persae abeuntibus Turcis instant.

Habraimus Turca.

In Africam potentiam extendit.

Hariadenus.

Venetos aggreditur.

Lusitanos expellere India conatur.

1 Supra in ipsa extrema pag. 198. leguntur illa de Nilo: „ cum ad ipsos „ etiam

melis Suesiam, quae olim Arsinoe fuit, intimi Arabici sinus portum, transtulit. Verum Lusitani & sua insigni virtute, na-

etiam fontes penetrasse Lusitanorum quidam a Congo dicantur. „ Ad eum locum quae adnotaram, festinatione partim mea partim operarum, me animum non advertente, praetermissa, hic, licet eo, non huc, pertinentia, habeat lector ex Cl. V. Regnaultio desumta, Tomo II. Operis cui titulus: „ Les entretiens physiques d' Ariste & d' Eudoxe, ou Physique nouvelle en dialogues. „ pag. 268 edit Parif. an 1732. „ L'origine du Nil, si celebre parmi les Anciens, & ignorée, du moins en Europe, jusqu' au dernier siecle, n'est plus un mystére. Vainement Cyrus, Cambyse, Alexandre & Cesar avoient desiré passionnement de la connoître. Lucain (lib. X. v. 290.) fait dire à Cesar, qu' il eût preferè l' esperance de la voir au plaisir de faire la guerre à sa patrie.

„„ Nihil est, quod noscere malim,
„„ Quam fluvii causas per secula „„ tanta latentes,
„„ Ignotumque caput. Spes sit mi- „„ hi certa videndi
„„ Niliacos fontes; bellum civile „„ relinquam. „„

„ Deux Missionnaires Portugais de la Compagnie de Jesus, sçavoir, le Pere Pierre Pays, & le Pere Jerôme Lobo, on rencontre l' origine du Nil, en courant après des Infideles. Elle est sur le panchant d' une montagne, entre les tropiques, dans le royaume de Goyam, un des plus beaux de l' Empire des Abissins. Elle consiste en deux sources. „„ Le 21. d' Avril 1618. je me trouvai, dit le P Pays, dans le Royaume de Goyam, près d' une Montagne. Je montai; je decouvris deux fontaines rondes. Elles ont environ quatre palmes de diametre, chacune Elles sont à un jet de pierre, l' une de l' autre. La terre d' alentour tremble; on n' y peut marcher sans faire boüillonet l' eau. L' eau sort avec impetuosité du piede de la montagne. Telle est l' origine du Nil, qui se trouve bien-tôt grossi par plusieurs ruisseaux, & passe un lac. Après avoir fait presque tout le tour du royaume de Goyam, il se rapproche si près de sa source, qu' il n' en est qu' à une journée. Mais bien-tôt il s' en eloigne; il quitte l' Abissinie, prend son cours vers le Nord, tombe enfin dans l' Egypte, & va se decharger dans la mere mediterranée. „„ „ La relation du P. Lobo est conforme a celle du P. Pays Celui là vit la meme chose, quelques années après celui-ci. „„ Je veux rapporter, dit le P. Lobo, ce que j' ai vû de mes propres yeux, & ce que j' appris sur les lieux. Dans le royaume de Goyam, un des plus beaux que posséde l' Empereur des Abissins, sur le panchant d' une montagne est la source du Nil. Cette source, ou plûtôt ces deux sources sont deux trous de quatre palmes de diamêtre, à un jet de pierre, l' un de l' autre. Un de ces trous n' a qu' onze palmes de *profondeur*; du moins, nous ne pûmes faire descendre nôtre sonde plus bas. Cette source est un peu plus petite que l' autre. Nous sondâmes aussi celle-ci; quoique nôtre sonde fût de vingt palmes, nous ne pûmes trouver le fond. Les gens du pays nous assûrerent, que personne ne l' a encore trouvè. Tout au tour la terre est toujours humide & si peu ferme, qu' il en sort des boüillons d' eau, dès que l' on y marche.

„„ Le Nil, en sortant de sa source, se tient caché, & comme enseveli sous les herbes. Il paroît a un quart de lieüe environ. Grossi bien-tôt par plusieurs ruisseaux il traverse un lac, seulement, „„ par

navalisque rei scientia, & haud dubio divini numinis favore, coacta hostili classe ab Diu [1], Cambajae insula, discessu simillimo fugae, abire, partum Indici maris Imperium egregie retinuerunt. At non contentus equites Hierosolymitanos Rhodo, veteri eorum sede, expulisse, etiam Melitam, insulam inter Africam & Siciliam sitam, in quam illi, post amissam Rhodum, fortunas suas & Magistri domicilium transtulerant, eripere iis tentavit, unde sibi propinquum ad invadendam Siciliam gradum faceret. Classi copiisque praefuere Mustafa, Pialejus & Draguthes pirata, a quibus, creberrima ingentium tormentorum verberatione, ita strata omnia & solo aequata sunt, ut non hominibus modo armatis & equis, sed onustis quoque plaustris via per maenia fossasque pateret. Sed pro maenibus pectora sua equites non Turcis modo invadentibus, sed tormentorum ictibus objiciebant. Cum igitur certarent hinc constantia atque consilium Magistri [is erat Joannes Valletta Gallus] hinc vel ultro appetens mortis, pro gloria susceptae militiae, equitum virtus, defensa insula est, magna Turcarum contumelia. Quartum & octuagesimum agebat annum Solimanus aetatis, in castris fere, per bella & praelia, actae, nec tamen deferbuerant militares hominis spiritus, nec dum eum aut Imperii aut victoriarum aut gloriae satietas caeperat, aut omnino animum ad quietis studia flexerat. Ne tentata parum prospere Melita fregisse quicquam aut debilitasse spes animumque ejus videri posset, renovare intermissum aliquot jam annis Vngaricum bellum, & proficisci ipse in eam expeditio-

Melitam insulam aggreditur.

Vngariam ultima senecta repetit.

,,, par une extremitè; mais avec tant ,,, de rapiditè, qu' on distingue les ,,, eaux du Nil d' avec celles du lac, ,,, pendant les six lieuës que l' on ,,, compte de l' entrèe a la sortie. ,,, A cinq lieuës de la il tombe du ,,, haut d' un rocher, & fait la plus ,,, belle nape d' eau qu' on puisse ,,, voir J' ai passè dessous sans me ,,, moüiller, & m' y reposant pour ,,, joüir du frais, que donne cette ,,, eau, j' y admirois les belles & vi- ,,, ves couleurs de mille Arc-en-Ciels. ,,, Le Nil apres avoir fait une presq' ,,, isle du Royaume de Govam, se ,,, retrouve à une petite journèe de ,,, sa source. Mais enfin il sort de ,,, l' Empire des Abissins; & je n' ai ,,, pû suivre son cours plus avant.,,, ,, Ce Fleuve descend de l' Ethiopie ,, dans l' Egypte, ou par ses inon- ,, dations reglèes, il porte la fecon- ,, ditè. ,, Videatur etiam Parthenii Giannettasii Geographia lib VII. cap. 3 Et libellus editus Florentiae an. 1693 hoc titulo: ,, Relazioni varie ,, cavate da una tradutione Inglese ,, dell' Originale Portoghese. ,, quam quidem Italicam interpretationem Laurentii Magalotti esse constat

[1] Dium, *Diu*, urbs est Asiae permunita & maritima, cum emporio in insula parva regni Cambajae Sexaginta leucis distat a Surata in occasum, estque ad fauces sinus Cambajae, in ditione Lusitanorum a centum quinquaginta annis circiter. *Baudrand*.

tionem, ne quis aetatem suam sperneret, statuit, nihil castrenses labores, nihil incommoda tam longinqui itineris veritus. Et, veluti supremum vitae conatum editurus, quantas nunquam antea, copias sub signis habuit. Maximilianus Caesar, ad famam tanti apparatus, coactis undique auxiliis, ad maenia Javarini, in Austriae finibus, munitis in castris consedit, hic opperiturus hostem, & sua, si posset, defensurus. At Solimanus ex itinere oppugnare Sighetum instituit, oppidum opportunum loco, & natura & opere munitum; cujus custodiae Sdrinus Comes, vir fortis & egregie sibi fidens, valido cum praesidio erat praepositus. Is, nihil fama tanti exercitus, quo ipsa inundabatur Vngaria, territus, aut mortem honeste occumbere, aut gloriam defensi oppidi ferre, animo destinarat. Hic, incepta oppugnatione, Solimanus, seu mutatione coeli, sive aestu ac labore itineris, seu senio fessus, levi contracto morbo, supremum diem clausit. Solimani mors. Mehemetes Bassa, penes quem, secundum regem, summa in exercitu erat auctoritas, cujusque imperiis haud secus, quam regis jussis, obtemperabatur, vir magni ingenii magnaeque solertiae, mortem regis occultam habuit, tanto quidem studio curaque, ut ejus ne suspitio quidem emanaret, & exercitus, esse se sine imperatore, plane non sentiret. Et, quod novi, & haud scio, an unici exempli videri potest, perfractis late Sigheti muris, atque ipso Sdrino, dum suis hortator adest atque acriter pugnam ciet, sclopeti glande trajecto, oppidum vi expugnavit: vicitque miles, dum ignorat, desiisse esse, cui vinceret. Interim Mehemetes, celerrimis nunciis Selimum, Solimani filium, qui Amasiae praeerat, de patris morte certiorem facit, qui cum Byzantium statim advolasset, prius sedem Imperii occupavit, quam decessisse regem, homines suspicarentur. Mehemetis, in occultanda morte regis, industria. Nec Mehemetes ante a Sigheto movit, quam Selimum potentem paterni regni esse accepit: et exercitus tum demum orbatum Imperatore se rescivit, cum alterius Imperio teneri se intellexit. Maximilianus Caesar, cum non ita longe a castris Turcarum castra haberet, mirabatur quidem, hostem, post victoriam, diutius, quam ratio belli expposcere videretur, ad Sighetum, per causam reficiendi oppidi maenia munitionesque, sedere. Sed de Solimani morte, non nisi triginta post dies, ex litteris Venetiis allatis, & simul de novo rege obviam exercitui progresso, cognovit: a quo paulo post, octo annorum induciis impetratis, onerosi atque ancipitis belli cura est levatus.

Se-

Selimus, contra quam veritus erat, sine motu aut negocio ullo regnum adeptus, cum Melitensi tum Vngarico bello magnopere exercitu imminuto, & ex suorum consilio quiete opus esse ad reparandas vires intelligens, & suopte ingenio ocii, & vacui curis animi amicus, initio regni pacem egit, acturus perpetuam, si per suos licuisset. Hic Otthomanorum regum morem, arma bellaque per se tractandi, primus solvit, primus a prisca frugique majorum suorum disciplina defecit, supra caeteram luxuriam vini avidissimus, cujus usu sacrata lege interdictum est Turcis. Et tamen is quoque gloriam ex nostris cladibus, licet non tam sua sponte, quam suorum impulsu, quaesivit. Cyprum insulam ut adimeret Venetis, spreto jurejurando, quo nuper faedus renovarat, bellum iis fecit: quod tamen sedens ipse domi ducibus delegavit, eoque nos triennium exercuit. Recepta multo sanguine insula, atque aliquot in Dalmatia oppidis de hoste captis, pacem optantibus Venetis reddidit; qui, per se impares, Hispanos belli socios parum fideles experiebantur, & ipse quoque Selimus cupide ad ocium est revolutus. Quanquam immensis opibus suis ita efferebatur, ut, quicquid ei in mentem venisset optare, id pronum sibi ac facile factu existimaret. Vna re utilis nobis, quod, ingenti navali praelio, cum praefectis ejus congressi, demersa, capta fugataque ejus classe, vinci posse Turcas didicimus, si uti victoria per nostras discordias licuisset. Ipse, etsi ad primos nuncios adversae pugnae atque amissae classis, ingenti metu perturbatus, Andrianopoli Byzantium, ne quid tumultus in perculsa civitate oriretur, recurrerat; tamen, ubi discordiam inter hostes, victoria auctam, luxuriasseque nobis fortunam, & tamen minari ipsi Constantinopoli Christianos intellexit, tanta superbia intumuit, ut dirui ac solo aequari propugnaculum muniendae Perae [1] a suis excitatum, quo contemptum nostri, suarumque rerum fiduciam ostentaret, ex tuto jam ferox jusserit. Suorum item instinctu in Africa arcem, a Carolo quinto Caesare, frenando Tuneti regno, opportuno loco impositam, & magno studio opereque munitam, cui Puletae nomen fuit, duce Sinamo, expugnavit, ignavia socordiaque Petri Portocarreri Hispani, qui praesidio praeerat, qui, ante periculum ferox, Italicos milites, ne cum iis gloriam de-

Selimus Turcarum rex XII.

Cyprum insulam Venetis adimit.

Selimus navali praelio a Christianis victus.

Puletam in Africa Hispanis eripit.

[1] Pera urbs Thraciae prope Constantinopolim, quae Galata etiam dicitur. Verius suburbium Constantinopoleos, ubi degunt Latini & Catholici. *Baudrand.*

defensae arcis communicaret, integramque Hispanis suis relinqueret, repudiarat. At, ingruente discrimine, inscitia metuque torpens, adeo ignominiose locum amisit, ut in suspitionem proditionis venturus fuerit, nisi captum Turcae, crebra timoris atque inertiae exprobratione, contumeliosissime tractassent. Per haec Selimus regno octo annis potitus, alia re nulla gesta, intemperantia, luxu, mollitie fluens, decessit anno MDLXXV.

Amurathes Turcarum rex XIII.

Amurathes tertius, qui vigesimum ac septimum annum agens ad tantum Imperium patri successit, exemplum illius secutus, bella per praefectos administravit: ipse domi desedit. Ac primo ad corrigendum prolapsos hominum mores, ac legum sancienda jura, coercendamque multorum licentiam, adjecit animum, eoque specimine magnopere regni sui initia commendavit. Mox diu cunctatus, utros Christianorum Principum aggrederetur, Venetos an Caesarem, persecuturus quidem Vngariae reliquias videbatur, nisi oblata occasio eum in orientem avertisset. Morte Tammasi, Persarum regis, invaserat regiam domum, communis pestis magnorum imperiorum, discordia fratrum. Multos reliquerat filios Tammasus, quorum natu maximus Cudabenda, homo pacis cultor, ac animi satis demissi, privata fortuna contentus fore videbatur. Proximus huic Hismael avitos gerebat spiritus, belli, imperii, gloriae avidus, vivo patre invitoque, Turcas lacessere armis, & accendere bellum caeperat, fueratque ob id a Tammaso, qui a filii consiliis magnopere abhorrebat, in custodiam traditus, a qua, nisi post mortem patris, nunquam est dimissus. Moriens Caidarum, tertium filiorum, quem ob ingenii commoditatem & elegantiam morum, & charissimum habuerat, & vivens regendis admoverat rebus, haeredem regni, praeteritis aliis, instituerat. Sed judicium patris aspernati principes, sorore adjuvante, carcere educunt Hismaelem, &, interfecto Caidaro, regem constituunt. Nihil miseriae tam diuturni carceris fregerant acres hominis spiritus, & efferaverat, ira, diu compressa, in eos, qui aut vivo patre adversati rebus suis fuerant, aut, post mortem ejus, Caidari regno faverant. Itaque principum caedibus fratrumque, quot adipisci potuit, totam funestavit Regiam; ac statim diu meditatum adversus Turcas exorsus est bellum. Sed, fratribus, qui evaserant, auctoribus, & odio tam saevi ingenii, eadem soror Hismaelem veneno sustulit, quae regem fecerat; &, cujus decorari lachrimis fratrum funera debuissent, ipsa funerum

Mors Persarum regis, & discordia fratrum.

Hismael.

rum causa fratribus erat. Suffectus in ejus locum Cudabenda, ad quem etiam jure optimo, quippe natu majorem, successio in regnum pertinebat. Huic, natura miti & haud dubie belli cogitationem abjecturo, filius bellator erat, & ob id acceptus popularibus. Nomen juveni Emircano fuit. Huic ergo armorum jus imperiumque a patre mandatur; qui caeptum ab Hismaele cum Turcis bellum persequi decrevit. Belli causae perleves a scriptoribus traduntur: Persas commotos, quod evectum ad regnum Cudabendam sprevisse Amurathes videretur, qui gratulatum ad eum, ut mos inter se regibus, non misisset: Turcas 1, jactatum sermonibus apud Persas, bellum antecapere satius duxisse. Ego hinc Persas arbitror odium iramque Assyriae ac Mesopotamiae ereptae coquere nequivisse; hinc Turcas distractam regiam domum, principesque factionibus divulsos, suam occasionem ratos esse. An, terna mutatione regum, & tot Principum caedibus, labefactatam vim Imperii Turcae non intelligerent? Transfugerant praeterea quidam e proceribus ad eos, a quibus suspecta omnia, omnia infesta partibus esse apud Persas nunciabantur. Igitur, transfugis ipsis assidue incitantibus, Amurathes totus animis ad cogitationem Persici belli, omissis aliis consiliis, incubuerat, sperans, se majorum suorum gloriam superaturum, si, quod illi nequivissent, hunc hostem ipse, intestinis discordiis laborantem, debellasset. Quantum magnitudo suscepti belli poscebat, comparato exercitu, ei Mustafam, veterem Solimani militem, clarum militiae artibus ducem, magna cum potestate praefecit, Sed Persae non paraverant solum, sed jam gerebant bellum; &, levibus aliquot praeliis, excursionibus prospere in hostium fines factis, Vanam, nobilem Armeniae urbem, de iis caeperant. Sub Mustafae adventum ita in fines Turcarum irruperant, ut late populati agros, omnibusque vastatis, qua hosti futurum erat iter, spem pene progrediendi ob pabuli ac rerum omnium inopiam, Mustafae praecluserint. Qui, magno equorum jumentorumque amisso numero, & affecto morbis exercitu, & palam abnuente infaustam Turcico nomini militiam, tamen, partim hortando consolandoque, partim iram animadversionemque regis in contumaces denunciando, ad hostes perduxit. Occurrere, multis saepe locis, Persae, & varie aggressi Turcas magnum eorum numerum caeciderunt. Neutris tamen ad univer-

Causa belli inter Turcas & Persas.

Amurathes Persicum bellum aggreditur.

1 *Turcas* praefert autographum, nulla, ut mihi videtur, sententia.

versi certaminis fortunam descendendi & justa acie contendendi consilium fuit. Verum, etsi tumultuariis praeliis, atque ex occasione sumptis, plerunque superiores erant Persae, qui graves saepe clades hostibus inferebant, tamen tanta erat multitudo Turcarum, atque ita incedentem exercitum tormentorum, partim muralium partim campestrium, certis ordinibus muniebant, ut, quo minus progrederentur, & validas etiam urbes, alias metu, alias vi occuparent, impediri non possent. Et satis constat, Turcas, callidos omnium militiae artium, hoc bello longe diversam bellandi rationem esse secutos ab ea, quam superiores reges tenuere, & fere prisca gentis disciplina ferebat. Siquidem antea, ex veteri instituto, omnis fiducia illis in multitudine equitum, peditumque robore, atque in campestri victoria fuit: munitiones urbium, quae veluti metum hostilis incursus praeferrent, praesidiisque distraherent vires, contempserant. Et Selimus & Solimanus, qui maximis exercitibus in Persidem penetrarunt, Taurisiumque, regiam urbem, caeperunt, praeda tantum & gloria victi aut cedentis pugnamque detrectantis hostis contenti, recessere. At Amurathes, veluti gradatim progrediens, & captis insistens, primum opportuna itineribus loca validis castellis insedit firmavitque: deinde insignioribus urbibus arces, magnis structas operibus, veluti frenum, imposuit. Sic, munitionibus Carsi, Labi, Tomanis, aperta tutaque effecta itinera: sic Eras, Tiflis, Sumachia, magnae urbes; sic denique, ipsa Regia, Taurisium retentum; & ampla ditiaque regna Servani, Arziruni, Carsi adempta Persis; & Georgiani, ferocissima gens, partim subacti, partim detracti hostibus. Non tamen dubium, maxime sumptuosum id Turcis fuisse bellum, immensasque in id impensas pecunias, &, quod omni pecunia gravius est, plures magnosque partim praeliis, partim morbis itinerumque laboribus, amissos exercitus, & magnopere exhaustas debilitatasque Imperii vires. Bellatum enim est continenter, pari utrinque pertinacia, quatuordecim ferme annis a MDLXXVIII. ad MDXCII. Georgiani, dubium an Georgi sint, quos circa Scythas memorat Plinius, inter Hircanum mare & Euxinum jacent, Armeniosque a meridie attingunt, Christum Deum, ut nos, venerantur, licet Graecorum erroribus imbuti. Hinc odere Turcas, ut Christianis infensos, & omnis Nobilitatis hostes, qua ipsi gaudent. Hos ut finibus arceant, junxere se Persis. Inter omnes, splendore generis ac vetustis opibus, rex eminet Simon, bellator insignis, & cla-

Turcae cum Persis bellandi rationem mutant.

Magno stetit Turcis Persicum bellum.

Georgiani.

& clarus Turcarum cladibus. Sed, proximo bello, & ipsi imminuta potentia. Hujus patruelis frater, qui Viduae filius dicebatur, pari militaris virtutis gloria, defecit ad Turcas: qui receptum in fidem, sueta genti perfidia, quod ejus magna inter populares esset auctoritas, tollere decreverunt. Et Mahemetes Bassa, Turcarum dux, ut adversae pugnae cladisque, a Persis acceptae, culpam a se averteret, hunc apud Amurathem proditionis insimularat. Ergo Mahemetes, per speciem consultandi de bello, acciri eum in tabernaculum jussit. Suspecta res fuit juveni, ante de cavendis Mahemetis insidiis ab amicis admonito, sed recusare non ausus, ne quaerenti causam praeberet, ita paruit, ut & ipse animum ad ultionem sui, si vis inferretur, obfirmaret, & delectos e suis quinquaginta, quibus maxime fidebat, secum duceret; quos, intrante se praetorium, observare fores, &, si res posceret, praestò ad opem ferendam esse jussit. Praefectis quoque turmarum suarum praecepit, ut, instratis equis, parati ad imperium essent. Ingressum Mahemetes benigne accepit, ac brevi sermone compellans 1 abdito carnifici & praeparatis ad necem ministris signum dedit. Quod cum Georgianus advertisset, feroci clamore sublato, stringit acinacem, atque in ipsum magno impetu Mahemetem invadit, inflictoque vulnere confecturus haud dubie hominem fuit, nisi intercursu custodum ereptus e furentis manibus esset. Erumpens inde tentorio, exceptus a suis, incolumis se in tutum recepit, junctisque cum Simone consiliis, nunquam postea in Turcarum conspectum venit, nec se ullis eorum blanditiis, perfidiam Mahemetis incusantium, ullisve conditionibus allici inducique est passus. Audax sane facinus & dignum memoratu. Amissa parte regni uterque frater, eadem, qua Persae, pace attinentur. Non tamen hostile in Turcas odium deposuerunt, & fortunam res novandi cupide opperiri dicuntur. Simon nuper, legationem me Venetiis obeunte, nuncium ad Pontificem Max. & ad Caesarem cum litteris misit, utrunque ad Turcicum bellum adhortans, & brevi Persarum regem missurum ea de re legatum ad eos, seque arma cum iis juncturum significans. Nuncius Venetias primum appulit. Armenus Sacerdos erat, Italicae linguae non expers. Is me adiit, & mihi epistolam ab ipso Simone reddidit. Ea erat Graecis scripta litteris, charta candore notabili, dente laevigata ac mire nitens. Involuta, veteri more,

Georgiani facinus.

Simonis Georgiani nuncius ad Pontificem

1 Autographi lectio, manifeste mendosa, est *compellatum*: quam propterea emendavi.

re, lineo sacculo pertenui includebatur. Imaginem anuli, quo obsignata erat, non agnovi. Illum ipsum nuncium mihi commendabat: quem ego, muneribus affectum, datis, quas petebat, litteris, Romam ad Pontificem dimisi. Non fefellit, quod de Persarum legatione nunciaverat. Venere enim, insequenti anno, duo a rege legati, qui, itinere per Moscovitarum provincias facto, in Poloniam Germaniamque evasere; &, convento in Bohemia Caesare, in Italiam atque Romam venere. Pontificem Max. (is erat Clemens VIII.) venerabundi, nostrum ad morem, adierunt, pedibusque ejus osculum admoverunt, orarunt que, ut Turcas armis persequeretur, ducemque se in eo caeteris Christianis regibus praeberet: idem facturum Persarum regem: &, iniquam pacem abrupturum pollicentes, petiere, ut, qua una re Persae inferiores Turcis essent, aeneis tormentis juvarentur; quae ex India a Lusitanis in Persidem mitti possent. A Pontifice hospitaliter ac benigne sunt accepti; & sumptus large praebiti ipsis comitibusque eorum; &, cum de bello Turcis faciendo convenisset, hortatus regem est Pontifex ad fidem Christianae pietatis amplectendam: Christianosque, qui in Imperio ejus sunt, ut clementer haberet, iisque Sacra faciendi, & colendi suo ritu Deum, jus esse juberet, magnopere oravit. Legati, alterum facturum regem, ut Christianis humaniter indulgeret, ut sua Sacra templaque exercere ac celebrare possent; ad alterum, tempore ac disciplina opus esse, ne qui incommodi motus populorum existerent, responderunt. Ab urbe profecti in Hispaniam transierunt, &, iisdem Philippo regi mandatis expositis, apud Olissipponem naves conscenderunt, & 1 per oceanum, circundata Africa, in Indiam, atque inde, per Ormutiam ac Sinum Persicum, immenso confecto terra marique itinere, domum redierunt. Amurathes, etsi protulerat Imperii fines, egregiasque de hoste provincias occuparat, tamen, cum Persae, supra externum bellum, intestinis agitati dissidiis, Sinami hortatu, legatum Byzantium de pace misissent, cupide eum accepit, exhaustus sumptibus cladibusque, & bello fessus, quod jam Turcae ita horrebant, ut aperte detrectarent. Sed, compositis in Persia rebus, gens odio nostri flagrans, non diu quietem egit; armaque ad Vngariae reliquias opprimendas vertit, quo libentibus animis milites duci se patiebantur. Sunt, qui tradunt, Amurathem, instinctu Gallorum, & maxime Elisabe-

Legati Persarum ad Pontificem Max.

Turcae avertunt a Persis in Vngaros bellum.

1 Non *&*, quod ego reposui, sed *et* habet autographum.

betae, Britanniae reginae, quibus Philippi Hispani opes imminebant, deducta ingenti classe, ac totius Imperii conatu, Hispaniae regna invasurum fuisse, nisi novae a Persis suspitiones consilia ejus interpellassent. Nam Cudabenda rex, mortuo Emixano, filiorum natu maximo, parvis ac pene infantibus liberis relictis, cum natura sua ad quietis studia pronus, & jam senio gravis, tum adductus praestanti ad omnem virtutem indole Emiranzi, secundi filiorum, regnum ei tradiderat. Qui, nece paucorum principum, qui rem Persicam factionibus distrahebant, magno metu sui omnibus incusso, pacaverat regnum, seque ejus egregie potentem fecerat. Et, sumpto de Cudabendae legato, qui adanciendam cum Turcis pacem Byzantium fuerat missus, supplicio, quod is, donis corruptus, quaedam contra patris mandata concesserat Turcis, staturum se conditionibus initi faederis, palam negabat. Convenere enim, ut arces, Taurisii aliisque locis aedificatas, Turcae praesidiis retinerent: urbes tamen ipsae populique vetus Persarum Imperium agnoscerent. Id legatus, muneribus inductus, sive, ut ipse ajebat, metu compulsus, contra quam praeceptum illi fuerat, remisit: & novus rex, cum juventa ferox tum ingenio acer, vindicaturus bello fraude interceptum jus videbatur: & denunciaverat arcium praefectis, ut aut pacem, reddito sibi pristino in urbibus jure, agerent, aut vim expectarent. Hic timor, ne Persicum bellum renovaretur, Amurathem majorum rerum consilia omittere coegit. Et Vngaricum bellum non tam sua sponte, quam suorum voluntati gratificans, excitari, quasi exercendis fine ullo majori discrimine militibus, ne ocio torperent, &, quod paulo ante periculoso motu fecerant, se urbemque Byzantium seditionibus agitarent, permisit. Prima impressio in Croatiam facta; ubi se praesidia Turcarum juxerant, caesisque aliquot nostrorum cohortibus, quae arcendae populationi coiverant, magno passim terrore injecto, ad Sisachum, Zagabriensis agri oppidum, egregie opere atque natura munitum, oppugnandum, duxerant, & magna tormentorum verberatione ita quassaverant aperuerantque muros, ut, nisi mature subventum fuisset, sustineri ultra ab obsessis vis eorum non posset. Qui nostrorum in ea parte Vngariae curabant [1], ad sex militum millia

Sisackum oppugnant Turcae.

Ll lia

[1] Vereor saepe, ne, qui non satis trit s atque assuetas latinae veterum aetatis aureae Scriptorum orationi aures habent, ii, si quando quaedam paullo ab loquendi consuetudine remotiura in his Gratiani libris offendunt,

Eghembergii forte consilium.

lia ex proximis praesidiis congregarunt, & auctore maxime Ruberto Eghembergio, aggredi Turcarum castra constituunt: quanquam ea res temeritatis plena quibusdam ducum videbatur; quippe, exigua manu, justum Turcarum exercitum supra viginti millia equitum peditumque aggressuri erant. Sed Eghembergius, virtute militum fretus, quos, diuturna exercitatione assuetos nunc inferre nunc prohibere finibus Turcarum excursiones, delegerat [1], eo tutiorem audaciam fore disseruit, quo minus ausuros id hostis suspicari posset. Accessere, instructa acie, medio diei, tanta fiducia, ut Eghembergius partem equitatus ad pontem, quem in Culpa [2] amne Turcae navigiis effecerant, quo eorum inclinaturam fugam conjectura judicabat, praemiserit. Nec tamen imparatos nostri offendere. Direxerant enim copias, supremo conatu oppidum invasuri; cum novum a tergo hostem conspexere: in quem, omissa oppugnatione, adeo acriter invecti sunt, ut Vngaros Vsarones (sic enim militum genus appellant) pene averterint. Sed nostri sclopetis ita rem gesserunt, ut ab utroque cornu excussa ingenti plumbatarum glandium grandine, cadentibus ea peste passim Turcis, omnis in fugam conjecta acies eorum fit, tanto quidem pavore instantibus ferociter undique nostris, ut, cum, objecto flumine, alia ad effugium non pateret via, omnes, aliis alios impellentibus, in ipsum flumen, veluti ruina, praecipitarint. Pauci in acie; gurgitibus praealti ac rapidi amnis abrepti fu-

Victi ad Sisacbum Turcae.

dunt, parum diligenter me io iis recognoscendis edendisque versatum esse suspicentur. Ea res facit, ut, diligentiam fidemque meam lectoribus piobaturus, ne a grammaticis quideoi adootationibus aliquando esse uibi abstincuduui existimem. Quid? hie ipse locus: *Qui nostrerum in ea parte Vngariae curabant, ad sex militum millia .... congregarunt*: nonne moltis esse sospectus potest? Quos si monuero, veibum *curare* ab elegaotissimis priscis Scriptoribus Intiansitivorum, ut Grammatici loquuotur, ratione nonnumquam usurpati, idemque valere, ac Rerum, ptaesertim militarium, curaoi habere easque cum imperio admioistrare; (quo modo Sallustius lib. de bello Jugurth. cap. 46. dixit: *itaque ipse cum expeditis cohortibus . . . apud primos erat. in postremo C. Marius cum equitibus curabat.*) qoum hanc plaoissimam senteotiam ex ipso Gratiani loco elicueriot: *Qui e nostris, in ea parte Vngariae, rei militari praeerant, eamque curabant &c.* omni me in eo edendo aut negligentiae aut male fidei crimine ac suspicione liberabuot.

1 Licere mihi putavi autographi *delegerant* in *delegerat* commotare.

2 De Culoa-fluvio vide non Ferrarium aut Baudrandum, qui ne meminerunt quidem, sed Cellariuoi & Federicum Burlamachium S J. in descriptione Croatiae; qui quidem Burlamachius *Kulp* eum, indigenarum vocabulo, appellat. Hujus doctissimi ac diligentissimi Geographi & Genealogi Manuscriptorum scrinia compilasse dicitur nescio quis, cujus geographica ac genealogica volumina cum laude circumferuntur: qua de re nihil eqoidem eaplorati ac certi habeo.

ſupra duodecim millia periere. Atque in his fuit ipſe dux Haſſam Baſſa, & caeteri ferme omnes ordinum ductores. Egregia, ſine ullo noſtrorum vulnere, parta victoria, victoriae fructus, diſcordia ducum, omnis intercidit; ſic, ut oppidum, pro quo pugnatum erat, pene ſine praeſidio relictum, victi Turcae mox occuparint. Non tamen parva, ea die, res ad ſummam totius belli geſta videtur: quod refecti ita noſtrorum animi eo ſucceſſu ſunt, ut, qui antea Turcarum horrebant nomen, poſt eam pugnam contemnere, & appetere ultro cum iis certamen caeperint: ac ſaepe inde, minoribus praeliis congreſſi, victores ſemper abierunt. Non parum profectum, quod refecti animi.





ANTONII MARIAE

GRATIANI

A BVRGO SANCTI SEPVLCRI

DE SCRIPTIS INVITA MINERVA

AD ALOYSIVM FRATREM

LIBER X.





Oc maxime modo, commiſſo irritatoque in Vngaria bello, Amurathes mortem obiit, aucto in oriente Imperio, cum ipſe pedem porta nunquam extuliſſet, adeo libidinibus & vaga delectatus venere, ut ſaepe duodecim uno tempore praegnantes ex ſe pellices haberet. Filios virilis ſtirpis undeviginti reliquit, & parem filiarum numerum, magnam ſucceſſori materiam ſaeviendi. Mos enim Regiae Turcarum, inde ab origine gentis caeptus, nec unquam ab ullo regum intermiſſus, Immanis prorſus & execrandus, tenet, primordia regni a fratrum nece auſpicandi. Ergo Mahometes, extincto patre, vixdum plane conſederat in regni ſolio, cum productos fratres (omnes enim firma cuſtodia attinebantur) ſtrangulari ſingulos, ſe inſpectante, juſſit. In quibus, quod magis abominere, unum ferunt fuiſſe adoleſcentem ſexdecim

Duodequadraginta filii ab Amurathe relicti.

Mahometes Turcarum Rex XIIII.

cim annorum, eximia ac plane virginali forma, cujus, vel in ipso mortis aspectu, tanta eluxit decoris & probitatis indoles, ut ipsum misericordia confuderit regem, qui, arcte complexus puerum, uberes profudit lachrimas, interque eas carnifici necandum tradidit. Adeo apud Barbaros omni naturae jure regnandi cupido potentior! Major prope parentum, quam fratrum immanitas, qui filios, veluti ad carnificinam, procreant, nec eos miseratio ex se genitorum commovet, ut, si minus fortunae, at saltem vitae salutique eorum consulant. Relinquunt suspitioso atque immiti novi regis arbitrio obnoxios; quem nulli parsurum certum habent, veluti paterno funeri Manibusque mactandas victimas: ut lanii filium apud Turcas, quam regis, nasci felicius sit. Atque ita, iisdem exequiis, eodem conditi tumulo pater & duodeviginti filii sunt. Mahometes annos natus undetriginta, in ipso juventae flore iniit regnum, &, patrata fratrum caede, eam vehementis & bellicosi ingenii spem de se concitavit, ut ad omnes Christianos Principes majoris alicujus motus timor afflarét. Quae tamen opinio, ut fere vertuntur Imperio mores, brevi refrixit, delapso juvene ad voluptates, quibus assidue materiam subjiciebat mater, ut filium retineret domi, & a curis gravioribus animum ejus avocaret, quo plus potentiae ipsa raperet: quanquam filii charitas praetexeretur. Hanc mulierem ambitioso ac solerti ingenio esse ferunt. Potita diu viro, ne, aut satietate sui aut amore alterius, a se alienaretur, cantionibus & veneficiis devincire sibi conata erat. Id ad Amurathem, aemularum studio, delatum ingentem illi iram accendit. Vocari eam ad se, atque una acciri carnificem, jubet. Praesentem mortem, si crimen inficiari ausit, denunciat. Illa, advoluta genibus, fatetur, nimio amore prolapsam adhibuisse vetita[1] carmina: nihil tamen noxium attigisse regem; &, ut charitate percitae veniam daret, oravit. Ea confessione lachrimisque placatus Amurathes, prohibitae, posthac in conspectum venire suum, vitam concessit, & consuetudine quidem ejus abstinuit; sed multarum rerum saepe, & maxime novissimi consilii, participem habuit. Cum enim, ingravescente morbo, instare mortem sibi intelligeret, accitam monuit, ut filii Imperio consuleret. Nec illa cunctatur. Primum omnium valida custodia reliquos regis filios circundat, custodiaeque fidos sibi ac filio praeficit, atque ipsa huic curae ma-

Mahometes voluptatibus deditur.

Mahometis mater.

1 Hoc reposui pro autographi *vetita*.

maxime intendit: eodemque tempore nuncios, summa celeritate, mittit ad filium, eumque protinus Byzantium adcurrere [1] jubet. Sic ille, & agente adhuc animam patre, adfuit, & fratres ad unum omnes in potestate habuit. Tanto matris beneficio devinctus inde ab initio muliebribus consiliis agi caepit, quibus delinitus, paulatim desidiae cessit, & , quicquid fuit probae in eo indolis, elanguit. Vngaricum quidem bellum urgere est visus. Verum, quod pater avulsque fecerant, praefectis gerendum mandavit. At, arte matris, si quid adversi nunciaretur, celabatur, si quid secus, majus vero audiebat. Hinc fere ad faeminam omnia referri, omnia arbitriis ejus parere, nec temere quisquam contra voluntatem illius tetendisset. Nam brevi, alii alia de causa, summoti omnes sunt, quorum aut emineret gratia, aut suspecta illi consilia virtusve essent: & imperia, provinciae, belli pacisque munera procurationesque non nisi per ipsam [2]. Vni, praeter caeteros, indulsit Habraimo, genero suo, homini non beneficiis solum, sed Ingenio quoque obnoxio, qui, ut caetera sileam, uxoris manifestam impudicitiam ita ferebat lente, ut, cum adolescentem, forma excellentem, illa deperiret, & viri preces apud matrem obtinuissent, ut is, per speciem honestissimae praefecturae, Byzantio amandaretur, idem mox uxori, muliebri habitu, pro ancilla dono sit datus, &, ut charum, praeter caetera, mancipium, assidue cum domina esset, intelligente ignominiam Habraimo & dissimulante. Ab hoc merito unus arbiter publici consilii, unus regii anuli custos (quod est apud Barbaros, secundum regem, summae potentiae atque amplitudinis munus) unus Vngarico bello, maxima cum potestate, praepositus. Regi a matre, conquisitas magno studio per omnes Imperii provincias, maxime decoras virgines subinde dono ajunt mitti: & illum, suarum rerum fere ignarum, aut venationibus aucupiisque dare, quod libidinibus eximit temporis, aut amenitates hortorum villarumque captare, & bellicis tormentis majoribusque bombardis explodendis, peritis cum hominibus, plurimum operae impendere, & mire laetari vasto coeli sonitu tonitribusque, qui, admoto pluribus uno tempore igne, maximi ac terrifici ex ipso aëris ac maris repercussu eduntur. Id assentatores ejus laudi illi vertunt, quasi ab militari ingenio militaria, etiam

per

Matris beneficio devinctus.

Matris potentia.

Habraimus.

Mahometis studium.

1 Praeter librarii consuetudinem *adcurrere*, non *accurrere* scriptum in autographo est.

2 Nihil habet praeterea autographum. Desiderari tamen aliquid videtur.

per ludum & oblectationem, attrectet. Caeterae luxuriae epularum quoque adjecit studium; & fertur plurimi esse cibi, eosque [1] illi, cum exquisitos & varii generis, tum varie conditos, apponi, quibus plerunque ita oneratur distenditurque, ut neque stare aut incedere nimio pondere gravatus possit, & deponi in lecto jacereque periculosum videatur. Sedens pulvinis nititur, donec exhalet crapulam, onusque subsideat. Interdum & vomitione levatur. Vino ob religionem abstinet, non tamen temulentiam vitat. Didicere enim Turcae in adulterium vini condire aquas, variare saporibus, & pretiosis succis ita inficere, ut, cum vinum non sit, vini tamen vim habeat, nec potu minus suavem, neque ad inebriandum minus efficacem. Nam, & arte quaeritur, quo mens nobis minuatur, atque adeo omnia occupat luxuria, ut ne aquas quidem, communem omnibus animantibus potum, expertes sui relinquat. Ab hac intemperantia contracta pinguedine, generandi vim perdidit: nec, in tanta pellicum lectissimarum copia, ac tam immodico veneris usu, liberos, pluribus jam annis, suscepit. Duos tamen habet, ante adeptum regnum ortos. Atque hoc corpore manat spiritus quo tot populi, tantum Imperium regitur. Hunc hostem quod plures jam annos sustineat Rodulphus Caesar, supergressus majorum suorum gloriam praedicatur, qui semper Turcicis armis succubuerunt, nec stare diu contra, nec ipsum diu ferre bellum quiverunt, quotannis infidam pacem, aut pace infirmiores inducias redimere, indigna tributi solutione, coacti: quanquam ipsi, ad leniendam nomine ignominiam, non tributum, sed dona, mitti Byzantium ab se, credi volebant. Rodulphus autem non sustinet modo Turcicum bellum potentia minor, sed adempta majoribus suis nobilia quaedam oppida prospere recepit: &, cum illi Transilvaniae regi, Turcarum beneficiario, pares saepe non fuerint, hic Transilvaniam ipsam, validam & opulentam provinciam, pene ditioni suae subegit [2], amentia quidem ac levitate Sigismundi Bathori, sed Turcis tamen invitis, qui eam sibi, ut suam, vendicant. Sed tamen si fateri, quod res est, volumus, egregium par regum videtur fortuna contulisse. Certe, uter vicerit, nemo victoriam virtuti arroget. In dispari virium certamine par

Turcae aquas condiunt.

Rodulphus Caesar.

1 Mallem *easque ... exquisitas ... conditas*: ut omnia ad *epularum* referrentur. Sed contra stat autographum. Subaudiendum est igitur *cibos*.

2 Quum voci *subegerit*, quae est autographi, nullum hic esse locum viderem, repolui *subegit*.

praeliis & congressu Christiana res plerunque superior. Itaque, quod supra attigimus, & ad summam rei magnopere videtur pertinere, adepti sumus, ut hostem spernere milites nostri didicerint, contractumque, tot annorum adversis rebus, metum, abjectum ab se, omnem incusserint hosti. Turcae ad Sisachum, ut supra memoravimus, & ad Filechum a Taisembachio & a Palfio & Nadasto Vngaris, atque item ab aliis saepe vapularunt, & Vesprino, Tata, Papa, Pallota, & in Croatia Sisacho, Petrina, Castroniza aliisque ignobilioribus oppidis sunt pulsi. Sinam Bassa, vetus dux, qui Vngaricis rebus cum imperio praeerat, ut suorum animos, crebris magis, quam magnis, praeliis profligatorum, restitueret, & nobili aliquo facinore accepta incommoda nobis reponeret, ingenti comparato exercitu, in quo supra centum & quinquaginta armatorum millia habuisse dicitur, ad oppugnandum Javarinum in ultimos Vngariae fines, qua ipsi Austriae junguntur, castra movit. Quo redacto in potestatem oppido, & perrupta Germaniae claustra, & munitum Turcis ad invadendam Viennam aditum, & Posonium, & insulam Danubii, cui nomen Comari, urbemque in insula brevi accepturam jugum sperabat. Nec erant hae callidi senis vanae spes, nec nostros haec consilia fallebant. Eo intentius, ad defensionem ejus, duces incubuerant. Non enim solum magnis operibus, ut poscere usus videbatur, muniverant, sed validum quoque Ger-

Sinam Bassa Javarino imminet.

Munitur Javarinum.

Mm ma-

1 Pag. 266. At non ibid. in adnotationibus dicere omiseramus, eo nomine nullum reperisse me apud Geographos oppidum. Ferratius quidem aliter appellat. „ Siscia, *inquit*, Syscia Straboni, *Siseg*, teste Joanne Sambuco cum aliis, & *Sisech*, urbs olim Episcopalis Pannoniae superioris, ad Colapis fluvii cum Sao confluentiam, nunc pagus cum coenobio ad Segesticam insulam, ex adverso Zagabriae urbis, quae illi suffecta est, vix milliario Germanico distans, sub Archiepiscopo Colocensi. Ejus meminit Prudentius in Ode ad Quirinum martyrem Peristeph. hymn. 7. &c. „

Christophorus item Cellarius in descriptione superioris Pannoniae: „ Siscia, *inquit*, nunc pagus *Sisek* Croatiae, & huic vicina *Segesta*, Augusti munimentum, unde *Segestica* insula Savi cognominata est. „

Denique diligentissimus Butlamachius in sua Geographia MS. „ Sirsech, *inquit*, o Sigech, Fortezza, già città Episcopale, detta in Latino *Siscia*, è posta al confluente de fiume Kulp nel Savo, nell' isola detta già Segestica, formata da questi due fiumi. Già era buona città, ma fù rovinata. Fù il Vescovado trasferito a Zagabria, e fortificato poi dagli Imperiali il luogo; non rimanendo, che una piccola terra, con un Monastero, soggetta al Capitolo di Zagabria. Fù assediato da Turchi nel 1593 con 12000 soldati. Ma dal Generale Egemberg furono con molta strage disfatti. Poco dopo però, fù facilmente occupata da' medesimi e demolita, per temenza di non poterla difendere. Da' Cesarei è stata poi ristorata. „

manorum praesidium imposuerant. Et, cum forte duo delectorum militum millia, petente Caesare, Ferdinandus, Magnus Aetruriae Dux, ad id bellum misisset, & cum iis Joannem fratrem, pellice natum, cui juveni Caesar, ob excellentem virtutem & eximiam faciendorum operum & omnis militaris disciplinae scientiam, tormentorum totius exercitus praefecturam, quae in primis honesta amplaque in castris habetur, mandaverat, rogati Aetrusci sunt ab ducibus, ut, quando tantum momenti ad universum bellum in illa conservanda urbe positum esset, intrare Javarinum, & paribus consiliis cum Germanis defendendum suscipere, ne gravarentur. Alacriter est obtemperatum. Atque hi quidem & spem & fidem & virtutem suam egregie probarunt. Non Joannes modo Medices ab Aetruria, sed Antonius item Medices, Francisci, Magni Ducis, filius, ne ipse quidem justo matrimonio natus, & ab urbe Roma Virginius Vrsinus, Pauli Jordani filius, Ferdinandi sorore genitus, adolescens eximiae virtutis & Romanae Juventutis facile princeps, ad exercitum voluntarii milites venerunt; uterque egregia cum manu sclopetariorum, qui ex equis jaculabantur; uterque magno in honore apud duces exercitus erat. Christiani exercitum omnem in insulam Comaris coegerunt, & dabant operam, ut quotidie novis copiis augeretur. E regione hujus insulae, in adversa Danubii ripa, Javarinus est situs, qui & Rab, a flumine, quo, veluti circino, circundatur, dicitur. Comari ac Javarino alia minor interjecta est insula, praelonga ad quindecim millia passuum, quatuor lata. Hanc nostri cum universis insederant copiis, & ponte, navigiis facto, junxerant flumen; eoque ponte & summittere obsessis auxilia & libere commeare in urbem, nullo ab hoste periculo, poterant. Sinamus, urbem undique castris operibusque amplexus, quatere quidem tormentis maenia, & multis locis dejicere instituit, & speciem brevi oppugnaturi praebere, sed id ipsum adeo segniter, ut magna omnes suspitio incesseret occultae alicujus fraudis; cujus homo vaferrimus maturum tempus opperiretur. Sed ille statim, contemplatus loci totius ingenium, intellexerat omnem frustra conatum fore sibi, nisi insula, quam insederant, nostros expulisset. Tartaros tranare in equis, quantum vis magna flumina, longa exercitatione in Borysthene Tanaique, edoctos, magnis saepe agmina in insulam misit, qui certamina cum nostris fererent, non proficiendi spe (quippe, munitionibus, quas firmandae insulae no-

Joannes Medices.

Itali Javarinum intrant.

Antonius Medices.

Virginius Vrsinus.

Christianorum ratio defendendi Javarinum.

Sinam Bassa nostros Comari expellendos statuit.

nostri excitarant, tentandis, minime idoneum genus) sed quo sua consilia a nostris minus intelligerentur. Et Tartari quidem semper effusa fuga, quasi equorum greges, non equites, in flumen a nostris sunt acti. Donec Sinamus, mane summo, ducentos delectos ex omni numero milites, majoribus armatos sclopis, quos Moschetos vocant, navigio trajecit, & Germanorum munitiones invadere jussit. Germani, visis Turcis, ne tentata quidem defensione, subito pavore perciti, deserta statione, se in fugam proripiunt, & Turcae loco sine certamine potiti, majora tormenta, quae, arcendis a flumine hostibus, idoneis locis locata erant, statim avertere in nostros. Et acceptum majus aliquod incommodum foret, nisi, re cognita, Joannes Medices cum expedita Italorum manu accurrisset, monitis Vngaris, ut se consequerentur. Fugientes Germanos, quos obviam habuere, neque ignominiae denunciatione, neque ullis precibus permovere potuerunt, ut in praelium redirent, aut omnino sisterent fugam. Sed Itali, elati spe ingentis gloriae, si amissas, Germanorum ignavia, munitiones, in quibus exercitus totius salus verteretur, sua ipsi audacia virtuteque recepissent, acerrima impressione facta, hostes loco dejiciunt, adeo male multatos, ut ex ducentis vix viginti incolumes ad suos redierint; reliquos aut pugna absumpserit, aut trajicientes appetiti sclopis ab collineantibus ex superiori loco vulnerati atque occisi sint. Horum clade perterritae duae naves, quae subsidio suis flumen transmittebant, pari fuga se receperunt. Redeuntes, re tam fortiter ac tam prospere gesta, Italos Matthias Austrius, Caesaris frater (is cum imperio rebus praeerat) ac caeteri item duces magna gratulatione atque laudibus exceperunt, & ante alios Joanni ipsi & Francisco a Monte gratias ingentes egerunt, quod rem, pene perditam, felici celeritate atque virtute restituissent. Sinamus, pulsis ab insula suis, acrius, quam antea, oppugnare urbem instititit: adversus quam facile apparuit, irritam omnem vim fore; tum defensorum virtute, qui, non contenti maenia tueri, etiam eruptione saepe prospere pugnarant, tum opportunitate subsidiorum, quae ab insula, ut usus posceret, summittebantur. Itaque Sinamus animum ad pristinum consilium suum evadendi in insulam, & inde expellendi Christianos retulit. Apud quos etsi augeri in singulos dies vires intelligebat, tamen locum sibi bene gerendae rei aperiri posse sperabat, cum ex dissidio ducum, nihil magnopere in medium consulentium, tum ex Matthiae

Germani munitiones metu deserunt.

Itali desertas a Germanis munitiones recipiunt.

Sinam Bassa iterum Javarinum invadit.

ipsius exiguo bellicae rei usu, & haudquaquam satis constanti adversus aspera atque ancipitia animo. Majori igitur conatu rem aggredi statuens, vixdum satis albescente die, eductis omnibus copiis, directam e regione insulae in sua ripa aciem ostendit, & simul navigia aliquot cum validis sclopetariorum cohortibus appellere ad munitiones Germanorum jussit. Nondum conati exire in littus Turcae erant, cum Germani eodem, quo superioribus diebus, impulsi metu, faeda fuga se munitionibus ejiciunt. Quibus potiti Turcae dant signum suis: atque illi extemplo alia atque alia navigia armatis militibus complent summittuntque. Ita, priusquam a nostris procurreretur, justae hostium copiae trajecerant, & tormentis ex munitionibus, & majoribus sclopis acerrime rem gerebant, & novae interea peditum equitumque manus, & Tartarorum ingens multitudo tranaverat. Nutabat in re trepida apud nostros imperium, & nihil satis expediebatur. Joannes & Antonius Medices & Virginius Ursinus cum suis prorupere. Et Virginius, qua maximum discrimen ostendebatur, feroci equa invectus, animis atque armis insignis, avertit in se hostium oculos. Itaque, undique appetitus, gemino vulnere sclopis excussarum glandium, lethaliter sauciatur. Alterum ei sinistram manum, qua frenum regebat, abstulit; altero per costas in pectus adacto telo trajicitur, atque aegre praelio aufertur. Nam, qua vehebatur, equa tribus trajecta glandibus, vix relato ad tentorium domino, concidit. Antonius quoque, majoris tormenti globo tactus, equo dejicitur, &, magno periculo, a suis servatur. Jam, perturbatis rebus omnibus, omnia fugae ac terroris plena erant apud nostros: & Matthias excesserat insula, & quisque sibi pro ingenio consilium capiebat; & Turcae pene plures, quam caperet locus, transierant; & haud dubie potiti insula erant; & Tartari, saevi turbinis instar, cuncta caedibus, rapinis, incendiis miscebant; & nostrorum plerique non solum ab insula, sed a bello quoque dilabebantur. Nam equitatus Germanorum [ad novem millia fuisse dicuntur] Matthiae ipsius caeterorumque rejectis precibus, alii alia causantes, domum abiere: & equitum contumaciam pedites quoque imitati sunt. Quae res ducum magnopere turbavit animos, ac, nisi instantem autumnum hostis timuisset, ab capto statim Javarino in ipsam Austriam atque Germaniam belli clades transtulisset. Qui Javarini obsidebantur, primo nihil territi adverso exercitus casu, & promissis Matthiae confirmati, brevi se cum novis subsidiis adfuturum recipientis, fortiter op-

Germani iterum munitiones deserunt.

Virginius Ursinus vulneratur.

Insula Turcae potiuntur.

pugnationem, quae acrior in dies asperiorque erat, tulerunt. Sed, cum arctius premi essent caepti, Germani seditiose flagitare [1] a ducibus, ut saluti militum consulerent: se labore & vigiliis enectos, & debilitatos vulneribus, ultra tolerare bellum non posse. Ferdinandus Ardechius, unus e Moraviae Principibus, qui praesidio praeerat, has voces non solum non compescere est visus, sed clam fovisse, vel ex eo affirmare licet, quod postea causam ex vinculis dicere est coactus: damnatusque, objecta sive ignaviae, sive, quod creditum est, occultae cum hoste pactionis crimina capite luit, & Viennae, foro medio, securi est percussus. Aetruscis, qui pariter in praesidio agebant, praeerat Ferdinandus Rubeus a Sansecundo. Is, cum frustra conatus esset Germanos ab tam praecipiti faedoque consilio deducere, de suorum omnium sententia, Ardechio Germanisque palam denunciavit, idque etiam in publicas referri tabulas jussit, per Italos non stare, quo minus urbs ad ultimum usque defenderetur. Illi, sueta genti pertinacia, simul denunciationem, simul preces nostrorum repudiarunt; &, qui cum hoste transigerent, miserunt. Conventum, ut omnes cum armis ac rebus suis, militari more canentibus signis, exirent. Sed Turcae, pactorum neglecto jure, Germanos, praeter Ardechium & alios paucos, rebus armisque exutos contumeliose dimiserunt. Italos, nulla violatos injuria, honestissime appellatos, abire sunt passi. Adeo splendore suo virtus Barbarorum quoque & hostium oculos perstringit! Vnus e Turcarum ducibus, cum praetereuntem Italum, insignibus atque fulgentibus tectum armis, conspexisset, perhumaniter illum rogavit, ut sibi illa arma, accepto, quod petiisset, pretio, traderet. Ille vendere arma negavit esse Italici moris, si dono accipere vellet, libentissimo animo daturum. Turca, acceptis hilariter armis, sibique circundatis, vicissim Italum coegit, pernobilem equum, quo insidebat, ab se dono accipere. Hoc idem, multis ante annis, ad Albam Regalem accidisse, proditum scriptoribus est. Capto Javarino, cum quo supra centum & quinquaginta aenea tormenta majoris formae amissa sunt, magnum imminere discrimen Viennae ipsi Austriaeque videbatur, nisi unius hominis felix solersque audacia gentem ab ea peste vindicasset. Fuit is Suarzembergius Belga, experientis maximeque efficacis ingenii vir, qui citeriori Vngariae a Caesare praepositus, diu insidiatus Javarino, felici tandem astu caepit.

Germani dedi Javarinum postulant.

Ferdinandus a Sansecundo Italorum praefectus.

Javarinus a Germanis deditur Turcis.

Suarzembergius Javarinum dolo recuperat.

[1] Ita est in autegrapho; subaudiendumque *caeperunt*.

pit. Idoneos nactus homines, Turcicae linguae peritos, mediam circa noctem adequitare maenibus Javarini jubet. Quaerentibus vigilibus, quinam essent, venire ajunt Javarinum, Buda profectum, praesidii supplementum; seque praemissos, ut explorarent iter, Javarinensibusque nunciarent. Monent praeterea, ut diligenter custodiae intenderent: interceptos enim ab se agrestes quosdam, de quibus cognovissent, non longe inde Christianorum manum cogi, incertum, quo profecturam quidve acturam. Dum his sermonibus detinentur vigiles, auditaque praefectis suis renunciant, Suarzembergius tormentum aeneum, quod ab inventoribus Gallis Petardum vocitatur, nihil sentientibus Turcis [& stridens ab Aquilone ventus auditum auferebat] proximae portae applicuit; atque indito igne, tam subita vi omnia obstantia perfracta patefactaque sunt, ut ante irruperint Christiani, portamque & aditus viarum occuparint, quam, quid ageretur, Turcae intelligerent. Ita, caeso aut capto praesidio, Javarinum in Christianorum potestatem, magna Suarzembergii gloria, rediit. Rarum apud Turcas, ac pene religiosum, possessam semel urbem amittere. At, hoc bello, non haec modo adempta furto est, sed Strigonium, opulentum oppidum, & caput olim Vngariae, ubi Archiepiscopi & Sacrorum principis sedes fuit, quod, quinquaginta amplius annis ante a Solimano captum, magnis operibus munierant Turcae, recepimus. In praealta Danubii ripa situm, ita munitionibus praesidiisque firmum habebatur, ut expugnari posse Turcae non crederent. Carolus Mansfeldius, insignis Germanorum dux, & Belgicis bellis exercitus, magno animo est aggressus. Et auxilio venientibus Turcis cum parte copiarum ita occurrit, ut, sex eorum millibus occisis, reliquis profusa fuga dissipatis, nihil obsessis, praeterquam in dextris, spei reliquerit. Et, capta inferioris urbis parte, in arctum eos redegisse videbatur: qui tamen, saepe honestissimis conditionibus ad dedendam urbem a nostris invitati, ne mentionem quidem ejus rei auribus admittebant, non munitione loci magis, quam virtute militum, fiduciam faciente. At Mansfeldio generosi fortisque consilii eventu frui non licuit. Nam ex labore atque aestu praelii, quo hostes a subsidio ferendo arcuerat, saeva febri correptus, paucis diebus morbi vi oppressus, interiit; magno Christianorum omnium dolore. Tantum ille spei eo bello commoverat sui, non victis modo saepe hostibus, sed collapsa apud Germanos militari disciplina, severitate regendi, pene restituta. Etsi morte ducis turba-

Carolus Mansfeldius Strigonium invadit.

Mansfeldii mors.

tae

tae res erant, placuit tamen in incaepta obsidione perseverare. Et jam transiverant alpes decem Italorum millia, quos Pontifex Max. auxilio Caesari mittebat. Hi cum appropinquarent, & biduo adfuturi dicerentur, tantum livoris ex eorum fama atque expectatione incessit Germanorum militum pectora, ut per praefectos renunciari Matthiae Austrio caeterisque ducibus jusserint, cum suo atque Vngarorum labore obsessum oppugnatumque plures jam dies Strigonium, & capta inferior pars ejus, & copiae, obsessis auxilio venientes, praelio ab se exceptae, & sua virtute, suo sanguine profligatae caesaeque forent, aequum sibi non videri, in partem alienae gloriae admitti Italos. Itaque, nisi illi oppugnatione urbis abstinere juberentur, se protinus, sublatis signis, domum abituros. Stomachari tam indigna denunciatione duces. Quid enim? Contendisse summis precibus Caesarem, ut eam manum a Pontifice Max. impetraret, in eaque spem patrandae victoriae maxime reposuisse; &, cum sumptu ingenti tam longe ab domo adducta esset, eorum praesentium sperni opem, quos absentes tantopere expetissent? Id vero, cum extremae dementiae, tum barbarae malignitatis omnibus videri. Disserebant praeterea, Germanum militem sicuti stabilis pugnae laude praestaret, ita ad expugnationem urbis in arduo, & ad ascensum, vel sine hostium oppositu, difficili loco sitae, illa corporis habilitate agilitateque carere, qua Itali in primis commendarentur. Ita duces, pro se quisque, increpare Germanos, &, nihil actum ad eam diem, dicere, ad expugnationem tam munitae urbis; integrumque superesse laborem, cujus socios, ipsos per se brevi desideraturos: non esse, cur vererentur, ne locus iis testandae virtutis non daretur, cum pluribus simul locis oppugnanda urbs foret: at indignum gloria Germanici nominis esse, eos alienae virtuti videri invidisse, qui jure fidere suae possent: quin fortia eorum facta, praesenti aliarum gentium comparatione, clariora illustrioraque fore, si, quam deberent & consuessent, operam absenti Caesari, praesenti fratri ducibusque suis navassent. Per haec partim correptis, partim demulsis animis, sedatus omnis Germanorum motus est, & Itali perhonorifice hilariterque in castra accepti. Quibus deprecantibus, ut statim pugnam inire atque urbem invadere liceret, libentibus omnibus est concessum. Jam enim, studio atque disciplina Joannis Medicis, perfracta tormentis maenia dirutaque, & patefactus per ruinas in urbem aditus. Sed adeo difficilis sua

Germani Italorum adventantium opem aspernantur.

Corripiuntur a ducibus Germani.

Difficilis Strigonii oppugnatio.

ſua ſponte aſcenſus erat, ut milites, vel ſublevantibus aliis alios, aegre tamen conniti per arduum poſſent: & hoſtes, non ſolum tormentis, ignibus teliſque aliis, ſubeuntes arcebant, ſed (quod faeminis aſſignaverant opus) ingentia dejiciebant ſaxa, quibus plerique noſtrorum vulnerabantur provolvebanturque interdum una praecipites per devexum abrupti clivi. Germani eodem tempore diverſa in parte caeperant pugnam, & ſubire conati, pari telorum omnis generis multitudine obruti, vix ad ipſas progreſſi ſunt montis radices; &, qui nuper victoriae ſocios ſuperbe reſpuerant, omnium primi praelio deſtiterunt. At Italis, promptiſſimo quoque ſuorum occiſo aut vulnerato, cum neque rem omittere vellent, & pugna cum iniquitate loci aſperior pene, quam cum ipſis hoſtibus, eſſet, neceſſe fuit, ad retinendum, quod adepti fuerant loci, tabulatis pulpitiſque, adverſus ſuperne adactos ictus, ſe communire, noctemque ſub iis agitare. Atque ita, labore ac pertinacia, quotidie aliquid progrediendo, ad ipſam brevi crepidinem foſſae pervenere. Et jam pene ex aequo, aut certe ex propinquo, cum hoſte manus conſerebant: & potiti loco, quem hoſtes validis operibus muniverant, inde ſcloporum ac moſchetorum aſſidua grandine conſiſtere in maenibus neminem patiebantur, videbanturque in ipſam jam jamque evaſuri arcem. Ea res fregit fiduciam pertinaciamque Barbarorum, non nihil ante Italorum adventu, quos ad viginti millia eſſe rumor ad eos pertulerat, concuſſam; ut cogitare & mox agere de deditione caeperint. Initio ferunt, unum e Turcis gnarum Italicae linguae e maenibus ita noſtros compellaſſe: „ Quid vos, Itali, viri „ fortes, ad opem ferendam Germanis, hoſtibus veſtris, „ veniſtis? Ecquid intelligitis, hos a vobis & a Chriſtia„ norum Sacrorum jure alieniores eſſe, quam Turcas? Quin „ vos temulentos atque ebrioſos iſtos noſtris caſtigari dex„ tris ſinitis? „ Cum reſponſum honorifice atque amice pro Germanis, & minae adverſus victos additae, & rejecta deditionis mentio eſſet, miſere Turcae ad Germanos ipſos, qui de tradenda urbe agerent. Quanquam ea de re diſcepta-

1 Dormitanti ſive Gratiano, ſive librario exciderat *quod hoſtes* Repoſui *quem hoſtes*. Contra in libro I. pag. 19 autographum exhibet *hunc quoque jugum*: ubi *hoc quoque jugum* emendavi. Magni etiam Scriptores, homines ſunt. Paullus ipſe Manutius in Commentario Orationis pro Caecina pag 794. edit. Colon. Agripp an 1579. nonne ſcripſit: *ad eum enim verbum* ... .*referuntur*? Ajo, vix unum aut alterum ex recentioribus reperiri, cui non tale aliquid aliquando exciderit. Habeo exempla: quae proferrem, niſi indoctorum vecordiam doctorum hominum auctoritate corroborari nollem.

ptatum magnopere inter eos fuerat; contendentibus quibusdam, ut ad internicionem omnium pugnaretur. Sed, intercedentibus uxorum liberorumque precibus lachrimisque, valuit mitior sententia, ut, quoniam defendi ultra oppidum non posset, & subsidii spes nulla ostenderetur, redderent illud Germanis; quando Itali aspernari viderentur: contestante Bassa, qui Turcis praeerat, sibi pene septuagenario actam aetatem esse, &, quod non abstulisset bellum, brevi naturae exolvendum: itaque nunquam se fuisse commissurum ut urbem, fidei suae a rege traditam, vivus amitteret, nisi, adverso fato compulsus, maluisset saluti tot fortissimorum militum, qui supererant [ad mille quingentos fuisse ajunt] quam famae suae consulere. Deditionis formula fuit, ut Turcae falcatis suis gladiis succincti, cum eo, quod quisque secum ferre posset, exirent: & cum fide omnes impositi navibus Budam deveherentur, manentibus apud Christianos obsidibus, donec missae naves rediissent. Ita Strigonium, quinquaginta annis postquam captum a Solimano fuerat, in Christianorum potestatem rediit: cum, nunquam ante accidisse ab ulla annalium memoria, periti rerum disserent, ut nobilis urbs, semel capta possessaque a Turcis, atque armis erepta illis fuerit. Egressis Turcis, Germani urbem intrarunt, quaeque reliquerant hostes, avide diripuerunt. Ita ad Italos ex victoria, eorum potissimum virtute, quod omnes fatebantur, parta, nihil, praeter gloriam gestae rei, pervenit. At, non quemadmodum interceptum laborum ac vulnerum suorum praemium aequo animo tulerunt, ita impium atque execrandum Germanorum Haereticorum facinus inultum passuri fuerant, nisi ducum auctoritas eos pro disciplina continuisset. Templum est Strigonii maximum, ac totius Vngariae nobilissimum, atque insignis olim opulentiae: quippe Archiepiscopale hic solium, & sacerdotum ad cultum divinarum rerum ingens numerus, & magnae divitiae fuerunt. Id Turcae, seu tacti religione, seu reverentia tam insignis operis, servarant incolume, ablatoque auro atque argento & caeteris, quae fere militari avaritiae cedunt, nulla praeterea re violarant. Manebant arae, & in aris candelabra crucesque & pleraque Sacrorum instrumenta, & intacta Christi Dei, Virginis Genitricis aliorumque Divorum simulacra. At, quibus & Barbari & hostes pepercerant, totque annis integra impollutaque reliquerant, ea Germani milites (proh turpe nefas!) statim comminuerunt, manibusque impiis alia dejecerunt ter-

Deditur Strigonium.

Nefarium Haereticorum facinus.

raeque affixerunt, aliis oculos eruerunt, aliis os gladio prosciderunt, alia aliter deformarunt violaruntque. Quod scelus tantum Italis ac bonis omnibus irarum commovit, ut, nisi se duces objecissent, & Matthias quaestionem ea de re haberi jussisset, periculum fuerit, ne hae inter se nationes armis concurrerent. In eo tamen templo, purgato prius riteque expiato, catholico & Romano more, solemni caeri-monia, res divina est facta a Matthaeucio Archiepiscopo, Pontificis Max. Quaestore [1]. Post Strigonium, Visigradum, in eadem Danubii ripa, & Vaciam, Episcopalem urbem, haud longe a Pesto Budaque, nostri caepere. At, insequenti anno, ad acceptam ignominiam abolendam, reponendamque nobis, Mahometes ab Asam Bassa incitatus inductusque, quamquam adversante matre, ipse interesse bello voluit; profectusque est majori opulentiae atque voluptatum apparatu, quam armorum. Quin, eum narrant, cum profectionem ardentius adornantem una pellicum, matris instinctu, atque gratiae fiducia, deducere de sententia & pertinacius retinere conaretur, impotenti percitum ira, stricto gladio, illam miseram transfodisse; & mox, paenitentia facinoris, atque extinctae desiderio, ita conflictatum, ut & cibo abstinuerit, & muliebriter in fletum atque lachrimas ierit. Profectus igitur caepit quidem ille in superiori Vngaria Agriam, nobilem & permunitam urbem: sed, nisi dux eo bello exercitui nostro defuisset, plenam de eo victoriam relaturi fuisse videmur. Suppetias obsessis & laborantibus Agriensibus allaturi nostri comparaverant exercitum, junxerantque vires, & moverant ad hostes castra, eo consilio, ut aut liberarent obsidione Agriam, aut, si fortuna daretur, de summa belli, nobili praelio, cum Turcis decernerent. Amissa urbe, consedere nostri non longe ab hostibus, loco maxime opportuno, qua redituris iter erat. Frontem lateraque castrorum ambibat palus. In tergo amica omnia tutaque erant, unde commeatus abunde in castra comportabantur. Palus ad hostem versa transiri, praeterquam uno in loco, angustis faucibus incluso, non poterat. Fauces ipsas nostri, excitatis ex usu munitionibus, tormentis ac firmis stationibus impenetrabiles fecerant. Et fuisse in iis castris ad sexaginta millia optimorum militum, partim peditum, partim equitum, ajunt: valida & raro in unum coacta manus, si rectorem habuisset. Praeerat cum imperio Maximilianus Austrius, Cae-

Mahometes interesse bello statuit.

Agria capta.

Nostrorum castrorum ad Agriam situs.

Maximilianus Austrius Caesaris frater.

1 Autographum *quaestori* retinet.

Caesaris frater. Turcae de adventu nostrorum certiores facti, quod ex dignitate praesentis & rem gerentis regis esse duxerunt, statim, relicto, quantum res poscebat, Agriae praesidio, adversus nos movent, & castra castris conferunt. Ratio haec erat belli, ut, si nostri se loco, ut oportuit, continuissent, Turcae cogerentur aut castra nostrorum, iniquissima pugnae conditione, invadere, aut inde, magno discrimine, instantibus a tergo & postremum agmen carpentibus nostris, abire. Neque enim suppetere illis necessarii commeatus ultra triduum poterant. Morte tristius rati in oculis novi regis tantam subire contumeliam, postera die decem millia delectorum equitum, sex peditum, ad oppugnanda nostrorum castra, mittunt. At nostris adeo ex tuto certamen erat, ut, intrare angustias hostes, quo inde iis impeditior fuga esset, ultro sinerent. Ingressos, tormentorum

Ratio belli:

Turcae nostrorum castra oppugnant.

1 ***Moveri***, nullius vocabuli adjuncto casu, non modo latinum, sed etiam Ciceronianum est Cic ad Att. l. 9. ep I. „Postquam ille (*Pompejus*) Canusio moverat. „ Casus aliquando addi, vulgatum est. Idem l de Divin cap 77 „ Cum Arretium versus castra movisset. „ Juvenalis Sat. 8. v 11. „ Si dormire incipis „ ortu Luciferi, quo signa duces & „ castra movebant. „ *Moveri* autem loco quid sit apud eundem Ciceronem oratione II. in Catil cap 1. non seque vulgatum: et mihi certe cum Mureto de loci illius „ Loco ille mo„ tus est, cum est ex urbe depulsus „ interpretatione non convenit. Quam quidem controversiam quoniam semel attigimus, sane, sed breviter, explicemus. *Loco motus*: „ id est, inquit „ Muretus, *de statu dejectus* Quem „ enim locum sibi quisque ad dimi„ candum cepit, is et a Graecis *στάσις*, „ et a Latinis *status* dicitur &c „ Vult igitur Muretus, militiae similitudinem sequutum Ciceronem, *loco motum* de Catilina dixisse, tanquam de milite, qui, in pugnando, adversarii in se irruentis impetum minime sustinens, loco, in quo primum institerat, non tenuerit, retroque cesserit. Sed mihi aliter videtur. Non enim Cicero de ulla cum Catilina inita jam pugna, sed de bello, cum eo, ex urbe jam pulso, suscipiendo commemorat. „ Loco, *inquit*, ille motus est, cum „ est ex urbe depulsus. Palam jam „ cum hoste, nullo impediente, bel„ lum justum geremus. „ Nisi *loco motus* Catilina ante fuisset, cum eo geri justum bellum nequaquam poterat. Cur? quia cum cive nullum justum est bellum. Prius igitur *loco moveri*, hoc est, civitatis locum jusque civis amittere Catilinam, fierique seu declarari hostem oportuit, quam bellum justum cum eo suscipi posset. Infra cap 3 „ Rem huc de„ duxi, ut tum palam pugnare pos„ setis, cum hostem aperte videre„ tis. „ Quamdiu in urbe Catilina fuit, pro cive se gerebat quum a Cicerone in Manliana castra invitatus ex urbe abiit, excessit, evasit, erupit, ad Manlium properans, tum civia se jure abdicavit, patriaeque hostem professus justa in se Romanorum arma provocavit. *Locum* autem dici eum, quem quisque in civitate tenet, ordinem numerumque, omnes sciunt. unde illa *nobili*, *summo &c.* contraque *obscuro*, *infimo &c* loco natus *Loco* vero *moveri* ita dictum est, quemadmodum *movere tribu*. Cicero Lib. II. de orat. cap. 272 Livius lib. 53 cap. 52 & *movere senatu* idem Cic. pro Cluent. cap. 122. dixit.

rum atque glandium procella in confertos excussa, magnum eorum numerum sternunt, ac trepide refugientes reliquos, densata horrentique hastatorum acie propellunt atque extra fauces extrudunt, illatique impetu, caedendo terga, usque ad hostium castra insequuntur. Turcae, suorum perspecta fuga pavoreque, &, adesse cum omnibus copiis victorem Christianum, arbitrati, ita perturbantur, ut, qua quenque metus egit, omnes capesserent fugam, castrisque se passim ejicerent. Ipsum regem quatuor admodum millia militum, receptum in medium, periculo, quantum possunt, proripiunt, & in proximum collem subducunt, frustra, quem armis nequirent, loco defensuri, si contra militiae morem peccatum a nostris non foret. Qui, cum in castra hostium strenue irrupissent, tanquam, iis deletis, nihil superesset pugnae, ad praedam vagi dissipatique discurrunt: (nam ad ipsum quoque regis tabernaculum penetraverant.) Assam Bassa (erat is Italus genere, e Cicada, perhonesta Genuae familia, ortus, qui cum Visconte patre admodum adolescens a Turcis captus initiatusque Mohometanis Sacris, virtute ad amplissimos, inter Barbaros, honores praefecturasque pervenerat) sistere Turcarum fugam nequicquam conatus, forte ex edito loco nostros, positis armis, volventes sarcinas, tentoriaque scrutantes, &, disciplinae oblitos, uni intentos praedae conspexit; &, cohortatus suos, cum triginta admodum equitibus, quos circa se habebat, impetum in praedatores fecit. Adglobantibus se inde aliis atque aliis, Christianos, raptis impeditos rebus, concidunt, & nusquam ad resistendum coeuntes exigunt castris, & victores paulo ante in effusam conjiciunt fugam. Interea Maximilianus, incensus nostrorum clamoribus, victoriam ingeminantium, hortante Sigismundo Bathorio, Transilvaniae rege, qui cum eo erat, & ipso parum consulto juvene, cum universo equitatu castris egreditur, suis, si res posceret, opem laturus: cum eos turpi fuga repetentes castra conspexit. Qui si objecisset equites, & redire in pugnam saltem hortatus esset, aut si ipse equitatum recentem & a praelio intactum immisisset, haud dubia victoria futura fuit, dispersis Turcis, & id ipsum metuentibus, & regis fuga perterritis? In Christianorum castris, eo dilapso, penes quem summum imperium erat, universus exercitus, eadem nocte, idem fugae consilium sequutus, per ocium, nemine infestante, qua cuique commodum fuit, diversus abiit. At Turcis, post exactos castris Christianos, non plus animorum, sed plus consilii fuit. Noctem insomnem an-

Germani e pugna ad praedam avertuntur.

Assam Bassa Cicada.

Nostri occupati praeda in fugam conjiciuntur.

anxiamque egerunt, haud dubii, redituros ad oppugnanda castra Christianos, aut in abeuntium agmen infeste incursaturos. Sed, ubi nihil movere nos vident, collectis non nihil a metu animis, mittunt exploratum, quid nostri conentur. Sub lucem renunciatur, silentium esse in Christianorum castris. Non habentibus fidem, & insidias suspectantibus, orta dies cuncta aperuit. Ubi victis concessam victoriam intelligunt, ignaviam nostram in suam virtutem vertunt. Castra, unde aufugerant nostri, diripiunt, &, animadverso eorum situ ac munitione, exprobrantes inscitiam nobis, abeunt: &, non tam de hoste securi, quam suae cladis atque infirmitatis conscii, rege Byzantium avertente iter, in hyberna milites dimittunt. Mahometes, simul expugnatam ab se Agriam, simul fugatos Christianos, ad suam gloriam trahit. Et utranque victoriam non solum magna apud suos gratulatione celebravit, sed, sueta Barbaris vaniloquentia, edictis per omne Imperium publicavit. Assam Bassa, insequenti anno, cum ad populandam Calabriae oram (erat enim classis praefectus) Siculum adnavigasset mare, & matrem, quae Messanae erat, ad se, permissu magistratus, visendi gratia, evocasset, apud eos, qui illam deduxerunt, injecta hujus praelii mentione, incusavit nostrorum ducum inscitiam, primum, qui castris se non continuissent, (sic enim sine vulnere venturam iis in manus victoriam fuisse) deinde inertiam, quod victis fusisque non institissent. Et ab se quidem, rem perditam, restitutam esse paucis cum equitibus, ajebat: sed, si Maximilianus unam modo alam equitum in territos immisisset, repetituros haud dubie fugam Turcas fuisse, atque idem facturos, si castra non deseruisset. De rege, capi eum sine sanguine ac certamine potuisse negavit, quod valentissima manu circundaretur. Sed, si eum nostri, totius exercitus robore, invasissent, deploratam salutem regis fatebatur. Adeo non dubia res fuit, ut ne Turcae quidem inficiarentur, qui sua vanissime jactare, & nostra obterere consueverunt. Caeterum hic Cicada & Persico bello inclaruerat, & vir ad omnia impiger habebatur, ut cum eo rex gloriam Agriensis victoriae fuerit partitus. Sed tamen implacabilem matris regis iram contraxerat, quod praecipuus auctor regi proficiscendi ad bellum fuisset. Ergo rejectus ac spretus in nullam partem publicorum consiliorum, aut gerendarum rerum admissus; maris praefecturae, ociosae pene provinciae, relinquitur. Reverso Byzantium Mahomete, mater non tam successu laeta, quam exterrita peri-

Turcae nostrorum ignaviam, in suam gloriam vertunt.

Ipsi periculum fuum Turcae fatentur.

Mater regis irata Cicadae.

cu-

culo ejus juravit, se viva, nunquam posthac filium domo abiturum, ipsumque oravit, si quando ad proficiscendi voluntatem se labi pateretur, ut se prius occidi juberet. Sed ab ea mente sponte sua ipse haud minus, quam mater, abhorrebat, segnis natura, & voluptatum illecebris mollitus. Itaque matris, aut matri assentantium consilia pronis auribus audiebat: „ Ad eam magnitudinem pervenisse Imperium, ut „ praefectis mandanda, non ab ipso tractanda rege, longinqua bella essent: ipsum tueri rerum caput, atque inde omnibus praesidere debere; non se remque pub. in casus ancipites praeliorum ac bellorum dare: sic, ex regni securitate, suam certam gloriam fore; siquidem, prospere gesta „ consiliis ejus, secus acta ducibus, homines imputaturos. Quid „ enim, si civitas una in finibus hostium aut capiatur aut amittatur, ad praesentiam ejus dignitatemque pertinere, supra triginta regna, tantum maris terraeque possidentis? Majoribus suis, molientibus fundantibusque Imperium, aut acquirentibus & propagantibus, adeunda bella, ducendos exercitus, & sua ipsorum capita periculis objectanda fuisse: suam „ esse gloriam in partis tuendis, quando tanta jam moles sit, „ ut suo pondere pene gravetur. Proinde, ex ipsa Imperii „ specula, universis prospiceret; singulas partes, ut quenque „ suorum fide atque industria praestare intelligeret, ita iis administrandas regendasque traderet. „ Hae apud idem cupientem validissimae rationes desidendi domi fuerunt. Missus in Vngariam Habraimus, sororis vir, cujus supra *meminimus*, qui Canisiam, in extremis Vngariae finibus, Noricos *Stiriosque* attingentibus, aggressus, paucis diebus caepit, insigni Germanorum, qui in praesidio erant, & tueri natura atque opere munitissimum oppidum poterant, infamia. Siquidem Peradaister, cujus fidei credita custodia fuerat, (ut paulo ante Ardechius, ob deditum Javarinum) causa ex vinculis dicta, & saepe ampliata, a rerum capitalium judicibus damnatus, & Viennae supplicio affectus est. Itaque, paucis post annis, in faeda illa a Rodulpho Caesare defectione, cujus socium, ad tegendam perfidiae culpam, Matthiam, Rodulphi fratrem, asciverunt, cum Germaniae legati in concilio gentis quererentur, milites Germanos coactos ab iis earum urbium praesidiis decedere, quas suis maximis sumptibus laboribusque adversus Turcas communivissent, ita responderunt Vngari, ut objicerent ultro Germanis, arces atque claustra Vngariae ab iis prodita hostibus esse; eorumque scelere atque ignavia discerptae patriae suae reliquiis su-

Non debere regem ad bellum proficisci.

Habraimus Canisia potitur.

supremum exitium imminere; seque in assiduo metu amittendae libertatis, & saevum subeundi Barbarorum jugum, versari. Canisia capta, in magnum discrimen conjecti Norici, &, qui Stiriam Carinthiamque colunt, populi; & patefactum, non in Germaniam solum, sed in ipsum Forum Julii atque Italiam iter. Itaque Ferdinandus Austrius, in cujus ditione hae gentes sunt, ut lateri suo haerentem pestem omni conatu summoveret, impetratis a Pontifice Max. magnis Italorum auxiliis, & a Ferdinando quoque, Magno Aetruriae duce, adjutus, qui duo millia peditum cum Joanne fratre ad eum misit, ad expellendos Canisia Turcas, insequenti aestate, contendit. Sed ea non maenibus modo firmis, sed undique palustribus aquis munita, tam constanter a Barbaris est defensa, quam prodita turpiter a Germanis fuerat. Tolerata enim quinque ferme mensium obsidione, ac ducto in hyemem bello, cum miles ultra sub pellibus haberi in frigidissima, & nivibus & aquis infesta, regione non posset, Ferdinandum, saepe eruptionibus a praesidiariis militibus fatigatum, re infecta, abscedere coegerunt. At, tota illa obsidione, nihil pro militari disciplina gestum narrant, qui interfuerunt. Non idoneis locis posita castra, non opera rite facta, non scienter ad quatienda maenia directa tormenta. Expositi temere, ac sine spe, non dubiae pesti milites, & jussi impressiones ad maenia per ruinas facere, cum ea nec dejecta satis nec aperta essent, unde fortissimi quique, tormentorum ac scloporum ictibus objecti, interfecti discerptique sunt. Atque ita ex nostra inscitia confirmati hostibus animi, qui non solum de deditione nunquam cogitarunt, sed saepe in nostros prospere eruperunt. Cum demum, saevitia hyemis, incaeptum omittere cogerentur, pertumultuose ac nullo ordine est discessum. Non praemissa tormenta, non iis stratae viae, non satis equorum ad ea trahenda provisum, non conclamata, militari more, vasa, ne ulla hosti timoris suspitio praeberetur. Nulla aegrorum atque sauciorum habita cura, non equi, non plaustra ad eos avehendos provisa, non firmatum praesidiis postremum agmen, nihil denique pro militari more actum. Itaque, profectis ante alios ducibus, sibi quisque consilium caepit. Qui aut morbis aut vulneribus attinebantur, proditi turpiter desertique, aut occisi ab hoste aut capti sunt: qui, animadversa perturbatione nostrorum, oppido statim eruperunt, &, direptis, quae metu relicta in castris erant, etiam aerea tormenta aliquot abduxerunt. Tam faedi, tam flagitiosi di-

Defensa a Turcis Canisia.

Ad Canisiam nihil pro disciplina gestum.

Faedus nostrorum a Canisia discessus.

discessus culpam alii in alios conferebant: argumentum, ab imperio maxime laboratum. Id quidem penes Ferdinandum Archiducem erat, cujus maxime res agebatur, adolescentem rerum, & maxime belli, rudem, & plus aequo suis tribuentem; in quibus plurimum auctoritatis, parum usus, nihil fidei est inventum, infensis Principi suo, quod improbam eorum licentiam polluendi Catholicam religionem, & nefariis opinionibus grassandi, constanter praecidisset. Ab his etiam prodita hostibus nostrorum consilia feruntur, & arte prohibitus juvenis recta monentibus obtemperare. Acceptae ad Canisiam ignominiae solatio fuit prospere, eadem aestate, administratum a Caesarianis bellum. Nam N. [1] Lotharingus, Mercurii Dux, qui in citeriori Vngaria exercitui Caesaris praeerat, Albam Regalem, opulentam urbem, & veterum Vngariae regum sepulcris nobilem, & egregie opere & natura munitam, expugnavit, ac ditioni Caesaris subjecit; cum & ipsam, a Solimano captam, quinquaginta ferme annos Turcae possedissent, & pari, ac Strigonium, studio paribusque operibus munivissent. Sita haec est urbs in perampla palude, qua undique alluitur. Tribus aditur firmissimis aggeribus, a continente per paludem ad tres urbis portas jactis. Per singulos aggeres singulae patent viae, rectae lataeque, & utrinque aedificiis hortisque frequentes. Atque haec suburbia sunt, & ipsa egregie munita, nec, nisi his expugnatis, ad maenia pervenitur, valida & validis propugnaculis firmata. A Lotharingo minori negocio, quam Strigonium, & eo majori gloria, in potestatem redacta. Et jam spem Christiani ad Budam ipsam adjecisse videntur, quae Strigonio, Javarino, Alba Regali pene circunsidetur.


Lotharingus Albam Regalem capit.

Situs Albae Regalis.



AN-

[1] Is, cujus hoc loco nomen, deficiente memoria, Gratianus praetermisit, latens sub consueta littera N. Philippus Emanuel a Lotharingia fuit.



ANTONII MARIAE GRATIANI

A BVRGO SANCTI SEPVLCRI

DE SCRIPTIS INVITA MINERVA

AD ALOYSIUM FRATREM

LIBER XI.





Ranſilvania pars veteris Daciae fuit: undique clauditur montibus, qui, a Carpatho orti, totam ambiunt, ac, veluti arcibus, muniunt. His, qua ſeptentriones aſpicit, a Roxolanis Moldaviſque, qua occidentem, ab Vngaris diſterminatur: a meridie Bulgaros & Iſtrum, ab ortu tranſalpinos Valachos habet. Praecipuae urbes ejus Biſtricia, Claudiopolis & Albahiula & Casbinium & Fogaraſium. Haud longe finibus ejus Tibiſcus, nobilis Vngariae amnis, labitur, atque in Danubium, recepto Mariſco, qui Tranſilvaniam omnem percurrit, ſupra Belgradum influit, feraciſſimus piſcium, quorum maximam accolis copiam praebet. Montes auro ditiſſimi, item argento metalliſque aliis. Sed neutrorum fodinae magnopere exercentur, ſive inertia incolarum, ſive, ut ipſi ajunt, ne Turcarum cupiditatem, monſtratis opibus, alliciant. Fluminibus quoque auri ramenta ſaepe leguntur, interdum articulo digiti majora, pura luci-

Tranſilvaniae ſitus ac fines.

Vrbes.

Tibiſcus amnis.

Montes metallis dites.

Sal. daque; quippe cursu ipso atque arenis terguntur. Sal quoque iisdem montibus foditur, varii generis, & admirabili copia. Colles passim vinetis consiti: & omnis vino abundat regio. Sed major Vngaricis [1] honor: Transilvana inficiuntur metallis, quibus terra scatet. Hinc insalubria habentur non vina solum, sed aquarum quoque latices: & grassantur calculorum morbi; & gens vino compotationibusque, quam

Transilvaniae incolae. quae maxime, dedita. Transilvania quaternis nationibus colitur, qui [2] inter se lingua, moribus, Sacris differunt.

Caeculi. Qua in Moldaviam vergunt, Caeculi obtinent, gens aspera incultaque; apud quos nobilitas, non honori, sed invidiae odioque est. Rerum omnium aequalitate gaudent, &, in omnium inopia, nullius divitiae eminent. Sed effera bello, &, cum usus poscit, supra viginti millia hominum in armis habet.

Valachi. Vngari. Saxones. Finitimi his Valachi, montium suorum incolae: latissime fusi Vngari. Praecipuas urbes Saxones habent, translati huc a Carolo Magno, octingentis annis, non patrios mores, non linguam mutarunt.

Equi Transilvani. Equorum frequentes in Transilvania greges aluntur; eorumque soboli magnopere incolae student. Celeres habentur acresque, sed non tamen graviori armaturae habiles. Dum res Vngara floruit, haud parva haec accessio regni fuit. Regum filii, qui proximi successioni erant, huic fere praeficiebantur, aut e principibus gentis, qui praestaret gratia. Praefectum ipsi Vaivodam appellabant, idest, campestrium copiarum ductorem. Post amissum Belgradum, & occisum ad Moncacium Ludovicum regem, afflictasque & penitus accisas res Vngarorum, victor Solimanus, ut spem Ferdinando Caesari Germanisque praecideret, occupata dolo Buda, regnum praefectis suis administrandum tradidit: &, ne spoliare penitus

Stephanus Transilvanis datus rex a Turcis. regia fortuna puerum Stephanum, ab se paulo ante constitutum regem atque in fidem receptum, videretur, cum regina matre in Transilvaniam misit; idque illi regnum esse jussit. Is dum adolescit puer, Transilvanorum studiis proprio ac praesenti rege laetantium, saepe cum Ferdinando Germanisque de jure finium armis contendit: tuente maxime

Georgius Monachus vir memorabilis. eum regnumque Georgio, Monacho Cisterciensis familiae: cujus, quia vir memorabilis fuit, attingere res operaepretium fuerit. Is in Croatia honestis parentibus ortus, adolescens, religionis studio, ultro se in disciplinam Cisterciensibus tradidit, puraque & cucullata veste ex instituto familiae

1 Subaudiendum est *vinis*.

2 Legendum puto contra antographum *quae* non *qui*.

liae sumpta, ad ejus praescriptum legesque se moresque composuit conformavitque. Ac tanta in eo ad omnia versatilis ingenii indoles extitit, ut, vix adolescentiam egressus, publicis muneribus admoveretur, unique omnes Sodalitatis rationes committerentur. Hinc aditus in Regiam nactus, primum quidem Joannis regis matri notuit, deinde per eam regi, qui usque adeo solertem hominis industriam, morumque & ingenii commoditatem, mox & fidem haud levibus experimentis probavit, ut ad Varadini Episcopatum, opulentum in primis, magnaeque apud eam gentem dignitatis Sacerdotium, provexerit, & vectigalibus regni publicoque aerario praepositum, omnium inde rerum consiliorumque auctorem ministrumque habuerit; atque, in tam turbidis regni sui rebus, cui par metus a Turcis Germanisque imminebat, praedicaret saepe apud suos, hujus unius Monachi fidei expeditaeque industriae ac summae vigilantiae se salutem regnumque debere: & Ferdinandus hostis unum se Georgium Monachum Joannis fortunae invidere ajebat. At non consilio, quam manu, promptior, nec pacis studiis, quam belli artibus, praestantior. Mirum dictu, tam diversis unum excellere animi atque ingenii laudibus; cum candidam togam ornatumque disciplinae suae nunquam deposuisset, disciplinam quoque ipsam, vel in maxima potentia maximisque divitiis, quibus erat praeditus, retinuit. Jejunia, vigilias, abstinentiam, continentiam, statis horis certas precationes, profusam in egenos largitatem, sacrificiorum divinarumque rerum procurationem, omnia pro Episcopi ac Monachi ratione atque institutis; pariter & innocentiam in moribus, & in omni vita religionem, sacrato viro sacrisque honoribus consentaneam, praestans. At, cum bella tractaret, nemo illo aut castrensi apparatu aut equis aut armis splendidior; in quibus tamen suam semper micare cucullam volebat. Nemo majori arte dirigere aciem, ducere agmen, deligere castris locum, opera munitionesque instituere, rem frumentariam expedire: nemo, quae ex usu essent, acutius imperare, nemo ferocius versari in praeliis, &, si res ducis exemplum posceret, primus invehi in hostem; &, perfracta in occurrentis pectus hasta, clavam stringebat, simul fortissime ciens pugnam, simul in omnes partes discurrens; quocunque vocasset res, in tempore adesse: plane ut & providi imperatoris & strenui militis gloriam ferret. Militum animos hinc liberalitate conciliabat sibi, hinc severitate disciplinae mire continebat, ut pariter, quod rarum in duce, & time-

Varadini Episcopus creatur.

Excellit & belli artibus.

Institutionem suorum cultor

Bellator egregius.

meretur ab iis & diligeretur. Turcicam securim manu nunquam deponebat. Ea incedens nitebatur; sedens in gremium recipiebat; dormiens prope cervicem suspendebat. Saepe, cum spatiaretur, dextra securim tenebat; sinistra pendebat globulorum ordo, quibus Virginis genitricis salutationes precationesque, ex Christiano ritu, numerare consuevimus: & interdum, ipsas submurmurans precationes, si quis delicto provocasset, vibrabat securim: ut tum vel maxime miles praefectique ad imperia parati adstarent, offensionemque caverent. Hunc talem virum

A rege tutor filio datus.

Joannes rex moriens tutorem filio reliquit, ejusque in primis fidei puerum, conjugem, regnum commendavit; nec ipse, cum in vi repellenda ab iis, tum in discutiendis insidiis, atque in omni tutela, spem de se regis fefellit: si, quam illorum custodiam habuit, eam sui ipsius habuisset, neque incaute se fraudi atque injuriae opportunum praebuisset. Cum penes puerum matremque nomen regis, vis dominationis omnis penes Monachum esset, invidiam multorum, quos unius nimia potentia urebat, vitare nequivit. Hi, non ausi se prodere, reginam, ab pari causa muliebribus odiis clam infensam Monacho, assidue incitabant, inter illorum dissidium aliquem sibi crescendi locum fore sperantes. Horum

Aemulorum artibus dissidet a Monacho regina.

stimulis promissisque incitata regina, &, ab occulta offensa, sua sponte implacabiliter irata Monacho (quod quaedam licentius agentem, quam famae ejus tutum videretur, aliquando liberius corripuerat, & quendam, amoris in reginam suspectum, ab Aula protinus fugarat) palam detrectare Monachi consilia, & suum reposcere jus caepit. *Hinc* in apertas inimicitias proruptum. Et, contra quam rata regina suique fuerant, pars maxima Transilvanorum in auctoritate Monachi erat; quem conservare puero regnum velle, reginam, sua aliorumque importuna ambitione, transversam agi pro certo habebant. Ergo regina adversus Monachum Turcarum implorat opem, qui alienam discordiam suam occasionem rati, coactis ex proximis praesidiis aliquot equitum turmis, & Valachorum Moldavorumque magnis excitis auxiliis, in Transilvaniam ducunt. Sed iis Monachus obviam

Turcas retundit.

progressus, praelio victos caecidit fugavitque. Verum, ne Ferdinandus quoque Caesar, suis & ipse occasionibus imminens, ab altera parte irrumperet, simul, ut reginam metu ad salubriora consilia verteret, faedus cum eo percussit. Qui, in spem magnam recuperandae per Monachum Transilvaniae erectus, Joannem Baptistam Castaldum & Sfortiam Pallavicinum, cum validis Italorum atque Hispanorum cohorti-

tibus, ad eum miſit. At regina, quo ampliora ſibi Turcae pollicebantur, eo magis perfidiam eorum verens, nec dubitans, quin, ſi illorum armis defenſa Tranſilvania fuiſſet, ut ante Vngariam, ita hanc quoque adimerent filio, ſuamque provinciam facerent; &, ſine Turcis ſuſtineri ab ſe Monachum vel ſolum, nedum Ferdinandi ſocietate fultum, non poſſe ſentiens; & feſſa praeterea tam ancipiti rerum ſuarum cura, cum Ferdinando ipſo, litteris eam nunciiſque aſſidue ſollicitante, tranſegit. At Ferdinandum [1], vel qui Ferdinandum, ſanctum alioqui virum & probum, conſiliis ſuis agebant, qui nuper, ad evertendam aut inducendam reginam, blandiebatur Monacho, &, ut animum ejus novo beneficio devinciret ſibi, virtutem meritaque illius in rem Chriſtianam verbis extollens, a Julio tertio Pontifice Max. impetraverat, ut eum Romae in ampliſſimum ordinem cooptaret, Cardinalemque crearet, & inſignia ejus honoris illi in Tranſilvaniam mitteret, pertracta jam in ſententiam ſuam regina, paenitere Monachi caeperat. Et, quia Monachus, repellendos quidem, non tamen acrius irritandos eſſe Turcas, rebatur, ne tota inde mole belli, quae ſuſtineri nullo modo poſſet, in Tranſilvaniam incumberent, ex hoc conſilio ſaepe lenire litteris, & officiis placare ac ducere eos conabatur: hinc confingitur crimen, calumniaque [2] texitur, cum occulta cum

Vnde confictum in Monachum crimen.

1 Autographi *Ferdinandus*, male cum verbis infra poſitis *paenitere caeperat* cohaerens, ſuſtuli.

2 Calumniam non fuiſſe eam, Julio III. Pontifici Max Ferdinandus ipſe probavit. Qua de re audiendus Pallavicinus Hiſtor. Concil. Trident lib. XIII. c. 2 num. 8 ,, Ma queſte co ,, ſe erano troppo difformi sì alla cri- ,, ſtiana pietà, e alla natoral giuſti- ,, zia e manſuetudine di Ferdinando, ,, il cui difetto era più toſto di com- ,, primere con freddo zelo i malvagi, ,, che d' incrudelire con volontaria mal- ,, vagità negl' innocenti; ed eziandio ,, agl' intereſſi ſuoi. Fra tanto per ,, liberarſi dall' infamia popolare, di- ,, volgò il Rè un lungo Manifeſto, ,, ſcritto a Franceſco Villaquio, Ve- ,, ſcovo di Raab, ſuo Vicerè in Vn- ,, gheria: dove rendeva minuto conto ,, del fatto. E lo ſteſſo più legitti- ,, mamente cercò di giuſtificare ap- ,, preſſo al Pontefice . . . . . Onde ,, fra pochi giorni, uditeſi in Roma ,, le difeſe del Rè, fù diſtinta nel ,, Conciſtoro la ſua cauſa da quella ,, degli occiſori del Cardinale, e ,, fù egli dichiarato fuori di colpa, ,, non provandoſi la commeſſione . . . ,, Paolo Paruta Croniſta della Repu- ,, blica Veneziana, e però informa- ,, tiſſimo ſpecialmente degli affari, ,, che riſguardavano il Turco, del ,, quale avea quel ſenato allora le ,, più cocenti ſue geloſie: queſt' iſto- ,, rico dunque egregio fra gl' Italiani ,, non meno per candore d' ingenuità, ,, che di ſtile, e per limpidezza di ,, pietà, che di prudenzà, afferma ſen- ,, za alcun dubbio il tradimento mac- ,, chinato dall' ucciſo Cardinale ,, Ferdinandi Apologiam illam, de qua meminit Pallavicinus, vide, ſis, apud Bzovium in Annal. ad an. Chr. 1552.

cum Turcis agitare consilia, ut, eorum beneficio, Transilvaniam, regina Ferdinandoque exclusis, ipse haberet: & datur Castaldo ac Sfortiae Pallavicino, homini clarissima familia apud Placentiam nato, honestissimisque militiae muneribus functo, negocium, Monachum per insidias circumveniendi occidendique. Fecerat sibi consuetudinem Castaldus

Insidiae in Monachum.

mittendi ante lucem ad Monachum, qui, pro caetera vigilantia, eo temporis, strato surgere, & divinas peragere preces, & inde ordinare diem in more habebat. Mittitabat autem, sive sciscitandum, sive consultandum, sive nunciandum aliquid esset, M. Antonium Ferarium, cujus in scribendis epistolis opera utebatur, hominem callidum, & cui ad quodvis facinus satis animi atque audaciae erat. Et jam perfamiliaris Monacho & janitoribus ejus effectus Ferarius, admittebatur, vel eo noctis, cum sibi convento Monacho opus esse diceret. Rebus comparatis, etiam maturius solito Ferarius adfuit, cum, praeter unum aut alterum puerum, qui cubiculi ostium tenebat, nemo adesset, & custodes ac stipatores corporis, remota in parte, ad ignem streperent (erat enim hyems ac frigus ingens, &, ut in pacato, nec vis nec dolus timebatur.) Introductus narravit, Sfortiam Pallavicinum, accitum a Ferdinando, esse profecturum; venisse, ut eum viseret, & mandata, si quid forte ipsum vellet, acciperet, stareque ad fores. Ac simul obtulit Monacho diploma, chirographo ejus anuloque consignandum, quo tutum Pallavicino patere per Transilvaniam iter jubebatur. Admoventis calamo manum, & admitti Sfortiam jubentis, sica, quam veste tegebat, Ferarius Monachi jugulum appetiit. Ac Sfortia, qui cum decem, delectis ad facinus, observabat fores, irrupit, Monachumque, qui vel faucius Ferarii fauces invaserat, multis vulneribus confecerunt, senem, septuagesimum agentem annum: cujus cadentis una audita vox, Jesum Mariamque invocantis. Ita viro, ejus memoriae longe praestantissimo, cujus virtuti atque industriae debebatur, quod Stephano conservatum esset regnum, quodque Turcae Transilvaniam non occupassent, quique eam Ferdinando ipsi aperuisset, ea relata gratia est, ut, iniquissime crudelissimeque trucidatus, etiam proditionis infamia oneraretur: Castaldus & Pallavicinus, solenni execratione, Diris traditi & Sacris prohibiti fuerunt; quod Sacerdoti, quod Episcopo, atque adeo quod Cardinali, qui ordo sacrosanctus habetur, manus impias attulissent: nec, nisi aegre ac diuturnis precibus, ut expiarentur ad Sacraque reciperentur, im-

Patratur Monachi caedes.

impetrarunt. Ferarius, cum forte Mediolanum, unde erat, rediisset, jussu Christophori Madrutii Cardinalis Tridentini, qui urbem pro Carolo quinto Caesare imperio regebat, captus, &, fracta cervice, suspensus, nefariae perfidiae paenas, faedo supplicio, persolvit. Ac ne Sfortia quidem iram divinae ultionis effugit, qua, paulo post victus a Turcis captusque, supremae calamitatis discrimen adiit. Paucis post annis, adulto jam puero, regina interiit. Huic adolescenti incolume quidem regnum mansit, Turcarum opibus, sed ipse, parentibus catholicae pietatis cultoribus natus, post matris obitum a Christianorum Sacrorum fide levissime turpissimeque descivit, a Blandrata quodam, Taurinensi medico, usque adeo corruptus, ut ad sectam Arianorum, quos nunc Trinitarios vocant, transierit; qui de Christo & sentiunt impie & scelerate loquuntur: quippe cui divinitatem detrahere homines amentissimi perditissimique non vereantur. Exemplo Principis, tanta pravissimarum opinionum in Transilvaniam invecta licentia est, ut, dum suo quisque sensui intelligentiaeque blanditur, innumerabiles prope ac diversissimas in haereses dissecta omnis gens sit; & non abrogato solum, sed ignoto jam penitus priscarum ceremoniarum cultu, plerique, quos satietas variantium &, novas quotidie religionum formas accipientium sectarum capit, ad Mahometanorum ac Turcarum stolidissimas de Deo deque divinis rebus opiniones misere praecipitent. Verum, rege intra juventam sine liberis morte subtracto, Transilvani, antequam Turcae se rebus suis miscerent, Principem sibi e suorum numero Stephanum Bathorium delegerunt, virum, ut mittam caetera, de quo illud praedicabatur, scilicet, nunquam eum de fide decessisse, neque quam Deo, neque quam Principi deberet. Nam, & in tam depravatis religionibus nunquam a Catholicae pietatis cultu abduci se est passus, &, in creberrimis ac prope quotidianis Vngarorum transfugiis a Transilvano ad Caesarem, & a Caesare ad Transilvanum, in devincta semel regi suo fide constantissime permansit. Hujus viri tanta fuit praestantium virtutum fama, ut, non multo post, in Polonorum comitiis, quae de creando sibi rege, post fugam Henrici Andegavensis, sunt habita, petente summis studiis aut sibi aut Ernesto filio, Maximiliano Caesare, & Regibus Suetiae atque Moschoviae aliisque magnae dignitatis Principibus pariter contendentibus, Poloni Stephanum omnibus praetulerint, eumque nobilissimarum & valentissimarum gentium regem fecerint. Et, cum ex aucto-

Ferarius suspensus.

Transilvanus a religione catholica deficit.

Stephanus Bathorius Transilvaniae princeps.

Bathorius ad Poloniae regnum ascitus.

ctoritate procerum quorundam, & magnae Senatus partis, Jacobus Vrangius, Gnesnensium Archiepiscopus, Caesarem ipsum antevenisset regem renunciare, Stephanus universae prope Nobilitatis favore subnixus, cunctante, ex natura sua, ac tergiversante Caesare, & verente, ne, cum Polonico bello Turcicum quoque accerseret, Poloniam praeceleri apparatu ingressus, & insignia regni solemni ritu suscepit, & dubios quoque, partim metu, partim spe, ad officium pellexit. Et paulo post, Caesaris morte, sublato aemulo, cuncta feliciter pacavit. Sic ad regium fastigium ex privato loco evectus brevi ostendit, virtute se fortunam suam antecessisse. Moschorum Princeps, posthabitum se a Polonis in petitione regni indigne ferens, non solum tumidissimis epistolis despexit Stephanum, quibus decedere eum universa Livonia & parte Lithuaniae jubebat, sed armis quoque lacessivit. Et Stephanus quidem, ubi nequicquam, missa legatione, lenire & ad aequa revocare Barbarum est conatus, & novus rex, & vixdum satis firme apprehenso regno, bellum tamen adversus finitimum & praepotentem hostem suscipere non dubitavit, susceptumque ita gessit, ut primo statim incursu Polozcho hostem expulerit, valido & magnis operibus munito oppido, quod superioribus annis Moschi Augusto, Poloniae regi, ademerant. Neque hac gloria contentus, in intimam progressus Moschoviam, Vielchiluchum, nobilem urbem, vi caepit, obviosque Moschos ubique fudit, &, Vielchiluchi opportunitate, hostem etiam a Livonia, quam ante invaserat, & magna ex parte subegerat, *pene* interclusit. Duxit deinde ad oppugnandam Pleschoviam, majus atque opulentius oppidum, & regni ab ea parte claustrum, compulsoque intra maenia hoste, arcta obsidione premebat. Quibus rebus successibusque territus Moschus, non solum retusa magnopere superbia, legatos de pace ad Stephanum misit. Sed, quo eam impetraret, misso Romam oratore, rogavit Pontificem Max. [1] ut se pacificatorem interponeret. Cujus auctoritate induciae ad decem annos factae, ea

Bellum adversus Moschum suscipit.

Moschus Stephani successibus territus legatos de pace mittit.

[1] Fuit is Gregorius XIII. qui, quod rogabatur, praestitit atque perfecit. Hujus rei habeo testes ejusdem Gregorii litteras, ad ipsum Moschum Kal. Octobr. an. 1582 datas; quas, nusquam antea, quod sciam, editas, ex autographo summa cum fide descriptas, eruditis lectoribus non uno nomine placituras exhibeo.

„ Gregorius Episcopus servus ser„ vorum Dei Joanni Basilij, Domi„ no Russiae, Magno Duci Moscho„ viae, Novognardiae, Smolensciae, „ Vlodimiriae, Domino Casani, & A„ stra-

ea in primis lege, ut Moſchus tota Livonia excederet, cujus nuper ne partem quidem concedebat Stephano: contra Ste-

 pha-

„ ſtracani, multarumque aliarum Pro-
„ uinciarum Principi magno, & deſi-
„ ſideratiſſimo ſalutem, & omnia gra-
„ tiae fructum. Redijt ad nos di-
„ lectus filius Antonius Poſſeuinus,
„ quem ad te miſeramus, una cum
„ Jacobo Moluianino, oratore tuo.
„ Facile perſpeximus tum ex tuis lite-
„ ris, quas & Antonius noſter primum,
„ tum Jacobus tuus nobis reddide-
„ runt, humanitatem tuam. Narra-
„ uit etiam idem Antonius multa de
„ tua amplitudine honorificentiſſime;
„ inter caetera quoties ad te adijt,
„ ſemper benigniſſime acceptum eſſe,
„ quod quidem fuit nobis gratiſſimum.
„ De pace cum Rege Poloniae tan-
„ tam voluptatem caepimus, quan-
„ tam par erat nos capere potentiſſi-
„ morum Principum coniunctione, &
„ Christianorum populorum, qui antea
„ magna inter ſe cum caede confli-
„ xerant, tranquillitate & incolu-
„ mitate, optimaque ſpe communium
„ uirium armorumque in Christi
„ hoſtes conuertendorum et quo qui-
„ dem nihil poſſet fieri praeclarius,
„ nihil Chriſtianae Reipublicae ſalu-
„ tarius. Gratum uero tibi eſſe
„ nos noſtram auctoritatem atque o-
„ peram in pace conficienda interpo-
„ ſuiſſe, fuit id quidem nobis gratiſ-
„ ſimum (nihil enim vnquam egimus
„ libentius) ſed ut ſummam in eo ne-
„ gocio Dei gloriae rationem habui-
„ mus, ſic praemia omnia ab immenſa
„ illius miſericordia expectamus. Tu-
„ am uero tam gratam hujus facti me-
„ moriam omni beneuolentia, omni-
„ busque officijs complectendam duci-
„ mus. Quod ſcripta ea, quae poſtula-
„ ſti de religione, quaeque tibi peten-
„ ti Antonius tradidit, attente legi-
„ ſti; quodque & ex tuis literis, quas
„ ſuperiore anno ad Stephanum Polo-
„ niae Regem ſcripſeras, cognouimus,
„ perſpectum habere te ſemper in Ec-
„ cleſia Romana ſyncerum uerae fi-
„ dei cultum vſque a Sanctiſſimis A-
„ poſtolis ductum uiguiſſe ſemperque
„ retentum eſſe, nec poſſe vnquam ul-
„ la aut temporum iniquitate, aut
„ hominum fraude, & peruerſitate
„ uiolari, incredibiliter laetati ſumus:
„ idemque hoc tempore ſentire te ſpe-
„ ramus. Sic enim tunc te vere ſa-
„ pienterque ſcripſiſſe accepimus, Iſi-
„ dorum Ruſſiae Metropolitanum in
„ oecumenica Synodo Florentina agno-
„ uiſſe, palamque profeſſum eſſe, Ca-
„ tholicam ueritatem in Romana Ec-
„ cleſia retineri: ab eoque tempore
„ Ruſſiam ſeſe cum Eccleſia Catho-
„ lica Romana coniunxiſſe. Magnam
„ igitur in ſpem uenimus, te, praeter-
„ ea, quae pollicitus es, eorum cau-
„ ſa, qui iſthuc uenerint, ceteris quo-
„ que in rebus grauioribus facilem
„ futurum; praeſertim cum intelligas,
„ quam neceſſaria, quamque Deo ac-
„ cepta ſit animorum in ipſius cari-
„ tate coniunctio. Quod uero Turcam
„ teterrimum tyrannum tam male ode-
„ ris, quodque in eius perniciem pa-
„ ratiſſimus es, facis, quod Chriſtia-
„ num Principem ac tantum Domi-
„ num decet. Vt autem nihil diffici-
„ le eſt Deo vincere, vel in multis,
„ uel in paucis, ſic boni omnes ſpe-
„ rant, nullam te opportunitatem omiſ-
„ ſurum eſſe, non ſolum communibus
„ copijs, ſed tuis etiam ipſius viri-
„ bus atque armis, tuaque poten-
„ tia monſtrum illud a Chriſtianorum
„ ceruicibus repellendi. Nos uero non
„ ceſſabimus de eo, quod ſapienter,
„ magnoque cum zelo ſcribis, cum
„ caeteris Chriſtianis Principibus age-
„ re, eoſque aduerſus communem ho-
„ ſtem uocare. Omnibus autem de
„ rebus amplitudinem tuam ſuo tem-
„ pore certiorem faciemus. Interea
„ cupimus, ut libros literaſque eas,
„ quas ad te mittet dilectus filius An-
„ tonius, ſic accipias, quaſi a nobis
„ ipſis mitterentur. Inter eos enim,
„ quos plurimos habemus doctrina &
„ pietate praeſtantes, vnus is eſt, cu-
„ ius fidem, ſynceritatem, zelum, plu-
„ rimi facimus. Mandauimus etiam

„ ei

phanus Vielchiluchum aliaque oppida redderet Moscho, quae eo bello caepisset, praeter Polozchum, & quae Polozchi juris

,, ei hoc tempore, cum illum in Germa-
,, niam & in Poloniam mittimus, ut
,, omnibus officijs sibi praesto sis om-
,, nibus in rebus, quae ad Dei gloriam,
,, atque ad dignitatem tuam pertine-
,, bunt. Quamobrem & tu, si opus erit,
,, ad eum scribere, & Tabellarios
,, tuos mittere fidenter poteris, ne
,, quid itineris longinquitas tuo desi-
,, derio, & commodis obstare possit.
,, Quod autem iam non unas nobis
,, patentes literas, fidemque publicam
,, misisti, quibus concedis, ut mer-
,, catores nostri, & aliorum Principum
,, cum Sacerdotibus nostris ad te ue-
,, nire libereque istic commorari, &
,, tuto ad nos redire, quoties uolue-
,, rint, possint, utque etiam possi-
,, mus, quoties opus erit, tuto aliquos
,, ad Persas mittere, dici vix potest,
,, quam iucundum nobis acciderit.
,, Nos quoque vicissim pollicemur,
,, quoties tibi placuerit tuos huc mit-
,, tere, eos quam tutissime venturos,
,, libere commoraturos, quotiesque
,, uoluerint discessuros, omniaque a
,, nobis caritatis officia relaturos. Pel-
,, les, quas misisti tum superiore an-
,, no per Paulum Campanum, tum
,, hoc tempore per Iacobum tuum,
,, accepimus libentissime. Mittimus
,, vicissim piam Christi Redemptoris
,, nostri imaginem, quam conseruabis
,, nostrae, Sanctaeque huius sedis me-
,, moriae caussa. Oratorem tuum a
,, nobilissima Venetorum republica
,, praeclare acceptum esse, interque
,, vos amicitiam coniunctam esse, ne-
,, gociationumque vtrinque iam fa-
,, cultatem patere (quae quidem o-
,, mnia per Antonium nostrum curari
,, mandaueramus) gratissimum nobis
,, fuit. Interea non cessabimus orare,
,, ut Deus benedictus amplectatur te
,, tuosque omnes sua gratia, cumu-
,, letque omni felicitate. Datae Ro-
,, mae apud sanctum Marcum, Anno
,, Incarnationis Dominicae Millesimo
,, quingentesimo octuagesimo secundo,
,, Calendis Octobris, Pontificatus no-
,, stri Anno undecimo.

Ant. Bucapadulius.

Qui hasce litteras ex autographo describendas curavit contra illa verba: ,, Quod vero Turcam, teterrimum ,, tyrannum, tam male oderis: ,, haec in margine adnotavit: ,, Quid ,, expectari posset a Moschis contra ,, Turcas, siquidem id vellent, vi- ,, deatur Commentarius secundus Pa- ,, tris Possevini (ejus videlicet, qui tam saepe tamque honorifice in hisce litteris sub *Antonii* nomine signi- ,, ficatur) missus ad Summum Ponti- ,, ficem Gregorium XIII. & ad Illu- ,, strissimum Cardinalem Comensem. ,, Quo de commentario agit Possevinus ipse in litteris ad Cardinalem Rusticuccium die 25. Octobr. an. 1585. Brunsberga datis; quae autographae apud me sunt, infra, opportuniore loco, proferendae. Nunc quidem, quum de Antonii Possevini legatione in Moschoviam Gregorii XIII. adlatae *litterae* commemorent, non alienum *puto*, primum ipsum cum Moscho Legati congressum, ex Historiae Soc. J. Partis V. lib. I. num. 125. ad an. 1581. transcribere. Habet enim in ipsa peregrini moris novitate delectationem nec ea narratione, quae vix a Gratiano attinguntur, non illustrantur. ,, Vbi in conspectum Magni Du- ,, cis ventum est, Senator primarius ,, surgens, usitato genti observantiae ,, verbo: ,,, Maxime princeps, in- ,,, quit, Antonius Possevinus & co- ,,, mites humum tibi fronte feriunt. ,,, ,, Tum continuo Dux, Vt valeat Gre- ,, gorius Papa interrogat. Et Pater: ,,, Ita Deus Serenitatem tuam perdiu ,,, servet incolumem. ,,, Dein jussus ,, mandata exequi, ut magnificentio- ,, rem & ipse Pontificis Max. appel- ,, lationem faceret: ,,, Sanctissimus, ,,, inquit, Dominus noster Papa Gre-

,,, go-

ris essent, quae, quia haud dubie Polonorum ditionis fuerant, Moscho repetere nunquam liceret. Ita Stephanus, finibus prolatis, aucto ornatoque regno, & passim Catholicae

gorius XIII. Vnivetsalis Ecclesiae Pastor, Christi in terris Vicarius, multarum tegionum terratumque Dominus, Servus Servorum Dei, amantissime Serenitatem tuam salutat, eique benedictionem precatur. ,,, Surrexit Dux ad Pontificis nomen, tamdiuque stetit, dum gratias egit. Tum assidens: ,,, Tu vero, inquit, Antoni, rectene equitasti? Recte, inquit ille, Deo gratia; quodque in Serenitatis tuae obsequium cedat: ,,, Inde Ducis ac ejus filii dexteram osculatus, tradere jubetur Secretario literas, & munera, quae deferebat, exponere. Quo loco gentis modestiam inde velim intelligi. Ferebatur, inter cetera dona, picta Deiparae effigies, rarae opus subtilitatis, ebeno, argento auroque inclusa. Ea tamen tradita non est, quia cognitum erat, gratam Principi non fore: quod in genu parentis Jesus infans sedebat nudus, & hunc puellus alter Joannes Baptista, item nudus, adorabat Quae cum pictores nostrates in artis ostentationem elaborent, ceterique mirentur, Moschi, multo sapientius, ferre non possunt. Tantum absunt ii (quod sane cultiorum nationum probrum est) ab simulacris obscoenis perferendis! Exposita dona cum Princeps singula contemplatus probasset; quae ad negotia spectarent, cum Senatoribus et consiliariis jubet seorsum agere: in eumque ipsum diem, solemni ad convivium vocantium formula, ad panem & sal invitat. Narrabant deinde Aulici, omnium, quae longo tempore vidissent, sumptuosissimum id fuisse convivium. Discumbentes centum numerati Stragulum in mensa nullum, praeter mantile: tum panis, salinum, urceoli duo; in quorum altero acetum, in altero piper (quibus rebus ex avita superstitione mensas omnes instruunt) praeterea nihil. Non mappae ad tergendas manus, non lances pani subjectae, nullae scutellae, ne cultri quidem. In mensa seposita, supra quam imago Dei matris perelegans cernebatur, Dux cum Joanne filio consedit; nominatimque nostros appellans collocavit in proxima. Epulae tum illatae .... Cum, mittente quid Principe, convivae assurgant omnes, stentque, quamdiu lator dicat: ,,, Magnus Dominus hoc tibi dono gratiam suam declarat: ,,, alterque respondeat: ,,, Ferio humum fronte: ,,, plus sexagies, spatio duarum horarum, quibus convivium tenuit, assurrectum est ... Sub medium ferme convivium, cubitis Dux mensae innixus, facto ab omnibus silentio, his verbis Possevinum alloquitur: ,,, Antoni, comede ac bibe: nam iter haud modicum ex urbe Roma hucusque confecisti, missus a Sancto Patre omnium supremo Gregorio XIII. Ecclesiae Romanae Christianae Pastore constituto a Deo, quem nos quidem veneramur, ac Vicarium Christi agnoscimus, tibique propter ipsum omnem reverentiam exhibemus. ,,, ... ,, Insequentis deinceps diebus in negotiis legationis incumbitur. Postulabat Pontifex, ut Joannes, quod per legatum suum spoponderat, si Polonico expediretur bello, arma cum ceteris Christianis Principibus, adversus communem hostem converteret; commeandi facultatem per suas terras Pontificiis Legatis, si qui unquam ad Persas aut Tartaros mitterentur, daret; Catholicis negotiatoribus commercia in Moschovia essent; ac templa ritusque Catholici. &c. ,, Quibus postulationibus respondere vides Gregorii superiores litteras, Moscho gratias agentis, quod eadem met ipsa postulanti sibi non denegasset.

fidei cultu propagato restitutoque 1, magna gloria magnoque de-

1 Ardens fuisse in Stephano rege propagandae Catholicae fidei studium satis apparet ex litteris, quas ad Gregorium XIII. die 27. Augusti 1584. dedit, usque infra, ubi de Cardinali Bathorio Gratianus aget, ex autographo recitabimus: ex quibus satis nunc fuerit caput illud, paene extremum, proferre. „ Persuasum Sanctitati vestrae esse magnopere cupio, me quidquid ad fidei Catholicae propagationem, atque dignitatem & commodum nominis Christiani mature a me effici posse putaro, propitio Deo, vel vitae hujus meae periculo non detrectaturum. „ Sed & alia ejusmodi studii argumenta suppeditat Historia Soc J. Part V. lib. II. num. 79. ad an. 1582. hoc loco non omittenda.

„ Rex, plane regie pius, ut primum sancitam cognovit pacem, sibique Livoniam traditam, tanquam indignum ratus, prius eam sibi, quam Christo subjici, Rigam iter intendit; Georgium Radivillum, Vilnensem Antistitem, & Melchiorem Giedroc, Antistitem Samogitiae, deque Societate Martinum Laternam, & Petrum Scargam ducens, ut curam ipse primas obstantium muras perrumperet, & pietatem jamdiu exulem regio quasi comitatu reduceret. Tum ad Cromerum, Varmiensem Episcopum, ex instituris in ejus Braunsbergensi Seminario sub disciplina Societatis, atque ad Gregorium Pontificem, & ad Aquavivam Generalem literas dedit, ex nostris hominibus sacerdotes & Evangelii praecones postulans, quos per Livoniam spargeret. Livoniae metropolis Riga est, Archiepiscopatu olim & Canonicorum collegio nobilis . . Hac tempestate, in civium magno numero, nullos aperte sinceram ac veterem fidem; nova omnes Augustani figmenta symboli sequebantur. Coenobia, quae olim Religiosorum fuerant, dudum profana fecerant. Unum restabat Monialium Cisterciensium, in quo tres repertae sunt, decrepita jam aetate, virgines, in quibus castae religionis, in tota pene Livonia extinctae, scintilla ad eam diem vixerat . . . Hanc igitur cum primum Rex urbem intravit, suum Senatum alloquens, exponit, consilii sui esse, ut Catholica religio, ac verus Dei cultus, quo ejecto Livonica tota respublica salusque omnium pessum ierat, in eam provinciam revocetur: statimque, maximo omnium consensu, decretum pro religione Catholica instauranda fit. Cujus decreti Senatorum quosdam Haereticorum brevi poenituit: qui, cum revocare ipsi, quod fecerant, nec auderent nec possent, clanculum Nobilitatem Livonicam, & Rigensem praecipue, solicitant, ut religionis suae confirmationem a Rege peterent. Ad eam petitionem Rex cum Livonibus ceteris respondisset . . . Cathedrale templum tradi sibi postulat, Catholicorum in usus . . His demum exterriti pro Cathedrali templum S Jacobi ultro deferunt . . . . Rex igitur Senatui respondet. Accipere se D *Jacobi* templum; contiguum tamen *simul* monasterium Cisterciensium virginum, cum aede S Mariae Magdalenae, darent. Tum vero suspicati, quod res erat, Haeretici, in usum Gymnasii illud coenobium destinari; omnibus precibus rursum insistunt, uno esset templo S Jacobi contentus, neu de scholis collegioque Jesuitarum, Rigam inducendo, cogitaret: haud dubie enim populum seducturos, & ipsorum filios ad religionem Papisticam pellecturos. Narrabat deinde Rex, ad ejusmodi praedictiones, quas non magis illi detestabantur, quam ipse ratas optabat, aegre se risum tenuisse, & id dedisse responsi: Se quidem, eorum causa, vehementer optare, ne veritas Catholica, per Christi praecones Jesuitas Rigensibus praedicetur: verum non ita multos eos

„ es-

desiderio sui relicto, decessit [1] anno MDLXXXVI. liberis non susceptis. In Transilvania, hujus decessu, [2] Georgius frater regnum administravit; cui, mature morte sublato, succeslit Sigismundus filius, adolescens vario ingenio, interdum acri, & ab insita genti vanitate avido gloriae, sed ad nova semper consilia mobili, &, quod non crediderant homines, adeo diffidens ac timidus, ut regnum deseruerit amiseritque, amittendi metu. Conantibus Turcis augere tributa, quae Transilvania, Valachia, Moldavia pendebant, harum gentium Vaivodae [sic enim, ut supra memoravimus, suos reges appellant] initium id esse rati penitus se se opprimendi, &, ab-

Stephanus rex magna gloria decedit.

Sigismundus Bathorius.

A Turcis Transilvani, Moldavi, Valachi descistunt.

„ esse, nec tam ex facili collegia
„ nova recipese, ut certum quippiam
„ sibi polliceri posset : felices tamen
„ fore Rigensea & eorum liberos, si
„ quando talium virorum collegium in
„ eorum moenia introducatur . . . Ab
„ Samogitiae Episcopo statim expiatur
„ templum Divi Jacobi, in eoque
„ postridie, quae fuit Dominica Pal-
„ marum, cum omnibus Catholicis,
„ Rege praesente, Sacra peracta, ha-
„ bitaeque concionea Latine, Germa-
„ nice, Polonice . . . Caeterum toto
„ illo sanctiori tempore clarissimum
„ specimen veri cultua est praebitum,
„ eminente Regis exemplo, vel ad
„ Haereticorum miraculum, lacry-
„ masque Catholicorum : is quotidie
„ ad S. Jacobi, ex arce, quanquam
„ longe posita, cum omnium proce-
cem Max. vocare, & longe aliam huic mentem, quam quae Sigismundo fuerat, criminari, qui, Turcas haud dubie respiciens, statim legatos Byzantium misisset, aditumque ad pristinam gratiam pristinumque cum iis amicitiae jus quaereret. Et Pontifex cum causae Caesarique gratificans, tum indignum ducens, sacrati ordinis honorem nomenque praeferentem consilia cum Barbaris miscere, ad eum simul continendum in officio, simul Caesari ipsi novis faederibus, ex utriusque usu, jungendum, Germanicum Malaspinam Episcopum in Transilvaniam misit, jussum ex itinere Caesarem adire, atque eum de amicitiae conditionibus appellare. Sed Caesar interea Valachum Michalem, magnorum praemiorum spe illectum, compulerat, ut, per speciem novae in Turcas expeditionis, exercitum compararet, & nihil tale verentem Cardinalem Transilvanosque aggrederetur; primumque praesentis operae atque perfidiae pretium, centum aureorum nummum millia ad eum miserat. Et, quo Pontificem simul Bathoriumque sopiret, atque ab omni suspitione fraudis averteret, Malaspinae, Pontificis verbis de faedere secum agenti, cupidum se pacis esse respondit, paratumque renovare amicitiam, quae sibi cum Sigismundo fuisset, si, quod aequum esse videretur, tres, quas ipse edidisset, arces in Transilvaniae finibus, fidei pignus, sibi ad certum tempus traderentur. Cum his mandatis dimisso in Transilvaniam Malaspina, Michalem crebris nunciis litterisque ad patranda consilia, invadendumque Cardinalem, dum tractatione pacis deceptus nihil de bello cogitaret, urgebat. Et Cardinalis quidem, etsi a Caesaris nomine abhorrebat, & initio omnem de arcibus mentionem respuerat, tamen, auctoritate motus Pontificis, majus a Turcis laesis, iratis, infidis periculum ostendentis, ei de tradendis, ad proximum triennium, arcibus est assensus. Composita res erat ex sententia maxime Caesaris, & obsignatae Cardinalis signo chirographoque tabulae ad eum cum legatis missae, & jam ante Cardinalis, caepta de pace actione, arma posuerat, exercitumque dimiserat. Caesar facilius celeriusque transactum cum Cardinale, quam voluisset & quam crediderat, cernens, amplecti quidem se pacem palam ferebat, sed legatos usque ducere, ac differre cum videretur, suspecta res Malaspinae & Cardinali esse caepit, eo magis, quod intente parari copias a Valacho audiebant. Misere uterque ad eum percunctatum, quidnam consilii haberet, & quo tantus apparatus

Caesar Valachum in Cardinalem armat.

Cardinalis simulatione pacis decipitur.

Quam fallax Valachus.

belli spectaret. Ille, ad omnem [1] dolum compositus, jurat, nihil unquam sibi Cardinalis amicitia antiquius fore, nihil auctoritate Pontificis sanctius: illis se copiis trajicere Danubium, & ad Adrianopolim usque, omni clade belli, Turcarum vastare terras in animo habere. Et, quo magis falleret, praemiserat suorum haud parvam manum, qui transitum fluminis, atque utranque ripam praesidiis occuparent. Demum, revocatis iis, signa in Transilvaniam ferri jussit, Cardinalem incusans, qui a fide faederum discessisset, & se communibus hostibus jungere, & socios prodere cogitaret. Ergo se Caesaris militem ferens [2], quae, Deo immortali teste, sanctissimo jurejurando inter se Transilvani Valachique pacti essent, & Caesari spopondissent, ea vi atque armis ab recusantibus exacturum. Cardinali, ad cogendos suos, & nuper dimissos ad signa revocandos, perexiguum tempus fuit. Sed egregio studio Transilvanorum usus, paucis diebus, valentissimas equitum alas, & ad viginti millia armatorum unum in locum conduxit, & Valacho, duplicem militum numerum ducenti, minitantique, aeque minax ipse obviam processit. Quibus major belli usus erat, deligi castris locum, & moram injici hosti, atque abstineri praelio placebat: quod Valachis, unde tantam multitudinem alerent in hostili terra, brevi videretur defuturum. Ac, si rem decernendam fortunae dare statuissent, Cardinalem utique interesse pugnae negabant debere, eumque, ne omnium simul rerum periculum subirent, incertis fortunae subtrahendum ajebant. Id ipse consilium ita est aspernatus, ut videretur, haud minus certamine atque pugna, quam ipsa spe victoriae laetari. Praeterquam quod ingentem irarum molem in Valachum Caesaremque animo conceperat, etiam despiciebat hostem, & neque animis sibi, neque militum genere parem esse credebat. Atque ita, tametsi Malaspina conventum de pace cum Caesare ferens, & utrunque, & maxime Michalem, rogaret, ut tam diu bello abstinerent, donec nuncii a Caesare redirent, tamen nulla mora praelio fuit, & ille ex pacificatore spectator certaminis fieri est coactus. At Cardinalis, ira simul atque ferocia elatus, ante prima signa cum fortissimis in hostem invehitur, & haud dubie perfregerat averteratque, quas incurrerat, turmas, & rem ab ea parte inclinaverat. Sed ferox juvenis, & plus animorum, quam usus,

Cardinalis pugnae avidus.

1 Pro mendoso autographi *omne*, *omnem* reposui.

2 Nempe Michal: et subaudi *dictitat*, *testabatur*, aut aliquid tale.

usus, ad pugnandum afferens, & insuper quorundam e suis, quos Caesar ante donis promissisque corruperat, fraude desertus proditusque facile a perito & callido duce superatur occiditurque. Non puduit Barbarum victorem occisi caput praecidere, &, cum Malaspinae spectandum obtulisset, Pragam usque, victoriae suae testem, ad Caesarem mittere. Victi Transilvani, &, amisso rege, consilii inopes, Valacho se dedunt. Atque ille quidem, quanquam videri volebat, Caesari se, non sibi vicisse, & ad eum scripserat, ut possessum Transilvaniam mitteret, tamen & idonea loca suis praesidiis insederat, & rem per varias frustrationes extrahebat. Miserat eo Caesar justa cum manu Georgium Bastium Epirotam, clarum militia, &, Belgicis bellis, ob virtutem, ad primos ordines provectum. Is haerentem victoriae suae bonis Valachum, & usque promissa differentem, multis Transilvanorum in suas partes traductis, (ut est ea gens ad mutandam fidem facilis) acie profligatum excedere Transilvania coegit. Qui, cum in suum regnum abiisset, reputans, neque domesticis viribus sine aliena ope sustineri ab se diu Turcicum bellum posse, nec tam graviter laesis, quanquam optabiles conditiones offerentibus, fidendum esse, relicto ad custodiam regni filio, ipse in Bohemiam ad Caesarem se contulit, cum quo coram de suis rebus ex usu utriusque transegit. Remissus in Transilvaniam cum Bastio pariter rem gerere, & Turcas & Sigismundum, reptantem [1] adhuc, &, post Cardinalis mortem, pristinum jus regni vendicantem sibi, arcere finibus jubetur. Sed gravis suspectusque affectanti Transilvaniae res visus, paribus insidiis, ac olim Georgius Monachus, de quo supra [2] memoravimus, a Bastio est interfectus. Par quoque illi objectum crimen, agitasse cum Turcis de Bastio Germanisque Transilvania ejiciendis. Quae, seu vera fuerint, sive ad leniendam caedis invidiam ficta, quia compertum non habeo, in medio relinquam. Caesariani pro non dubio vulgarant, vulgus dolum & calumniam credidit. At Sigismundus, impellente instruenteque Zamoscio, Poloniae Cancellario, ac faventibus & adjutantibus Turcis, & ipsis Transilvanis accersentibus, rursus in Transilvaniam venerat, & ausus [3] cum Bastio praelium, victus non abscessit. Et, quanquam Caesarianis armis praesidiisque urbes tenerentur, tamen popu-

Cardinalis mors.

Valachus a Caesarianis occisus.

Transilvani fucta levitas.


lo-

[1] *Reptare* pro lente ac segniter agere, latinum esse sciunt, qui latine non nesciunt.

[2] Pag. 294.

[3] Subaudi *committere*.

lorum ſtudiis fretus, & Coronae, valido oppido, receptus magnum Caeſari negocium facturus videbatur, niſi, ut ante, eum ſubita deſperatio metuſque occupaſſet; dum hinc decipi a Turcis, hinc prodi a ſuis, hinc circunveniri a Caeſare timet: eoque timore percitus ſeque Tranſilvanoſque rurſus deſtituit, & ad Caeſarem ipſum, cujus maxime vim dolumque metuebat, ultro confugit: &, cui armato, haerentique poſſeſſioni regni ſui, nullae honeſtae conditiones defuturae fuerant, inermis ac ſupplex, ſpretus, ac ne in conſpectum quidem admiſſus, in Rethiam, longe a Tranſilvaniae finibus, ſummotus eſt: ubi deſpectus & inops non privatam ſolum, ſed ne liberam quidem vitam agit.



AN-



ANTONII MARIAE

GRATIANI

A BVRGO SANCTI SEPVLCRI

DE SCRIPTIS INVITA MINERVA

AD ALOYSIVM FRATREM

LIBER XII.





T ego te, frater, diutius, quam fortasse velles, Byzantii detinui, dum Turcarum res, ab ipsa origine repetitas, percurrere juvat. Quorum nobis quatuordecim memorati sunt reges (tot enim ab Othomano, conditore Imperii, ad hunc ipsum, qui nunc rerum potitur, Mahometem numerantur.) Ab his perpetua, nec dispari singulorum cupiditate fortunaque, quam intentis & impigris alienae discordiae praebuere, fundatum, auctum & ad immensam hanc, & haud dubie sua jam mole laborantem, magnitudinem propagatum Imperium est, trecentorum admodum annorum opere. Cujus transcurrere fines (quando per omnia vagari caepimus) non est cur pigeat. Digna certe res cognitu memoratuque. Quantum inter duos Indici oceani maximos sinus, Arabicum & Persicum, jacet terrarum, & oceanus ipse alluit, in quibus patentia ditiaque Arabiae regna sunt, continet. Ab his terris Balsaraque, Euphratem ultra, recta in Septentriones tendens ad Hircanum usque pertinet mare dexterum latus ejus tegente assidue Perside. Ab Taurisio, Per-

Imperii Turcarum brevis descriptio.

Perſarum nuper Regia, nunc intra fines Turcarum poſita urbe, flectit in occaſum, ac Tigridis ſupra fontes rurſus in Aquilonem exurgens, ad Tanaim pervenit. Hinc tranſgreſſum in Europam, Boryſthenis oſtia ac Tyrae petit, & Moldaviam, Valachiam, Tranſilvaniam, atque omnes pene, quae florenti olim Vngariae regno continebantur, nationes trahens, ad fauces Adriatici freti exit. Hinc, rapto, quantum eſt ad orientem mediterranei maris, ab Europa tranſmittit in Africam, & omnem ab ruinis antiquae Carthaginis, & Tuneti regno oram, uſque ad Aegyptum arrogat ſibi; complexumque ipſam Aegyptum ad Arabicum revertitur ſinum, miliaria ſupra duodecies mille circumiens. Singula memorare regna genteſque & maria atque inſulas, quae tam lato ambitu continentur, longum & inſtituto noſtro devium eſſet. Tantis certe in unius capitis potentiam collectis opibus par terrarum orbis non eſſet, ſi, qua virtute quibuſque artibus partae ſunt, iisdem nunc quoque haberentur; nec ipſi victorias ſuas avaritia & crudelitate corrumperent, ſubactis populis ſpoliandis diſtrahendiſque ac pene funditus evertendis. Sed nimirum longe ab priſca ſobriae, inopis & aſſiduo labore militiaque duratae gentis diſciplina deflexum degeneratumque eſt. Id ſcilicet, retundendis, ſolvendiſque magnis imperiis, ne cuncta pertraherent, rerum viciſſitudo invenit, ut ipſae per ſe divitiae opeſque luxuriam pariant, ab luxuria ocii, libidinis, vini cibique amor exiſtat. Ita cum magnitudine Imperij magna quoque vitia creſcunt. Amurathes, Turcarum rex ſeptimus, ille, qui ad Varnam Vladiſlaum, Poloniae & Vngariae regem, acie victum occidit, aemulatione veteris Macedonum phalangis, Turcarum militiae novam delectus formam e Chriſtianis adjecit, atque, egregio invento, Imperii robur aſcivit ex hoſtibus (nam Chriſtianis Turcae, vel ditioni ſubjunctis, ob cultum Sacrorum, & longe diverſam de divinis rebus fidem, haud fere plus, quam hoſtibus, fidunt.) Quinto vel tertio quoque anno mittebantur per provincias, qui puerorum primae aetatis delectum haberent, nec, niſi Chriſtianis parentibus ortos, aſſumere, nec niſi Europae nationes obire jubebantur. Turcis, ut ſuis, parcebant. Aſiani, ut molles atque imbelles, rejiciebantur. Maxime ex Graeciae, Illyrici, Epiri, Macedoniae, Thraciae Vngariae bellicoſiſſimis gentibus, ut quiſque habilis membris, validus corpore, ingenio promptus & audax viſus, legebantur. Lex ex tribus filiis virilis ſtirpis, unum, ex quinque, duos dari jubebat, nullo

Magna imperia magnis vitiis corrumpuntur.

Militaris diſciplina Turcarum ſub Amurathe rege.

Genus delectus ex pueris.

lo ingenuorum aut agrestium discrimine. Quin pars maxima agrestium erat, quod & labori aptius genus, & plerosque ingenuorum ab ipsis perquisitoribus parentes pecunia redimebant. Par captivorum quoque delectus habebatur & saepe ex captivis magnorum exercituum ductores extiterunt. At pueri, sinu parentum, amplexuque abstracti, Byzantium abducebantur; ubi selectis, quos retinere in regiae septis placebat, in proximas Asiae urbes in disciplinam mittebantur. Prius inopi victu cultuque, servilibus fere ministeriis operibusque, ad laborem, ad inediam, ad aestus, atque hyemis mala toleranda firmabantur [1]. Simul patriam linguam, patrios mores, patriam religionem dediscebant. Deum Turcico ritu venerari, Turcice legere, scribere, loqui, vivere assuescebant: & quisque, pro suo ingenio, in fabrili aliquo opere, cujus esset in bello usus, erudiebatur. Tantique id erat illis, ut ne regis quidem filios expertes opificii alicujus esse finerent. Tractare mox arma, jaculari, equitare, cursu certare, arcu aut sclopo destinatum signum certis petitionibus figere, falcatum vibrare gladium, aut hasta inferre ictum docebantur. Sic a primis annis, malis ac laboribus subacti, & omnibus efferati armorum exercitationibus, omnibus belli artibus imbuti, milites fiebant. Pars maxima supplendis praetorianis, qui Jannizeri dicuntur; alii, quorum praestaret indoles, in Regiae septis educati, in alas equitum, regis in aciem prodeuntis latera tegere suetas, adlegebantur. Ergo ignari patriae, ignari parentum, ignari suorum, & omnium obliti, omnium egeni, unum regem, a quo alti institutique erant, a quo praesidia vitae, a quo praemia militiae sperarent, ut praesens numen, colebant; &, pro dignitate ejus profusam animam, haud dubiam manere apud superos mercedem, persuasum habebant. Hinc parendi amor illis, hinc periculorum, hinc mortis contemptus, & nulla, quantumvis praecipitis, imperii detrectatio. Jannizeris connubii jus negabatur, ne, caritate liberorum aut conjugis deliniti, belli studia intermitterent. Duodecim millia pedi-

Institutio delectorum puerorum.

Addicti regi milites.

Jannizeri quot.

[1] Haud alis in antiquis bene moratis constitutisque Rebuspubl. puerorum disciplina. Cicero Tuscul quaest. lib. II cap. 24. (al. 14.) „ Cretum „ quidem leges, quas sive Jupiter si- „ ve Minos sanxit, de Jovis quidem „ sententia, ut poetae ferunt; itemque „ Lycurgi, laboribus erudiunt juven- „ tutem, venando, currendo, esu- „ riendo, sitiendo, algendo, aestuan- „ do. Spartae vero pueri ad aram sic „ verberibus accipiuntur, ut, multus „ e visceribus sanguis exeat; non- „ numquam etiam, ut, cum ibi essem, audiebam, ad necem: quo- „ rum non modo nemo exclamavit „ umquam, sed ne ingemuit qui- „ dem. „

ditum, duo equitum erant. Pedites Jannizeri, equites Spachi dicebantur. Sed equitum numerum multiplicabant servi, quos unusquisque, pro suis facultatibus, pari armatu, nec alia re, quam integumento capitis, discretos a Dominis, ducebant; nemo plures decem, nemo pauciores tribus. Atque hae alae longe nobilissimis Turcarum constant. Nec tamen nobilitas his ex vetustate generis, aut majorum meritis. Quippe servi omnes, & ignari stirpis, & Christiano orti sanguine: & tantum virtutis specimine aut gratia regis provecti: quae sola apud Barbaros nobilitas noscitur. Caeterum transcribuntur in eas delecti ex omnibus juvenes, qui ipsi regi in septis operam navant, et domestica munia praestant. Quorum quatuor, intimi cubiculi ministri, fere ad magnas praefecturas proferuntur. Horum equitum tanta dignatio est, ut, non nisi regi ipsi pareant, ac ne militent quidem, nisi rex ipse bello intersit: caeterisque omnibus uberiora stipendia ferunt. Horum frequentia celebratur Aula: penes hos pulcherrimi equi, equorumque ornatus; et ipsi egregii eorum domitores: iidem splendore atque cultu longe caeteros antecellunt: atque ex horum numero, siqua insignior mittenda legatio, ex his Sangiacchi, Bellerbeji, Bassae (haec sunt maximorum apud Barbaros munerum vocabula,) ex his denique regis ipsius generi, & concubinarum viri leguntur. Peditum Jannizerorum, ut non par dignitas, ita licentia atque auctoritas pene major. Jus ipsum regni arrogare videntur sibi. Saepe, perverso legum ac naturae ordine, praeteritis majoribus natu, quem libido tulit, regis filiorum ad imperium extulerunt: ut reges ipsi, inito regno, horum gratiam plerunque pretio ac largitione concilient. At, non istitutio ad militiam adolescentium, quam militum in castris, atque bello disciplina severior. Nullum tam parvum erratum, quod impune esse admittenti sinerent: ac pene omnia delicta praesenti morte vindicabantur, veniae spe omni praecisa; ut, nisi innocentia, vitari supplicium non posset; & punitus capite sit qui in agmine, ex prominente in viam arbore racemum uvae, contra edictum, decerpsit. Militibus, & maxime Jannizeris, denis quibusque suum erat caput, cui caeteri parerent; item centenis millenisque. Denis commune tentorium, communis mensa. Horum alius cibos comparandi ex communi pecunia, alius coquendi; alius tendendi obibat munus. Nulla inter eos contentio, nulla altercatio, nullae rixae. Quod quisque jussus esset, sine recusatione in commune ministrabat.

Margin notes: Spachi. — Jannizerorum in regno deferendo auctoritas. — Disciplina castrorum longe severissima.

bat. Jussis obloquentem, aut adeo, quantumvis leviter, in disciplinae leges peccantem, statim sequebatur paena. Verberibus castigatus, pro eo ut irasceretur aut indigne ferret, protinus ad agendas ei gratias, cujus jussu vapulasset, accedebat. Nullum scortum in castris, nullum voluptatis irritamentum. Vna omnibus curarum & cogitationum summa, parere, vincere, rapere, seque hostilibus spoliis locupletare. Silentii tantum studium, ut frequentius nutibus, quam verbis, inter se agerent; atque in maximorum exercituum castris vix strepitus stativa habentium exaudiretur. Non incendii causa tollere clamorem, non aufugientem captivum insequi, ne quid per noctem ancipitis tumultus excitaretur, licebat. Ad imperium intenti omnes, atque praesto erant, pariter & ad iter, & ad praelium expediti. Nemo alia secum impedimenta, quam, quibus carere non posset, ferebat. Vnde innumerabiles pene copiae, vel ad subitum imperantis nutum mobiles, quo usus posceret, agebantur. Vulgaris omnibus vestitus cultusque, nec alius, quam in armis, splendor. Nullus militi, ne domi quidem atque in urbe moranti lectus aut ulla culcitra, aut omnino ullum e tomentis stratum. Abjecto in terram tapete, & pulvino aut sagulo capiti subjecto, ipsi quoque proceres cubabant. Vel apud duces nullum, nisi ligneum aut ex corio, vas, & ipsas quoque convivantium mensas non lineis sericisve mantilibus, sed coriis, sternere mos fuit; & sedentes humi, contractis sartorum ritu cruribus, vescebantur. Aeque parabilis cibus. Vervecina cum oriza caro lautissimum convivium, non in castris solum, sed in urbano quoque otio finiebat. Vinum nec comportabatur in castra, & gustare religiosum habebant. Sitim hausta e flumine aqua pellebant. Optimum obsonium esurientibus erat panis, quem ipsum non pistorio opere, sed suo quisque conficiebat: coquebantque, aut in foco ipso ferventi cinere & carbonibus superjectis, aut fictili testa impositum torrebant. Quod si is quoque defecisset, pro pane erat ipsa oriza; & utriusque vicem supplebat durata sale siccataque caro, quam in pulverem redactam, ad reliquarum rerum sublevandam inopiam, secum quisque ferebat. Ex hac pultem, ferventi commixta aqua, efficiebant, eaque vitam laetanter tolerabant. Quin, hoc quoque subsidio destituti, equis suis, vena levi ictu fracta, sanguinem [1] detrahebant, eoque se alebant; accepto a Scythis more, quorum ipsi stir-

Quanta Silentii cura.

Lectus nullus.

Panis in Turcarum castris.

[1] *Venit & epoto Sarmata pastus equo.* Mart. lib.

pes sunt. Nam equis ipsis vesci haud minus libenter, quam nos bobus, consueverant. At his sordibus (nam sordes ipsis quoque nunc Turcis videntur) atque hac tam inopi duraque disciplina longe maximum atque latissimum Imperium est partum; dum neque rex, neque miles aliam, quam quae victoria parabatur, voluptatem norant. At, in victos dubium, crudelius an avarius consulerent. Tanta barbaries erat, ut perdere, quam habere subacta armis regna viderentur malle. Non rebus, non corporibus, non urbibus, non terris ipsis parcebant: tanquam pro vastitate ac solitudine, non pro victoria, bella susciperent, ut saepe, captos, atque inter milites divisos agros, deessent, qui colerent, non solum, qui frequentarent. Caeterum id Imperium, quia ad summum magnitudinis atque potentiae culmen pervenisse videtur, & nihil est in rebus humanis firmum, nihil stabile, cuncta rotatu suo trahente ac circumagente hoc rerum orbe, credi potest, in devexu jam esse. Tantarum certe molem opum pondere suo premi demonstrant mutati atque in nequitiam corrupti mores. Jam, primum omnium, reges ipsi, bellatores antea & proferendi fines avidi, ducendis exercitibus, & gerendis rebus per se aderant, victoriarumque suam, quam praefectorum, gloriam esse malebant, & continendae disciplinae, atque incitandae militum virtuti haud leve momentum praesens imperium regis addebat; dum quisque ab eo fortium factorum non dubia praemia expectat, aut ignaviae paenas metuit. Nunc desident domi, & Byzantio, affluentissimae omnibus deliciis urbi, affixi, avelli se a luxu ac voluptatibus suis non patiuntur; bellaque per praefectos administrant, & rerum regimen permittunt servis. Qui ipsi non, ut ante seniores, ac per omnes civilium atque militarium munerum gradus producti, & ipso honore aetatis, & diuturno usu rerum spectati atque cogniti deliguntur, sed ambitu atque largitione obrepunt, aut eximia regis gratia transiliunt. Saepe enim juvenes, officiis, domesticae operae, apte ad ingenium Regis obeundis, parta potentia, ad magnas procurationes, atque etiam ad militarem ducatum e Regia prodeunt; & ante imperatores, quam milites, facti, bella nequaquam ex veteri gentis instituto administrant. Saepe obtrectatione atque invidia ipsi inter se duces ita contendunt, ut, magno regis ipsius detrimento, mutuis se incessant atque impediant dolis. Nam hoc ipso Vngarico bello Farates, quo Sinamo, aemulo suo, incommodaret, ita militum animos corrupit, ab eoque alienavit, ut

Turcis victos funditus evertere mos fuit.

Mutati Turcarum mores.

Magnum in praevente rege momentum.

Duces non ut ante delecti.

ut palam imperium ejus detrectarent, & alium sibi ducem praefici postularent, denunciarentque, castra se deserturos, nisi amotus Sinamus foret. Quantum hoc bellicae disciplinae vulnus, subjici libidini atque arbitrio militum duces? Quae ratio, sive ab inertia regum, seu adeo ab ipsa potentiae natura, labores curasque desugiente invecta, dupliciter nocet. Nam & res militaris mollius, absente rege, tractatur, ac indies magis atque magis remittitur, & illi ipsi Jannizeri, ac Spachi, quorum formidabatur nomen, urbano ocio luxuriaque corrumpuntur; atque ardor ille atque impetus ad bellum, & navandam imperatori operam, quo vel maxime commendabantur, refringitur quotidie ac restinguitur; ut, quemadmodum hae manus peditum equitumque invictam rem Turcicam praestitisse, nec unquam tot bellis eorum terga ullum hostium vidisse praedicabantur, ita longe nunc illis abesse haec gloria videatur, tota perversa atque depravata disciplina. Quanquam ego ne tum quidem, cum maxime floruerunt, tantum in re fuisse, quantum fama atque opinio hominum ferebat, arbitror. His enim assignatus inacie locus circa regem erat, quem, densatis ordinibus & magno aeneorum tormentorum apparatu firmatis, veluti muro, vallabant. Ita perraro ad eos perveniebat praelium, & ne faciendi quidem virtutis periculum facultas iis contingebat. Tempore suo & occasione sapienter utendo, & multitudine equitum, qua longe praestiterunt, & parendi disciplina severissime ab iis semper exacta, maximas res Turcae maximaque bella confecerunt. At, postquam Selimus, magno & supra spem suam secundo victoriarum cursu, deleto Mamaluchorum nomine, Turcis maxime terribili, Syriam Aegyptumque subegit, & Solimanus ejus filius, expugnata Rhodo ac domitis Vngaris, Christianos reges omnes gravi metu concussit, ipsa securitate dilapsi magnopere mores eorum sunt. Jannizeri & Spachi, penes quos praecipuum militiae decus, non tam experimento virtutis, quam hominum praedicatione & disciplinae laude, erat, longe ab illa ratione discesserunt, qua primum instituti informatique sunt. Tum delectus quinto, aut summum tertio, quoque anno inibatur: nunc fere quotannis perquisitores in provincias mittuntur, qui rem, salubriter tuendo augendoque Imperio inventam, totam in quaestum rapinamque verterunt. Et, cum antea pueri primae aetatis, ut ostendimus, asciscerentur, Turcisque & Asiaticis abstineretur, nunc & traductus in Asiam delectus, & sublato Turcarum Chri-

Vrbano ocio militaris vigor extinguitur.

Vnde initium mutandi mores Turcis.

Corrupta delectus disciplina.

Christianorumque discrimine, ex utrisque apta ferendis armis aetas, nullo cum delectu, cogitur. Ita, contra quam priscae disciplinae ratio tulit, ante milites & Jannizeri fiunt, quam ullam militiae artem perceperint. Quo suppleti quidem, quos Persicum bellum absumpserat, & pene duplicatus eorum est numerus, sed militandi mos laxatus penitus ac dissolutus. Et, quod ante negabatur, aut tantum emeritis, pro magno munere, tribui consueverat, nunc passim omnibus matrimonii atque liberorum jus conceditur. Quibus rebus studium quoque in regem ac veneratio refrixit. Et, qui, vel levi de causa, loris inflictas plagas tam aequo animo ferre didicerant, ut pro iis grates auctori referrent, horum nunc tanta arrogantia tantaque contumacia est, ut ne capitale quidem facinus vindicari in sui corporis militibus patiantur; nec palam supplicium de quantumvis sonte rex ipse juberet; adeo facile ab effrenata licentia, quam diuturna impunitas aluit, in saevas seditiones exardescunt. Si quem punire necessitas cogit, dolo interceptum clam necant. Vitae quidem necisque potestas in eos unum penes lucem, quem ipsi, eorum lingua, Agam vocant. Sed adducta res est eo, ut illi severitate irritentur, indulgentia deteriores fiant: & ducum nemo diu in eo imperio retinetur. Quippe nihil tam suspectum regi, quam ejus, qui Jannizeris praeest, paulo insignior apud eos gratia: idque exitiabile multis fuit. At illi, remissis belli studiis, varie quaestibus inhiant, pecunias suas Judaeis credunt, avideque cum his faenerantur. Legatis regum, ditibus mercatoribus, aliisque alicujus dignitatis viris, inter Turcas versantibus, & maxime iter facientibus, quo tuti ab omni barbarorum injuria praestentur, custodes Jannizeri milites adhibentur. His tuentibus, Turcae, dirum atque inhospitum genus & peregrinis infestum, non solum vim omnem atque contumeliam abstinent, sed, jubentibus iisdem, praesto ad officia sunt. Hi diversoria, hi obsonia, hi omnia hominibus jumentisque ut suppetant, curant. Tantum militiae ejus nominisque apud omnes metus, tam retusi caeteris ac domiti spiritus sunt. Hujus operae uberem mercedem Jannizeri ferunt, subinde donis ac pecunia muneratí cultique. Sed ipsis nihil quaestuosius ipsa licentia, qua assidue grassantur. Si quid empturi sint, pretium rebus ipsi statuunt, renuentemque institorem saepe fuste ac verberibus silere cogunt. His rex ipse quodammodo assentari videtur, quippe quorum mercari pretio obsequia initio regni large do-

Amissum puniendi jus.

Jannizeri quaestibus student.

Quanta Jannizerorum licentia.

donando, ſtipendiaque augendo conſuevit. Horum gratiam regis filii occulta largitione affectant, quando arbitria deferendi imperii vendicarunt ſibi. Iisdem veluti conceſſo jure, quod ipſi prava conſuetudine fecerunt, audita regis morte, Judaeis Chriſtianiſque vim afferunt, eorumque tabernas ac domos diripiunt. Quod ipſum, vivo quoque rege, ſaepe per tumultum tentarunt, atque aegre compeſci potuerunt. Diſſident, veteri aemulatione, ab equitibus Aulae ac Spachis, quod diſſidium utriſque continendis eſt. Quanquam utrorunque par arrogantia atque violentia ſit; utrique a veteri ac ſalubri diſciplina defecerint; & Jannizeri magno ſibi honori ducant, ad aequum tranſcribi, & ad Spachiorum ordinem proferri. Proximis annis, atroci ſeditione cum conſenſiſſent, regi ipſi duram impoſuerunt legem, eumque in magnum vitae atque Imperii metum adduxerunt. Amurathes tertius Habraimum, ſervorum gratioſiſſimum, adeo favore extulerat, ut non ſolum Europaei equitatus magiſtrum creaverit (Beller Bejum Turcae appellant; eſtque totius exercitus longe nobiliſſima atque opulentiſſima procuratio) ſed regni totius vectigalibus totique pecuniariae rei praepoſuerit. Et praeterea uni patere ad ſe, quoties & quando vellet, aditum juſſerat, ut non ſolum de maximis rebus cum eo conſilia explicaret, ſed domeſtico quoque & familiari uſu ejus delectaretur; ut, ſive in hortos ſecederet, omni fere cum eo tempus conſumeret, ſeu venatum in proxima Aſiae littora trajiceret, eodem ſecum navigio duceret; denique unum maxime diligere, uni maxime tribuere videretur. Tam flagrantem gratiam ille, cum caetera induſtria, tum rapiendo, praedando atque extorquendo ab omnibus, quod inde uni regi, talium avido, largiſſime atque ampliſſime donaret, tuebatur. Ea res incenderat invidia omnium animos, & ante omnes ipſorum purpuratorum ac Baſſarum, & maxime alterius Habraimi, & Sceiuti Baſſae, quorum ille ſororem, hic filiam regis in matrimonio habebat: cujus honorem affinitatis obſcurabat una Beller Beji gratia, ac pene obruebat. Horum artificio ſollicitati pariter Jannizeri & Spachi ſunt adverſus Magiſtrum equitum rapta inde occaſione, quod utrique ſaepe queſti apud regem fuerant, ſtipendia ſibi fraude imminuta, & argentum aurumque minus probum adnumeratum, nec reſponſum nec remedium tulerant. Id dolo ac ſuperbia factum Beller Beji Habraimus & Sceiutus apud milites arguebant, eique caeteram quoque avaritiam regis, quae maxima erat, im-

Seditio Jannizerorum.

Habraimo regis gratia exitio fuit.

Ex ingenti gratia ingens invidia.

Miles in Regiam irrumpit.

imputabant. Per haec incitati simul Spachi, simul Jannizeri, infestis armis, in Regiam irrumpunt, & minacissime dedi sibi ad supplicium Beller Bejum postulant. Excitus clamore ac tumultu rex, Agam aliosque, magnae dignitatis atque auctoritatis viros, ad sedandum tumultum misit. Sed miles, gladios minasque intentans, ne auditos quidem eos rejecit. Tum rex, de suorum consilio, ipsum se in conspectum multitudinis, si forte praesentis majestatem revererentur, dedit. Ac primo quidem benigno alloquio demulsit. At, ubi respui insolitas blanditias sensit, promissis ac praesenti pecunia, quam aperto aerario promi confestim jusserat, mitigare furentes est conatus. Omnia frustra fuere. Ferocissime emi se pretio renuunt: nec abscessuros inde, donec, per caedem obstantium sibi ipsius Beller Beji capite jus militiae suae sancivissent, denunciant. Tum rex, crescente assidue impetu atque audacia saevientium, habito raptim suorum consilio, etsi magno vulnere majestatem Imperii sui violari minuique cerneret, & hominis acceptissimi sibi calamitate atque indigno casu vehementer commoveretur, tamen, veritus, ne, si ultra tenderet, vis sibi ab insanientibus afferretur, &, quod intimum urebat animum, ne, se dejecto, filium probae indolis adolescentem ad regnum accerserent, de omnium sententia, militum postulatis cessit, suppliciumque Beller Beji decrevit, qui, extemplo [1] productus, omnibus inspectantibus, securi est percussus. Tam faede protrita ac paene convulsa Imperii majestate, & offenso gravissime rege, magis seditio in praesentia conquievit, quam sedati satis aut compositi animi militum sint [2]; in quorum vultibus plus suspitionis ex culpae conscientia, quam pudoris aut paenitentiae apparebat. Quarto post die, incertum, casu an dolo eorum, novas tumultus causas quaerentium, incendium in urbe ex Hebraei domo erupit. Procursum, ex prisco more, a Jannizeris est ad extinguendum ignem; &, quanquam proxima quaeque jam corripuerat flamma, tamen studio militum paucis horis compressa atque extincta est. Cujus inde operae cum mercedem, pro veteri instituto, poscerent, rejecti cum probro ab Aga, eorum duce sunt, exprobrante illis proximam seditionem, & id ipsum incendium eorum fraude excitatum objicente. Ea oratio pristinae modestiae, quam praesenti corruptelae, aptior, insolentes, & male pacatos animos, & calentes adhuc re-

Coactus rex Beller Bejum ad necem dedere.

Vrbem Janniteri incendunt.

1 *Ex templo* est autographi lectio, non *extemplo*.

2 Malim *sunt*.

recentis tumultus ardore, tanta irarum mole succendit, ut protinus, arreptis facibus, pluribus simul locis ignem tectis injicerent, & coortus forte vehementior ventus ita diffudit incendium, ut universam civitatem in magnum terrorem tumultumque conjecerit, & vix bidui spatio haud exigua pars vastissimae urbis deflagrarit. Quo tempore Jannizeri, ut id quaesitum ab iis intelligeretur, ad diripiendas Judaeorum domos, quorum invidiosae jam opes erant, discurrerant, haud minus atroci impetu, quam si in capta urbe versarentur. Ea gens redimendis regis vectigalibus, & varie negociando faenerandoque, ad magnas divitias pervenerat. Quae cum varia merce pecuniaque & supellectilibus fere constarent [1], earum pars maxima in praedam militari violentiae atque avaritiae cessit. Scripsere quidam, incendii ac direptionis hujus damna ad auri vicena millia pondo excessisse. Nam triginta ferme diebus continuata vis, non solum cohibente nemine nefarii exempli ausum, sed Bassis ipsis, aliisque proceribus Aulae, magis custodiae rerum suarum intentis, & timentibus, ne impetus in ipsorum domus fieret, quas firmis quisque praesidiis munierat, quam de aliena injuria sollicitis, & ipso quoque rege remedia jam magis, quam morbum horrente. Haec clades non solum impune auctoribus fuit, sed aegre, nec, nisi largitione ac praesenti pecunia, impetratum ab illis est, ut aliquot eorum cohortes in Africam trajici se, ad turbatas ejus provinciae res pacandas, paterentur. Hujus sceleris exemplum ab iisdem Jannizeris relatum proximis superioribus diebus accepimus adversus hunc ipsum, qui nunc rerum potitur, Mahometem, in quem pari violentia exarserunt, simul & inertiae ejus, &, cum omnia matri parerent, muliebris imperii pertaesi. Raptis repente armis, Regiam intrant, areaque & aditibus [2] omnibus occupatis, regem evocari, ut coram alloqui eum universae concioni liceret, jubent. Tam atroci tumultu excitus ille, pallens ac tremens in conspectum se militum dedit, rogavitque, ut, omissa vi, desideria sua exponerent, nihil se petentibus negaturum. Jannizeri, ipsum caelari Imperii vulnera, & ignarum rerum suarum incuriosumque prodi, queruntur.. Domi impotenti faeminarum libidine cuncta trahi, foris bella improspere administrari. Non in Vngaria solum gravia accepta incommoda ab iis hostibus, qui ante horrere Turcicum nomen

Judaei hostiliter diripiuntur.

Seditio in novum regem.

1 Etsi ferri posse existimem autographi *consient*, edendum tamen censui *constarent*.
2 In Autographo perstat *aditiis*.

consueverant, sed latronibus quoque (quod fari pudeat) rem Turcicam praedae esse. Id adeo incusabant, quod Scriba quidam, vir audax atque impiger, primo desertores fu-resque & alios, capitalia ausos ausurosque in Cilicia collegerat, & montium silvarumque latebris, in quas se recipiebat, tutus proxima incursabat; mox tam multi praedarum spe illecti se illi aggregarunt, ut non excurrere solum in agros, sed urbes quoque aggredi, expugnare, praesidiis firmare auderet: magnumque tota Asia nomen Scribae, magna fama, studiis faventium caeptis [1], erat. Missus cum cohortibus aliquie ad hunc comprimendum motum unus praefectorum auxit hostium numerum, sociumque se ejus facinoris adjunxit, ad quod vindicandum mittebatur. Postremo delectus e Bassarum numero, Mahometes nomine, justo cum exercitu, & ire porro atque atroces de latronibus ducque eorum paenas sumere jussus. Nec Scriba detrectavit pugnam, quadraginta armatorum millibus in aciem deductis. Pulsus Mahometes Bassa, multis suorum amissis, retro cum reliquiis victi exercitus cessit. Et Scriba, elatus successu, late Asiam populatur, diteque [2] praedis agmen trahens, ac multis nationibus, avaritia & crudelitate Turcarum fessis, ultro expetitus receptusque, Prusiam, opulentissimam Bithyniae urbem, &, ante Constantinopolim, Otthomanici Imperii sedem, in potestatem redegit. Id vero auditum Byzantii, unde Prusia vix millia passuum centum abest, magnum omnibus terrorem incussit, ignaro adhuc rege, & cladis suorum & Scribae. Ea enim occultabat mater, nec quid accidere filii auribus sinebat, quod molestum habere animum ejus posset. Hic terror Praetorianos Jannizeros, jam ante magnopere commotos, in apertam, de qua supra memorare instituerams, seditionem egit. Questi ergo, regimen rerum ab imperitis haberi, percunctantur regem, an de Scribae successibus deque Prusia audisset? Negante illo, se scire quicquam, postulant, ut Bassarum princeps, regii sigilli custos, penes quem, secundum regem, summa est rerum omnium potestas, & praeterea regius Quaestor, & ipsa ante omnes regis mater, sibi ad supplicium dedantur. Producti confestim Bassa & Quaestor, & missi, qui matrem quoque accerserent. Et Bassae quidem, per silentium paenae suae

Scriba quidam arma movet.

Jannizeri Bassam ad necem poscunt.

1 Non alia est autographi lectio, quam sinceram, etsi obscuriorem, puto. Magnam ait Gratianus Scribae fuisse famam propter studia eorum, qui illius coeptis atque ausis favebant.

2 Valerius Flaccus lib. II. v. 296. „ Non populos, non dite solum, „ non ulla parenti Regna peto. „

ſuae ſuccumbenti, abſciſſum, inſpectante rege, cervicibus caput. Quaeſtori, cum ſe ſuppliciter purgaſſet, nec ſuas, niſi parendi regis matri Baſſaeque, partes fuiſſe oſtendiſſet, ſecundo concionis clamore remiſſum ſupplicium. Et rex flexos ad miſericordiam animos cernens, precibus & ipſe impetravit ab iis, ut matri quoque ignoſceretur, pollicitus; ſe eam rebus amoturum ablegaturumque [1] Byzantio. Et ſepoſuit quidem ſeparavitque tum a ſe matrem, ſed illa, placatis corruptiſque largitione militibus, et ferociſſimo quoque varie per ſpeciem honoris amoto, nihil de priſtina potentia remiſit. Ab his rebus contemptu Turcarum orto, & Babyloniae praefectus, cui Meſopotamia, Euphratiſque accolae parent, Scribae exemplum ſecutus, defeciſſe a rege, & Perſae moviſſe arma feruntur. Sed nos ad perturbatos mores Turcarum redeamus. Spachiorum haud quidem tam violenta licentia, ſed diſciplina eo depravatior, quo diuturnior in urbe mora, atque opulentior ſerviendi conditio. Ab Amurathe ſecundo, qui auctor ordinatorque hujus militiae fuit, adeo ſevere miles, adeo omnis luxuriae expers eſt habitus, ut aequales temporum illorum ſcriptores memoriae prodiderint, in exercitu ejus e ſerico veſtem repertam ne apud ipſum quidem regem fuiſſe. An nunc agnoſceret milites ſuos, ſi reviviſceret Amurathes, quorum nemo non purpura, non auro, non gemmis fulget? Quorum ſervi ipſum, & regem & victorem tot gentium, cultu anteirent? Quorum frena loraque, quis [2] equos regunt, diſtincta lapillis margaritiſque rigentia, divitiis domus ſupellectilem pretio excedunt? Nam Spachiorum ut quique opibus excellunt, ita anteire alios numero, forma, ornatu ſervorum ſtudent, ſervoſque ipſos veſte, multo auro argentoque intexta, & nobilibus equis eximios oſtentare. Hoc maximum vitae decus ſplendoremque noverunt. At, vigente diſciplina, non forma ſervi, non aetate, non cultu, atque elegantia morum, ſed robore corporis, vigore animi, armorum tractatu eligebantur; atque ille plurimum gratiae inibat a rege, qui pannoſos atque incomptos, ſed acres animis & bello ſtrenuos juvenes adduxiſſet. Verum id ſtudium apud marcentes ocio, & militarium artium oblitos, penitus obſolevit. In cujus locum ſucceſſere inſidiae, calumniae, & caeterae circunveniendi ac dejiciendi modo hunc, modo illum, ſeque protrudendi atque inſinuandi artes, vitiaque alia, quibus divitiae atque deſi-

Rex aegre veniam matri impetrat.

Luxuria Spachiorum.

Xx 2 dia

1 Mendoſum autographi *ablegatorumque* emendavi.

2 Pro *queis*.

Turcae jam inviti militiam obeunt.

dia alimenta praebent; quorum contagio ad castra quoque manavit, quae ipsa saepe seditionibus militum, nunc praescribentium sua munia ducibus, nunc militiam detrectantium infestari accepimus: &, qui antea pati ocium, victoriis ac praedis assueti, nequibant, nunc ad regis exemplum, exuta omni ferocia, & veluti mansuefactae ferae, frui partis malunt, agrisque ac pecuniis suis incubare, quam novas sequi opes, aut inania militiae decora per sumptus & pericula quaerere. Hi Timmarioti a Turcis vocantur, quibus, stipendii loco, assignati agri sunt, & quisque pro modo agrorum, quos accepit, certum equitum numerum alere, & inde, quoties evocantur, nulla alia mercede militare tenentur. Atque hi equites numerum centum & quinquaginta millium implent, suntque verae vires Turcicae militiae, veri nervi. Sed horum quoque mutata magnopere ratio est. Ante cum regibus ipsis haud inviti, ad non dubiam victoriae ac praedarum spem, bella obibant; nunc amore conjugum, liberorum, praediorum suorum illigati, aegerrime abduci se ab domo, ab ocio, a quaestibus suis patiuntur: cum, praeter laborem & pericula, etiam sumptuosa iis militia sit; a qua, simul ac licet, abscedunt, resque suas avide revisunt. Quid ego nunc faeminarum luxum, quid spadonum greges, quid puerorum undique ad libidinem conquisitorum cultum, quid exquisitissimarum epularum apparatus, quid amenitatum, quid hortorum ac nemorum studia, quid novas voluptatum formas commemorem? Gens in universum adeo profusa in venerem, ut lege permissum sit, tot quenque habere uxores, quot alere fructibus suis possit. Faeminis omnis in cultu corporis cura; quod mire omni genere fuci, omni artificio componunt, comunt, molliunt. Et, quanquam mos patrius eas a conspectu virorum summoveat, in publicumque non nisi obvoluto capite, & velata facie, prodeant, tamen tanta earum libido est, ut appetant ultro viros saepius, quam appetantur, eo quidem licentius, quod involucris suis tectae ignorataeque per urbem incedunt. At domi tantis in deliciis habentur quaedam, ut iis non lecti solum, sed cubiculorum pavimenta ferarum pellibus sternantur, nec vulgaribus & communibus pellibus, sed zebellinis ac lynceis, quae sunt longe omnium ad tactum mollissimae; ut leviter etiam ambulent, non solum cubent. Ignotum veteribus commentum, ex bestiarum pellibus luxuria: neque ad corpus vestiendum, arcendamque vim frigoris (quod subjectas septentrionibus gentes necessitas docuisse videri potest) sed duritiem so-

Timmarioti.

Faeminarum apud Turcas luxuria.

Zebellinae pelles pedibus substratae.

ſoli inceſſu ne ſentiant barbaricae plantae. Ex Moſchorum terra Boryſthenes in Pontum Euxinum vehit, Pontus Byzantium. Moſchi ipſi longinquis ac ne ſatis quidem cognitis e nationibus petunt, captas ſilvis, quas frigidiſſimum ſidus premit; quarum pretia gemmis ac margaritis luxus aequavit. Vanum ac ridendum humanum ingenium! vana ac ridenda parandarum opum cupiditas! Ad id ergo tantus exſudatus labor a fortibus & bello egregiis regibus, ad id erepta per ſummam injuriam juſtis dominis tot regna, ad id ſumma perfidia inducti deceptique tot reges, & tam crudeliter necati, ut poſteris fluendi luxuria, & perdendi per inertiam, quae per virtutem ſunt parta, facultas eſſet? Hic exitus, hic fructus tot cladium, tot everſarum gentium, tot deletorum exercituum! At hinc nos intelligimus, non eſſe Turcarum opes invictas, ut quidam, ex ſuperiorum annorum fortuna atque rebus geſtis, falſo opinantur, cum veluti ardore nives, ita diſciplinae rigor divitiarum affluentia tabeſcat. Tria ſunt, quae huic ſolvendo Imperio eſſe diſſerebat Marinus Caballus, Venetus ſenator, qui legatus apud Solimanum fuerat; diſſidium inter fratres; defectio eorum, qui exercitibus aut validioribus provinciis praeſident; invectio luxuriae. Primum diſcrimen inductus, ſaevitia gentis, mos necandi ſtatim omnes, qui regio ſanguine ſunt orti, praecidit: alteri occurſum videtur, ſervis praeponendis, quorum neque opes, neque auctoritas ad tale auſum coaleſcere facile poteſt (quanquam hi quoque ſuſtuliſſe jam videntur animos, ſeu magnitudine divitiarum, ad quas pervenere quidam, ſive contemptu ſegnitiae regis, & muliebris potentiae, cujus ſervos quoque jam taedet. Certe & Scriba & Babyloniae praefectus palam defeciſſe, atque in armis eſſe, feruntur, & alter a Pruſia ipſi Byzantio, alter a Meſopotamia imminere Syriae videtur) Tertium inevitabile malum, quod ipſum ſe gignit, ex ſeque augeſcit, &, ne arceatur, non palam ingruit, ſed influit ſenſim, re atque effectu, quam ſpecie, magis peſtiferum: quippe, populando ac deſtruendo mores, ſubruit atque labefactat ipſa potentiae fundamenta: quibus exeſis ac debilitatis, ipſa in ſe ruat tam vaſti Imperii moles neceſſe eſt: quam manifeſte nutantem, & a conſilio & a viribus pariter laborantem, ſi quis impellat, caſura haud dubie videtur. Neque vero, ſi penitus introſpicias & rem vere expendas, aliud Romano Imperio finem attulit, quam orta ex nimiis opibus luxuries, ex luxurie avaritia deſidiaque, atque univerſae diſciplinae cor-

Qui fructus tot bellorum.

Non eſſe invictas Turcarum opes.

Quibus diſſolvi Turcarum Imperium poteſt.

Luxuria inevitabile malum.

corruptio. Hinc irrupit Barbarorum vis, & populo, domitori orbis terrae, insultavit. Scilicet, quos coercuerat virtus, vitia acciverunt. Par pestis Turcarum jam opes urget, si, labantes qui impellat atque aggredi audeat, inveniatur. In Christianis quidem regibus parum spei ostenditur, quorum aliis non satis animorum, aliis non satis virium suppetit. Et Hispaniae opes, quae solae viderentur pares fore, alio impenduntur: & debellare Britanniam, insidiari Galliae, reliquam conficere Italiam malle, quam longinqua atque ancipitia Turcarum bella aggredi Hispani videntur. Sociare autem certis faederibus plurium arma cum arduum, tum experimento parum firmum parumque stabile esse didicimus. Persarum infensi quidem animi, & ira acceptarum cladium parati ad ultionem: sed, ut supra ostendimus, peditum & tormentorum inopia impares, ne si auderent quidem, suffecturi videntur. Verum hi quoque, bellicosum nacti regem, Mahometis ignavia conciti, ut supra ostendimus, occupasse bellum, & in Armeniam irrupisse, scribentibus haec nobis, dicuntur. Quin Taurisium, regiam urbem, prodente praesidii atque arcis praefecto, receptam a Persis haud dubii diebus his attulere nuncii; & Persas, hujus rei successu, alacriores ad susceptum bellum factos, imminere Servani atque Arziruni urbibus. Ac, si tam prosperis initiis reliqua respondeant, brevi, transmisso Euphrate, erupturi in Syriam creduntur. Auget spem nunciata eodem tempore etiam Mahometis, Turcarum regis, mors, quem immodici cibi onus repente oppressit, & Achomathis, majoris filiorum, qui ei successit, parum non solum ad imperandum, sed parendum quoque habilis aetas. In Scytharum gentibus nihil magnopere opis, multo minus in Aethiopum armis, aut in reliquis Africae populis. Tuti ergo Turcae, magis aliorum infirmitate, & praeteritarum fama rerum, quam praesentibus viribus: ex eaque dudum arce bella cum finitimis gerunt, ut soli inferant arma, caeteri satis habeant eorum vim propulsare, si possint, atque arcere, & clypeo, non gladio, uti. At frangi res eorum aliter nequeunt, quam si hostem ea animi vi, eo ardore gloriae incensum nanciscantur, qui eos in ipsorum terra aggredi audeat, ac de suis rebus decernere, non semper de alieno contendere cogat. Nec quisquam id supra humanas vires putet. Neque enim, aut numero militum, aut magnitudine opum, aut latissime propagatis finibus, stare Imperia existimandum est, sed disciplina, & regentium animis. Haec ubi dilapsa sint, nihil aliud regna, quam

Ad Turcas frangendos exigua in Christianis spes.

Nec major in Persis.

Turcae pene ex tuto bella gerunt.

Bella non numero, sed disciplina bene administrari.

quam exposita occupare audentibus, sunt. Veterum Persarum Imperium multo amplius, quam quod Turcae nunc tenent, patuit. Quorum exercitus aequasse vallibus montes, junxisse pontibus freta, operuisse classibus mare, siccasse haustu flumina feruntur. Hos vel maxime fama opum florentes, sed collapsis moribus luxuque enerves, Alexander Macedonum rex, cui Magni cognomentum res gestae pepererunt, primus lacessere armis & ultro invadere bello est ausus, tanta victoriae fiducia, ut, ab Europa trajectis in Asiam atque in hostilem terram copiis, populatione milites cohibuerit, praefatus, parcendum rebus, quas possessum venissent, ac tribus praeliis bellum confecit: gentemque, quae terrarum orbi jugum imposuerat, jugum subire suum coegit, pene celerius, quam quisquam peragrare sine exercitu tam vasti Imperii fines potuisset.

Persas Alexander audendo vicit.

At quis, & quibus viribus, tantam rem tam celeriter confecit? Adolescens, cujus vixdum pubescerent genae, duos & viginti annos natus, cum duobus & triginta millibus peditum, quinque equitum. Hac tam parva manu, tam infirma aetate, ausum aggredi regnum, maximarum fama opum omnibus gentibus terribile, an vicisse admirabilius sit, non facile statuas. Cum hac certe copia, ad Granicum amnem, in ipso aditu Asiae, Darii praefectos fugavit. Cum hac, in Ciliciae angustiis, cum sexcentis armatorum millibus, & cum ipso Dario congressus, longe clarissima victoria est potitus. Cum hac, ad Arbellam in ipsa Perside, bellum profligavit. Et, ne tam secundas res tantum fortunae tribuas, is vigor animi fuit in juvene, is ardor ad gloriam, ut cum consultanti de praelio suaderent consensu duces, ut noctu hostium castra aggrederetur, tutius id in tanta suorum paucitate consilium disserentes, ipse, non nisi luce, palam pugnaturum se pronunciaret, & vera virtute, non furto noctis, victoriam quaesiturum. Ex his intelligimus, bella non numero & multitudine, quam magni duces semper contempsere, sed animis ac disciplina militum, & consilio imperatoris, confici.

Qua aetate, quibus copiis Alexander vicit.

Atque Alexander quidem, Persicum invasurus bellum, non tam juventutis robur in Macedonia, quam veteres Philippi milites, diuturna armorum exercitatione duratos, legisse fertur, & in exercitu ejus neminem ordines duxisse, qui canitie quoque ipsa

Qualis Alexandri exercitus.

non

1 De Xerxe quidem, Persarum rege, Cicero lib II. de Fin. bon & mal. cap. 112. (al. 34) „ Cum tantis, inquit, classibus, tantisque equestribus & pedestribus copiis, „ Hellesponto juncto, Athone per- „ fosso, maria ambulavisset, terram- „ que navigasset. „

non ſpectaretur. Hi ergo ita deſcendebant in aciem, ut nihil, niſi victoriam, cogitarent; hanc & praeciperent animis, & in dextris ferrent. Rogandus nobis Deus, ut talis Turcis aliquando exoriatur hoſtis. Certe, ſi quis vincere eos audeat, victoriam eo promptiorem videtur eſſe habiturus, quo alieniore ab iis animo populi ſunt, qui imperio parent, ob immanem avaritiam gentis & crudelitatem. Quis enim dubitet, Chriſtianos, in tolerando ſervitutis jugo diu preſſos, ad novam ſpem conſurrecturos, ſimul ac invadentium ſigna conſpexerint? Sed nos, quando ſpem non poſſumus, vota fovemus.

Pauca nunc, frater, ſi libet, de ipſa urbe Byzantio his, quae ſupra tradidimus, addita diſſeramus: quae ſane, ſi diſciplinae cuſtodia res bellica nititur, dudum utilem nobis operam praeſtat, omnibus rebus, quae labefactandae atque evertendae diſciplinae ſunt, affluens, omnium altrix voluptatum, cum quibus convenire [1] unaque in ſede morari, virtus & militaris vigor non poteſt. Exemplo ſunt Graeci Caeſares, qui maximum Imperium, enervatis urbis hujus illecebra viribus, fruſtatim per ſummam inertiam amiſerunt. Et Turcas jam hortorum, jam villarum, ignotorum antea bonorum, ſtudium tenet, jam deligere fructiferos tumulos, proſpectuſque, & captare amenitates didicerunt, praebente materiam ipſa locorum ac regionis natura, ſupra quam credi poteſt, varia laetaque, & omni amenitatis ac ubertatis laude excellente [2], ut contendere hic cum benignitate ac ſalubritate coeli bonitas terrae, cum bonitate terrae opportunitas & faecunditas maris videatur. Omnia vitibus, oleis, felicibuſque conſita arboribus ſunt. Par frumenti caeterarumque frugum copia. Mare nuſquam tranquillius, nuſquam frequentius portubus, nuſquam crebrius ſe terrae inſinuans, nuſquam faecundius. Piſcium optimorum omnis generis, omnibuſque anni temporibus vis tanta, ut in ipſa quoque urbe privatis ex domibus, quaſi ultro ſe offerentes, capiantur. Inſtante hyeme, e Ponto ingentibus agminibus Propontidem petunt. Petendi demigrandique eadem omnibus cauſa, hyberna Euxini frigora tempeſtateſque fugiendi. Nam vadoſum & parum profundum mare facile ab imo ventis miſcetur, eaque vis agitatos magnopere fatigat piſces. In Propontide Aegaeoque hyemare dicuntur. Vere primo ad dulciora pabula gre-

Conſtantinopolis.

Faecundiſſimum apud Byzantium mare.

1 Ovidianum illud de Medea Metamorphoſeon lib v. reſpexit: „ Non „ bene conveniunt, nec in una Sede „ morantur Majeſtas & amor. „

2 Autographum praeferet *excellens*.

gregatim remeant in Pontum: ubi haud dubie minus insuaves aquae sunt, quae multis ac maximis influentibus amnibus magnopere mitescunt; idque avide appetunt pisces. Hoc itu redituque, incredibile dictu est, quanta circa Byzantium captura: cum apud Chalcedonem, contra Byzantium iisdem freti angustiis sitam, quibus ab Europa Asia dirimitur, inopia laboretur. Id adeo candore scopuli fieri ajunt, late a vado ad summum lucentis, qui inferentibus se occurrens, tantum terroris incutit, ut inde aversi praecipites Byzantium petant. At eodem Euxino quantae praeterea afferuntur opes! Ab Europa per Maeotidem Tanais, Borysthenes, Tyras, & pluribus ostiis irrumpens Ister, quicquid Vngaria, Transilvania, Valachia, Moldavia, Polonia, Moscovia, Scytharumque silvae aut campi ferunt, advehunt. Ab Asia item aeque magna, aeque multa in Pontum feruntur flumina, & bona Byzantio suppetunt [1], quae apud gentes, quas praeterfluunt, nascuntur aut fiunt. Brevi repletum iri Euxinum mare atque Maeotidem paludem, angustius utrunque, quam ut tot tantisque fluminibus importatas arenarum moles capere aut disperdere posse videantur, accurate differit argumentisque contendit Polybius, gravis alioquin auctor. Sed nimirum frustra ratiocinando inquirimus, quas natura, aut naturae opifex Deus, sedes aquis marique constituit. Jam tum Polybii temporibus vadosus Pontus, jam tum palus majoribus navigiis innavigabilis, ob humilitatem, erat. Duo ferme annorum intercessere millia, easdem flumina arenas inferunt: & tamen eadem maris facies, idem usus, qui tum erat, manet. Per Propontidem e Syria, Aegypto, Graecia, Italia quoque, & occidentalibus provinciis mare nostrum nostra invehit: ut mirum non sit, tot externis, tot propriis exuberantibus bonis, urbem tanta incolarum multitudine frequentari, tam late aedificiis distendi, tanta rerum omnium copia frui. Bellum, quo Turcarum tyrannidi succubuit, vehementer incendiis ruinisque vastavit deformavitque, cum, diuturnitate Imperii & magnitudine opum, ipsa Roma amplior exornatiorque, seu privatis seu publicis operibus, evasisse praedicaretur. Sed, ne victa quidem a Barbaris, & saevissime omnibus belli cladibus afflicta ac pene eversa, fato datam fortunam amisit, ut caput rerum sedesque latissimi ac maximi regni diceretur & esset, brevique pristinum decus, pristinam dignitatem recuperavit. Quanquam Turcae, ne in praesenti quidem luxuria, aedifi-

Quanta Euxini maris opportunitas.

Polybii de Euxino vanum judicium.

1 *Suppetunt*, activorum ratione elatum, nescio an sit satis latinum.

candi ſtudio magnopere teneri videntur, magis laxe, quam eleganter aut magnifice habitantes. Ergo non tam monumentis illuſtrarunt urbem, quam frequentia auxerunt. Praeter quam quod ad quatuordecim millia paſſuum patere in circuitu maenia dicuntur, ſuburbia hinc in Pontum uſque, hinc ad Siliuream extendi ad quinquaginta ferme paſſuum millia, continentibus prope aedificiis, ferunt; & ſupra ſeptingentis millibus capitum habitari: qua celebritate nulla Europae civitas aequari illi videtur poſſe. Horum trecenta millia Turcarum, ducenta Chriſtianorum, totidem aliarum gentium, & maxime Judaeorum cenſentur. Nec mireris numerum quinquaginta millium paſſuum, nec extra ambitum maenium Byzantios eſſe negaveris. Nam, apud juris conſultos, quantumcunque ſpatii continentia ſuburbiorum aedificia complectantur, urbs dicitur: &, Romam tantundem aliquando patuiſſe, Fabius Vopiſcus eſt auctor. Chriſtiani & Galatam ſeu Peram urbem fere colunt, ſinu maris, intrantis terram & egregium portum efficientis, a Conſtantinopoli diremptam. Hic ſua templa habent, ſuiſque Sacra faciunt ritibus: hic domicilia regum legatis Chriſtiani nominis attribuuntur. Tam inſignis frequentiae cauſam non tam ab ſtudio Turcarum quidam, quam a tyrannide, ducunt. Quanto enim longius ab ipſo rerum capite abſceditur, tanto licentius praefecti Provinciarum aliique magiſtratus calumnia impotentibuſque imperiis graſſantur; ut, quod ſupra attigimus, plerique connubio abſtineant, ne filios in tam tetram ſervitutem procreent, agrorum culturam omittant[1], ne rapinae avidis & crudelibus dominis ſint, & labore atque induſtria ſibi calumniam injuriamque accerſant. Ad has vitandas iniquitates, quibus aliqua ejus rei facultas eſt, Byzantium fere commigrant; ubi, in oculis regis ac principum, aliquis tamen induſtriae locus, & jus & fas non, ut alibi, penitus jacet. Sed nos, frater, aliquando tandem Byzantio excedamus perſequamurque reliquum iter tuum.

Magnitudo Conſtantinopolis.

Unde tanta Conſtantinopoli frequentia.

Adrianopolis. Hinc profectus, duorum dierum itinere, Adrianopolim veniſti, apertam & ſine ullo maenium munimento urbem, ſed amplam & cultam hortis, & feracibus frugum agris. Diu Turcarum, qui primi ex Aſia in Europam trajecerunt, ſedes fuit: & nunc quoque reges eo interdum ſecedere conſueverunt. *Philippopolis.* Adiiſti & Philippopolim, in dorſo collis ſitam, conditam a Philippo, Magni Alexandri patre. Inde, Thracia relicta, in Macedoniam exiviſti. *Haemus mons* Haemo monte tranſcen-

1 Licet autographum *omittunt* exhibeat, edi juſſi *omittant*.

fcenfo, cujus verticem tantae altitudinis effe ferunt, ut veteres accolae duo longe diverfa maria Pontum & Adriaticum Iftrumque amnem & alpes ex cacumine ejus confpici crediderint. Macedoniae nomen longe clariffimum olim fuit. Claritudo ejus primum ex Philippo, qui ingenio & arte magis, quam armis, Graeciam fubegit. Mifcendo enim fe difcordiis civitatum, nimia libertate lafcivientium, fovendifque & occulte ferendis factionibus, ita fingulas inteftinis attrivit bellis, ut ultro ab omnibus dominus afcifceretur: cum tanta rabies civilium diffenfionum fit, ut potius, quam civibus de potentatu cedere, externum fubire jugum eligamus. Ab hoc auctu opum Alexander filius, everfo Perfarum regno, arma atque Imperium trans Indum, trans Hydafpem, ad Gangem ufque, ante vix fama cognitum amnem, protulit. At nunc quae veftigia veteris Macedoniae in Macedonia extant? Vbi decora gentis, quae terrarum orbem victoriis peragravit: quae, tot illuftribus fcatens regibus, Graeciae, Aegypti, Afiae regna tot faeculis tenuit? Ne memoria quidem tantarum rerum ulla apud incolas invenitur. Vrbes ita dirutae ftrataeque jacent, ut ruinas earum vifere non liceat. Campi funt, ubi illae fuerunt. Quin ipforum quoque nominum memoria intercidit; ac ne locorum quidem facies eadem manet. Duo tantum oppida aliquid priftinae dignitatis praeferunt, in maris utrunque ora fitum, Salonichium in intimo Aegaei pelagi finu, qui ab ipfo nunc nomen habet, & Durazum, quod Jonium alluit mare. Illud Theffalonicam, celebrem urbem, hoc Epidamnum dictum olim exiftimant. Caetera adeo fqualient, omnibus fpoliata ornamentis, ut, quocunque te vertas, nihil, nifi fordidi atque abjecti fervitii imago, oculis occurrat. Epirotae, Macedonici olim pars regni, etfi pari premuntur acerbiffimi dominatus jugo, non tamen omnem prifcae ferociae vim exuerunt: &, fi daretur fortuna, non ad excutiendam folum tyrannidem, fed etiam ad ulcifcendam, fatis animorum habituri viderentur. Tu, frater, utranque emenfus gentem, ex Epiro Ragufium venifti. Haec urbs, intra Turcarum fauces fita, libertatem tamen induftria tuetur: &, quanquam publice tenues opes ejus fint, privatim cives divitiis [1] praeftant. Aureorum nummum mil-

Philippus arte fubegit Graeciam.

Vix veftigia veteris Macedoniae.

Epirotae.

Ragufium.

[1] Miror, cur non etiam ingenii doctrinaeque parem laudem Ragufacis civibus Gratianus tribuerit, quos utriufque rei facultate & praeftare & commendari intelligimus. Nec mortuos ego nec externos, immo ne domefti-

lia quindecim, tributi nomine, Turcis pendunt [2]; totidem colendis magistratibus principibusque Aulae insumunt: &,

to-

sticos quidem, nisi, qui mihi sunt maxime cogniti ac familiarissimi, nominabo. Bernardum Zuzzerium novi ego Romae in Romano S. J. collegio philosophiam, incredibili concursu hominum atque approbatione, profitentem. Ejus fratris filii, Benedictus atque Joannes Lucas, ita Latinae Graecaeque linguae peritia, omnisque antiquitatis cognitione excellunt, ut pauci eadem aetate conferri cum illis possint. Bartholomaei ac Rogerii Boskovichiorum ea est in omni doctrina, mathematicis praesertim disciplinis, praestantia, ut, quae eorum scripta, typis excusa, circumferuntur, mirentur omnes, reliqua, quae, propediem excudenda, exspectamus, fortasse magis miraturi. Francisci Martinii, Georgii Bassichii, Petri Petruccii, Hieronymi Pauli, Vrsati Sorgii, Marini fil. Raymundi Cunichii, Blasii Bolichii, Melchioris Gozzii, Matthaei Matthaeii, Thomae Tudisii, aliorumque excellit maxime cum Graeca, tum Latina eruditio, optimarumque artium, poeticae praesertim, scientia. Domesticis non possum, quin externum unum addam Cl. V. Benedictum Stayum. Is, & quod ex domestica nostrorum hominum disciplina prodierit, & quod doctoribus atque institutoribus suis impense faveat, domesticis accenseri prope jure potest. Vtriusque rei luculentum testimonium extare homo gratissimus voluit libro V. *Philosophiae versibus traditae*, Venetiis an. 1744. omnium Eruditorum maxima commendatione vulgatae, versu 1179. ubi Rogerium Boskovichium verissimis laudibus ferens, in universi deinde coetus commendationem excurrit.

,, Scilicet haec memoret, quicum communia nobis
,, Vincula communis patriae; quem sydera mundi,
,, Nec non mensuras, rationes, pondera rerum,
,, Et numeros audit pubes Romana docentem.
,, Magnis ille viris socialis foedere vitae
,, Jungitur. Hoc Divûm sancitum est munere, ut essent,
,, Qui genus excolerent humanum, & lumine puro
,, Doctrinae, & rectis formarent moribus orbem.
,, Hoc, quod nempe meum est, etiam, sit quamlibet ipsum
,, Exiguum, ex illo deductum fonte, necesse est
,, Illis acceptum, quidquid sit, sponte referre. ,,

De opere autem ipso quid ego sentiam, volo ex binis meis litteris intelligi, quarum alteras mense, ut opinor, Majo an. 1741. ad Cl. V. Petrum Lazerum S. J. in Collegio Romano Historiae Ecclesiasticae doctissimum Professorem, alteras ad ipsum Stayum mense Novembri ejusdem anni Ragusium dedi.

,, Hieronymus Lagomarsinus Petro
,, Lazero S. D.

,, Quam sim occupatus vel ex eo ,, intelligere poteris, quod huic tan- ,, tulae epistolae vix tempus habue- ,, rim. Quod egregium doctissimi ,, Stayi opus, ad me ante sex men- ,, ses ab eruditissimo Guilielmo Sa- ,, lesio Bombarderio nostro transmis- ,, sum, nondum cognoscere univer- ,, sum potuerim, iisdem meis occu- ,, pationibus, quae me dies noctes- ,, que, in Ciceroniano opere perficien- ,, do, jam septennium incredibiliter ,, distinent, assignato. Scis, opinor, ,, quam sim Carolo nostro Rotio fa- ,, miliaris, quam hominis singulare ,, ingenium ac poeticam mirificam ,, facultatem admirer, quam omnia

,, ejus

toto Turcarum Imperio, immuni facultate negociandi mercaturamque faciendi potiuntur: urbemque egregie munitam, & pu-

„ ejus causa velim, quantumque aetati huic nostrae ex ejus poematis, ubi in manus hominum venerint, decus atque ornamentum, apud posteritatem etiam, esse afferendum existimem. Attamen eorum editio ferme triennium per me est retardata; quod, quum ille exire ea in vulgus, nisi a me probata, nollet, ego non nisi superiori mense eorum lectione defunctus sum. Itaque proximis tantum diebus in typographorum Patavinorum manibus esse coeperunt. Nec modo amicis, qui me scriptorum suorum cognitorem atque arbitrum identidem appellant, satisfacere, sed ne meis quidem quibusdam opusculis possum quidquam operae (quod jamdiu volo) retractandis impendere. Quo fit, ut multa affecta atque inchoata habeam, quae umquam a me perfici ac perpoliri posse despero. Haec apud te, prudentissimum hominem atque humanissimum, valeant, ad operis, quod a me flagitabatur, tarditatem excusandam. At vero non committam, ut in eo posthac diligentia ulla mea aut studium requiratur; meisque omnibus, quamdiu necesse fuerit, intermissis, id unum agam, ut, quam mihi provinciam imposuistis, eam quamcelerrime conficiam. Quod si a me jampridem instituta, a multisque, ac fortasse a te ipso, jamdiu exspectata, negligentius tractare, seriusque perficere arguar, quo accuratius aliena atque maturius absolvam, illa meum factum satis probabili, ut arbitror, excusatione defendam; quod Petro Lazero imperanti abnuere, Benedicto Stayo roganti denegare non potuerim. Stayi vero ipsius humanissimis, disertissimis, mihique perhonorificis litteris quamprimum rescribam. Tu interea hominem de mea summa erga se observantia ac voluntate, deque mirifica ejus ingenii atque doctrinae opinione, si forte daturus es ante ei litteras, facies certiorem, nosque diliges. Vale. „

„ Hieronymus Lagomarsinus S. J.
„ Benedicto Stayo S. D.

„ Egregium opus tuum de Philosophia, Benedicte doctissime, si, quam libenter legi, tam mihi commode atque per otium legere licuisset, intellexisses profecto, mandatum illius cognoscendi castigandique tuum a nemine neque citius neque diligentius curari potuisse. Sed, quemadmodum tibi superioribus litteris significavi, tam incredibili occupationum concursu aliquot jam annos distineor, ut neque perpetua, neque, vere ut fatear, diligentissima eorum, quae ad me misisti, defungi lectione potuerim. Itaque, si quaedam, ad Latinam linguam spectantia, eaque ipsa non tua, sed librariorum culpa commissa, exceperis, vix quidquam in tuis carminibus, quod corrigi debeat, adnotavi. In quo etiam mihi eo minus esse laborandum existimavi, quod tu non tuam aliquam in iis doctrinam profitere, sed alterius philosophicam rationem, jamdiu vulgatam, &, ut mihi non satis ubique, at aliis certe valde probatam, illustrandam, quemadmodum Epicuri Lucretius, praeclaro sane conatu suscepisses: ut aliae meae partes (quod quidem ad rem ipsam sententiamque pertineret) non esse viderentur, nisi ut in tuae enarrationis fidem ac religionem inquirerem. Neque vero in eo genere quidquam mihi deprehendere visus sum, de quo monendus esses; quum non modo Cartesii placita atque decreta fideliter sancteque custodias, sed nescio quam illis lucem de tuo atque auctoritatem adjungas: ut magis ex te, quid ille voluerit, quam ex illo ipso a-

„ li-

& publicis privatiſque aedificils perornatam, colunt. Hic tu, repetito mari, in intimum Adriatici ſinum Venetias, unde prius ſolveras, navigio revectus es. Longum, frater, iter, & plenum laboris, quo totum pene Turcarum Imperium, quod immenſa complectitur terrarum ſpatia, perluſtraſti, eaſque obiviſti gentes, quarum nomina ne fama quidem audita pleriſque noſtrorum hominum ſunt. Quae me cauſa impulit, ut pauca de ſitu earum, ac rebus geſtis attingerem, ut Carolus filius (quando illius maxime gratia ſcribenda haec ſuſcepimus) eadem ex uberioribus fontibus, ſi haurire aliquando voluerit, eo majori cum voluptate faciat, quod cognita luſtrataque parenti ſuo fuiſſe cogitabit. At parum tibi viſum, tot populos nationeſque, coelo, lingua, legibus, cultu, forma prope ipſa diſſimiles, peragraſſe: etiam, qui terrarum ſitus, quae natura ſoli, qui montes, quae flumina, quae maria, quae inſigniores urbes, qui mores, qui ritus, quae ingenia, quae gentes belli gloria praeſtent, quaeve earum bellandi diſciplina; quae navali rei, quae equitatui ſtudeant, quae peditum robore polleant, quae ocio torpeant, quarum in ſervilibus tantum operibus uſus; quae commercia inter ſe, quae res, & unde & qua exportentur importenturque, cognoſcendi penituſque percipiendi intentum tibi ſtudium fuit. Cum ergo nullus ferme

Quae obſervanda peregrinantibus.

me

„ liquando cognoſcam, magiſque toa, „ quam illios, vure permovear. Auctor tamen tibi ſint, ſiquidem pateris, te a me moneri, ut, ubi id „ res poſtulare videbitut, adnotationes aliquaa, nonnullarumque rerum „ uberiores quaadam explicariones, „ in commentarii morem, deinceps „ ſoluta oratione ſubjiciaa. Qua ex „ re illod commodi conſequetut, non „ modo quod quaedant, quae propter „ ſive linguae egeſtatem, ſive rerum „ noritatem, ſive earminis ratioaem „ metrique difficultatem, paollo obſcurioa dicta videri poſſunt, illuſtrabuntur, verum etiam quod uova allatis ſive tationiboa, ſive experimentis, ſive auctoritatibos, omnia magia magiſque confirmabuntur. Addam illud etiam, ſi per te „ licet: poſtremis duobua libris ſi limae aliquid etiamnum adhibueria „ (videntur enim nunc, non dico negligentiua, ſed minus, quam caeteri, diligenter elaborati) abſolutiſſimum opua confeceris. De quo „ opere illud tibi fidenter confirmo, „ nullonr in eodem genere, poſt Lucretianum, par aut ſecundum exſtare Neque enim vidi, qui res aut „ obſcuraa diloeidius, aut difficiles „ planius, aut novas latinioribua verbia elegantioribuſque tractaret. Haec „ eſt mea de tuo abſolutiſſimo poemate ſententia. Vtinam is eſſent, „ cujua ex judicio tibi valde placere „ poſſes. Sed profecto ubi in manus „ doctorum hominum opus hoc tuum „ venerit, multum omniom gratulatione plauſuqoe laetabere. Autographum tuum Petro Lazero noſtro, „ una cum animadverſinnibus meis „ Romam miſi; cui tu ſcilicet, quid „ tibi de iia placeat, ſignificabia. Vale, meque tui obſervantiſſimum dilige. Florentiae VIII. Id. Novembr. 1741. „

2 Librario certe, non Gratiano, exciderat hoc loco *pendent*: quod correxi.

me sit in Europa Princeps, cujus tu Regiam non viseris, tantum tibi usum praestantium rerum comparasti, ut merito tibi prudentiae laus ab omnibus tribuatur. At hisce de rebus edisserens interdum tanta voluptate afficere audientes soles, ut narrantis ab ore pendeant omnes, in quibus ipsum me saepe fuisse plane confiteor. Id additum bonitati naturae tuae atque illi studio, quo proveheris, benigne de omnibus merendi, facit, ut ab omnibus expetaris, & unice ab iis diligaris, cum quibus tibi aliquid juris sit, ut, si (neque enim existimare debes, te sine exceptione laudari) iracundiam detrahas, te uno nihil dici jucundius, nihil amabilius possit [1]. Hac cum corriperis, a te ipso penitus descisces.

Caeterum, cum diu peregrinatus Venetias, ut dicebamus, rediisses, & jam suo fato Ursinus, Carolus, Claudius fratres functi essent, revocantibus nostris, & me quoque hortante, patriae te reddidisti. Nec diu moratus, cum oblata tibi ex animi tui sententia conditio esset, uxorem duxisti Hiolantem, Marci & Elissae, de quibus supra mentionem feci [2], unicam filiam, adolescentulam non specie solum liberali, sed, quibus tu maxime velles, moribus praeditam. Et cum in Elissae domo, atque item in nostra, solitudo esset, ex commodo utriusque, habitatum tu ad uxorem socrumque concessisti, domumque earum, quae tua jam erat, incendio, ut supra ostendimus [3], labefactatam, refecisti, ornastique: & socrum tuam, priscae probitatis matronam, ita habuisti, ut praedicare illa soleret, ne a filio quidem, ex se genito, plus obsequii observantiaeque praestari sibi po-

Aloysius frater uxorem ducit.

1 Pari iracundiae impetu, atque Aloysius, Auctoris frater, Q. Cicero solitus erat incitari: quem Marcus frater in epistola ad eum prima libri I. cap. 13. ita ob eam reprehendit, ut simul (quod idem in fratre Gratianus facit) aliis nominibus laudet. „ Sic ad nos, inquit, omnes fere „ deferunt, nihil, quum absit ira„ cundia, te fieri posse jucundius: „ sed, quum te alicujus improbitas „ perversitasque commoverit, sic te „ animo incitari, ut ab omnibus, „ tua desideretur humanitas „ Tum praeclara illa ad iracundiam cohibendam praecepta dat: „ Te illud ad„ moneo, ut, si hoc plene vitare non „ potes, quod ante occupatur animus „ ab iracundia, quam providere ra„ tio potuit, ne occuparetur; ut te „ ante compares, quotidieque me„ ditere, resistendum esse iracun„ diae: cumque ea maxime animum „ moveat, tum tibi esse diligentissi„ me linguam continendam: quae „ quidem mihi virtus non interdum „ minor videtur, quam omnino non „ irasci. Nam illud non solum est „ gravitatis, sed nonnunquam etiam „ lentitudinis. Moderari vero & ani„ mo & orationi, quum sis iratus, „ aut etiam tacere, & tenere in sua „ potestate motum animi & dolorem, „ etsi non est perfectae sapientiae, „ tamen est non mediocris ingenii. „

2 Lib. III. pag. 103.

3 Ibid.

potuisse. Est tibi diuturnum jam & perpetuo consors cum Hiolante conjugium; eaque duodecim est tibi enixa partus; virilis quidem sexus quinque: sed horum, praeter hunc Carolum, quo nunc uno spes domus nititur, nullus perennavit. Vivacior puellis natura, quarum tibi quinque supersunt, egregia sane omnes, & tua & matris educatae atque institutae disciplina. Ludovicam [1], natu maximam, quae parentis nostrae nomen refert, Camillo Gratiano, Baldini filio, gentili nostro, juveni & scientia juris, & industriae laude spectato, matrimonio junximus: eaque avum te plurium jam liberorum fecit. Minervam in caetum septumque sacratarum virginum Divae Clarae tradidisti; quae nunc, rejecto Minervae, Deodata, sanctiore nomine, nuncupatur. Margaritam, forma & ingenio praestantem, Trebonio Archilegio, civi Amerino, homini inter suos honesto in primis & copioso, collocavimus; cujus patruus, Assisinatum Episcopus, Pauli tertii Pontificis Max. domui familiaeque praefuit. Atque ex hac quoque aliquot jam tibi orti nepotes: quorum, qui maximus natu erat, quem mater labore summo, nec minori discrimine, fuerat enixa, cui Francisco (quia IIII. Non. Octo. die ipsi Divo sacra, in lucem exierat) inditum fuit nomen, vixdum sexennis e vita est raptus, melle dulcior puer: cui non forma solum insignis, sed tanta inerat festivitas, tantae blanditiae, tanta ad omnem comitatem humanitatemque indoles, ut, seu luderet, seu garriret, seu alia puerilia faceret, nihil illo suavius, nihil amabilius dici aut excogitari posset, nec suis jam magis, quam omnibus in amore ac deliciis esset; nec vero non omnibus monstri simile videretur summum, quod in eo probi juxta ac magni ingenii, elucebat specimen. Matri quidem, unice atque perdite in illum effusae, ita obsequio blanditiisque morigebatur, ut cum ea certare charitate videretur, nunquam ab ejus sinu gremioque abscedens, ultro saepe in amplexum, ultro in oscula invadens. Quocunque illa evisset, anteire eam, aut lateri haerere; non lecto, non mensa separari se pati. Vel faedus ac bardus incitare maternos affectus tam parvus, tam promptus ad obsequia filius posset. Quid omnium, qui unquam fuere, amabilissimus suavissimusque, & tanta ad summam virtutem spe praestans? Illa vero non amore solum, qui, supra quam credi potest, exarserat, sed gloria quoque tam chari pigneris, tantum ab omnibus gratiae trahentis, efferebatur sic

Filii.

Puer insigni indole natus, ut suos summo dolore afficeret.

[1] *Ludovica natu maxima* exhibet autographum.

ſic, ut illum oſtentare, illum cultu ornatuque alios excellere (cui rei muliebri ſtudio intendebat) incredibiliter gauderet: & tum ſe comptam, tum auro nitentem, tum omnibus fulgentem gemmis eſſe rebatur, cum illum conſpici, illum appeti, illum ferri laudibus audiebat. Quin cum eo jam vel ſeria conferre non dubitabat: qui quidem, quae differebantur, ita videbatur capere, ut etiam ſecretum, ſibi creditum a matre, obticeret, nequicquam aliis elicere atque expiſcari conantibus. Et pari ingenioli laude eloquebatur, quae edoctus ab illa fuiſſet, ſive affari majores natu, ſive adire & appellare honoratiores hoſpites juberetur. Denique puerilia officia omnia, ut inſtructus eſſet, ſemper quidem ſuaviter pudens, ſed tam dexter obibat, ut in admirationem ſui omnes averteret. Hinc intellectum omnibus praedictumque, & ipſi ſaepe denunciatum matri, tam praecoci naturae vitam non diu manſuram. Nam, qui praeceleres aetatis ſpatia tranſiliunt, iis non annorum numero, ſed maturitate ſtatutus eſt finis, &, ubi incrementis locus non eſt, hinc non longe abeſſe occaſum ſcias. Vnde crebro admonita mater, amoris habenas ſuſtineret, nec praecipitem ferri animum ſuo curſu ſineret, praeſertim in tam imbecilla pueri valetudine. Sed quis modum matri adverſus filium, & talem filium, ſtatueret? Illa quidem aſſidue ex his metu ſollicitabatur, atque eo intentioribus quotidie Deum Divoſque fatigabat votis, ut hunc, in quo ſibi eſſent omnia, qui conceptas de ſe ſpes aliquando eſſet impleturus, praeſtarent incolumem filium. Atque hujus curae aeſtu ita agitabatur, ut infortunium timore praeciperet, & interdum, defixo in ipſa cogitatione metuque ſuo animo, valentem ac in nulla morbi ſuſpitione, & ante ſe placido ac ſalubri ſomno quieſcentem, profuſiſſime defleret. Deprehenſa, quaerentibus fuſarum tam large lachrimarum cauſam, fatebatur, aeterno ſe cruciari metu, ne filio ſuo accideret, quod accidere poſſe & ipſa ſciret, & aetatem pueri longe tranſgreſſum ingenium minaretur: hac ſe cura non torqueri, non conflictari non poſſe. Poterat cogitatum ac proviſum malum miſerae minus grave incidere. At vix tantum in puero maturitas praeceſſerat annos, quantum exceſſit matris ad dolorem impetus. Ita certe perculit eam, ut tantum non in amentiam furoremque egerit. Spreta a Deo vota ſua, repulſas pro filio preces: quid inviſae Superis reliquum? non tamen ſe opes, non formam, non alia, quae prima homines ducunt, oraſſe, ſed filio, longe innocentiſſimo, & merito ſuo ſibi chariſſimo, ſalutem po-

poscisse, ut indigna ipsa, quid illum commeruisse, ut tam tener ab ipso limine vitae raperetur [1] ? ad id ergo datum sibi, ad id eximiis auctum naturae atque ingenii muneribus, ut infelici Matri acerbitatis causae cumularentur? Atque haec, non tum modo, cum ab extincti corpore, suscipientibus jam, qui elaturi erant, haerens osculis amplexuque avelleretur, sed continuis inde diebus. Quanquam parum pia verba, quae prima illa vis erumpentis doloris subjecerat, statim compescuit. At, quod miraberis, parvulos filios tres, qui supererant illi, non amplecti, non solatium ex salvis iis petere, sed, tanquam unius morte omnibus orbata esset, diu adduci in conspectum eos vetuit. Nec postea magis unquam indulsit lachrimis, quam cum hos amplecteretur; adeo praesentium aspectus amissi desiderium refricabat incendebatque. Sed quid ego matrem narro? Convenere ad eam, funebris officii causa, matronae, quot Civitas habuit. Inter eas filiae tuae magis [2] dolor eminebat, quam comploratio & luctus. Nullam non matrem diceres. Quippe jacebat in medio defuncti pueri corpus, coelesti pene forma, cujus florem ne mors quidem quicquam minuerat: sopore placido quiescere videbatur. Et meminerant omnes, quam blandus, quam festivus, quam hilaris, quanto nuper fastu, quanta gloria ex illius eximia indole efferretur mater, quam tum afflictam luctu, fractam ac prope amentem, prope exanimatam dolore, miserabile cunctis spectaculum, ipsam filiolumque cernebant. Nec mulierum, sed virorum quoque idem habitus fuit, ut, cum nullus esset in Civitate paulo honestior civis, qui celebrando funeri non adfuerit, nullus siccis oculis conspectus sit: atque ego ipse, qui aspicere mortuum non sustinui, mortem ejus memorare sine lachrimis non queam, vincarque ac confundar fletu haec ipsa scribens. Is certe puer fuit, quem quando habere mater non potest, habuisse merito glorietur. Septimiam & Juliam asservandas educandasque in eadem Ameriae urbe dedimus in Monasterium D. Elisabeth; ubi, cura & studio lectissimae ac longe nobilissimae faeminae Hiolantis Farnesiae, Monasterii ipsius magistrae, severa sanctaque disciplina diu sunt habitae. Postremo Septimiam Scipioni Bernardino, Massae Comiti, Martini, cujus supra memoravimus, ad Monsilicem caesi, pronepoti, tradidimus. Juliam Hieronymo Gherardo, Hippolyti filio, maxime locupleti atque honesto adolescenti, despondimus. Fui-

1 Negligentia Librarii factum, ut *rapetur*, non *raperetur* in MS. exemplari legitur.

2 Suspecta mihi hujus loci lectio.

Fuisti tu, frater, in patria plures per annos, nisi quod in Sentinatibus 1 apud oppidum, cui Saxoferrato est nomen, & ipsum satis frequens, & Bartholi jurisconsulti ingenio, qui natus in eo est, celebre, ad curam rerum mearum, cum conjuge liberisque, diu multumque degere placuit tibi. Ibi enim ego Sacerdotium, quod Abbatia Sanctae Crucis appellatur, satis uberis vectigalis, habeo. Burgi ita vixisti, frater, ut cum caetera mihi satisfeceris 2 tum in eo mirifice probata ratio tua sit, quod inimicitiis cum Pichis, quae nullum operae pretium habent, ita abstinuisti semper, ut unicus pacis & reconciliandae gratiae auctor ferereris. Neque vero talem te in pacatis & quietis, sed in maxime turbidis & saevis temporibus praestitisti, cum Silvester & Federicus in urbe, in agris, caedibus grassarentur. Tum, quoties major aliquis a furentibus metus instaret, non aliud tutius quibusdam e Pichis perfugium, quam domus tua fuit. Et, cum tu medium te ferres (quod, in divisa civitate infestisque factionibus, minime periculo vacuum consilium existimatur) tamen neutrius partis (quod non mediocris ingenii prudentiaeque fuit) offensionem incurristi; prodesse cunctis, nocere nemini studuisti. Cujus probitatis & aequitatis etiam fructum aliquando tulisti. Cum enim Silvester unaque alii sicarii se se clam noctu in oppidum conjecissent, & in aedibus Rubertorum, quae sunt in ima via Burgi Novi, in insidiis delitescerent, observantes, si quem inimicorum illac sors ferret, accidit, ut tu medius inter duos, quos illi maxime concupissent, ignarus fraudis praetergredereris. At illi, ex ostii rimis venientes conspicati, primo laeti se ad caedem expediebant. Sed rem propius perpendens Silvester, ne qua suspitionis labe fidem atque existimationem tuam aspergeret, quasi tu eos, si occisi essent, in praeparatum, te conscio, dolum duxisses, se suosque continuit, & incolumes praeterire est passus. Ita tu saluti duobus primariis civibus fuisti. Quod sane mirum videri potest in tanta feritate Silvestri sociorumque, ac tanta cupiditate hauriendi inimicorum sanguinis. Tuo quoque consilio,

Burgi ut vixerit.

Facinus, a sicariis non expectandum.

Zz 2

1 Etsi autographum *Sensinatibus* praeferat, edi tamen jussi *Sentinatibus* Philippus Ferrarius in Lexic. geogr. „ Sentinum, oppidum Umbriae, in „ Piceni confinio, ad Sentinum fluvium, a Longobardis eversum, „ apud Saxoferratum, *Sassoferrato* „ (quod novum Sentinum potest appellari) adhuc antiquum nomen retinens, a Fabriano, oppido amplissimo Piceni, VI. mill. pass distans. „

2 Exciderat hic sive Gratiano sive librario *satisfecisti*, & infra *tua est*. Reposui *satisfeceris* & *tua sit*: itemque non multo post *fereretis* pro *fereris*.

filio, tua auctoritate est factum, ut Franciscus adolescens, exulum & facinorosorum manu succinctus, sopitum aliquot jam annis post Pandulphi & Silvestri exitum, ignem excitans, veteraque renovans mala, incaepto absisteret proculque abscederet. Querebantur interdum de te, qui [1] nostrum acrioribus partium stimulis incitati, medii consilii viam damnabant, abs teque, ut eandem cum tuis fortunam subires, petebant. Verum tu, sicuti familiae dignitatem causamque, cum res posceret, non segniter tuebaris, ita a turbis, a seditionibus, a cruenta contentione tuus abhorrebat animus, & facile tuorum querimonias rejiciebas. Nec minus ipsos NN. verbis castigatos a te aliquando accepi, quod machinationibus suis iram irritarent, &, dum ruentes impetu & ferocia quosdam juvenes impellere porro praecipites studerent, eas flammas accenderent, quae inde, non nisi sanguine, extinguerentur. Haec tua, mi frater, ratio sedandi iras, turgentibusque odiis medendi, & pacem tuendi, non eo solum mihi probata magnopere est, quod pium & Christianum animum maxime decet, verum quod certamine ipso ac saeva contentione nihil dignum, nihil, quod tanti sit, petitur. Ecquid enim victori erit praemii? Nihil profecto aliud, quam manus inexpiabili caedis crimine faedare, patrimonia, propagandae familiae dignitati ac sustentandis liberis relicta, in fiscum tradere, aut vilissimis asseclis & flagitiosissimis hominibus voranda exponere. Hi perpetuam credulis auribus discordiarum materiam suggerunt, ut inde ipsi alantur, diffidentesque in manu habeant. Hac, si ejici potest, ejecta exterminataque peste, sana illico civitas erit. Nam illa quidem puerilia sunt. Vos, inquit ille, quis ferat, qui superbia elati urbem torvis oculis inceditis, ac spernere alios videmini? Quin tu pateris, nostram nobis insaniam paenae ac ridiculo esse, dum noxia tibi non sit? At contra alius: Subnixi, [2] inquit, illi atque alacres per forum volitant, & numero suo freti, praestare aliis volunt. Sine, suam quemque rem agere, dum tibi injuria non fiat. At magistratum, qui quotannis Florentia ad jus dicendum mittitur, illi, simul ac venit, captant variaque arte conciliant sibi: item praefectum arcis observantia pelliciunt: eadem in uxores eorum ambitio. Id quidem offi-

Inimicitiarum fructus.

Suam quisque rem agat.

1 Id est, ii ex nostris consanguineis, qui acrioribus &c.

2 Hoc est, elati. Cic. I. de Orat. cap. 246. (al. 58.) „ Quae (juris „ civilis scientia) quam sit facilis, „ illi viderint, qui ejus artis arro- „ gantia, quasi difficillima sit, ita „ subnixi ambulant. „

ficium est, non crimen; & imitandum tibi, non reprehendendum, nisi manifestae invidiae, quae humilem atque sordidum animum arguit, damnari vis. Honestissimum quenque convenit visere magistratum, deducere, observare, munerari etiam interdum, & omnibus humanitatis officiis demereri: atque his certare laudi, non vitio, detur. At illi singulorum inde facta, dictaque ad magistratum clam deferunt, atque nos cuniculis oppugnant. Tute tibi hoc fingis, an [1] ad aures tuas insusurrant hi, quibus vestra dissidia quaestui sunt? Nam, quod clam fit, quo pacto ad te emanat? At sit hoc verum: quid ad te? Si occultos istos speculatores delatoresque odisti, paena contentus esto, quam ipsa infamia tam turpis ministerii habet: aut, si te quoque deferri suspicaris, ita vive, ut contemnere delatores possis, a quibus, quantumvis calumniosis, tutum tamen te innocentia praestabit. Haec tu, frater, ut inania sapienter contempsisti. Atque ego cùm Camillum, generum tuum, tuis insistere vestigiis laetor, tum te hortor, ut Carolum filium jam nunc ad parem mentis habitum voluntatemque instituas; assidueque idem ejus insones inculcesque auribus, nec ullam odii, ullam malevolentiae radicem in puerili animo succrescere patiaris. Ab te quidem non odiorum & inimicitiarum, sed charitatis, benevolentiae, gratiae haereditatem cernet. Ipse modo sibi non desit, detque operam, ut, quando memoria tuorum meritorum multi futuri videntur, qui eum diligant, suis quoque moribus promereatur, ut charus jucundusque omnibus sit. Nemo illius operam, nemo studium, nemo liberalitatem, quam ferre facultates ejus possint, nemo officium desideret. Omnes, etiam humillimos, obsequio, modestia, comitate, humanitate complectatur. His bonis nixus, nihil vereamur, ne non retinere locum in patria suum possit, ne illi amicitiae, ne clientelae desint. Quanquam est, frater, quod maximas Deo, &, secundum Deum, Principi gratias agamus, cujus providentia curaque sublatum id penitus jam excisumque videtur esse malum. Et familia nostra ad eam paucitatem redacta est, tot nostrorum funeribus, ut prope jam abesse ab ultimo interitu videatur, nisi ex paucis hisce reliquiis nova soboles, quod sperandum magnopere non est, renascatur [2]. Quanquam vanam mortalitatem nihil crebrius, quam fiducia sobolis, fru-

Quae praecipienda filio a patre.

Regiae familiae nostro aevo extinctae.

1 Autographi *aut* in *an* commutavi.

2 Atqui renata & ad hanc usque nostram aetatem propagata est. Nam Carolus, Aloysii filius, binos liberos su-

frustratur. Memorare operae pretium fuerit, omissis veteribus exemplis, aevi nostri Regias tum maxime stirpitus eversas, cum maxime numerosa filiorum prole niti viderentur. Casimirus, Poloniae rex, moriens filios mares sex, virilis aetatis omnes, reliquit: totidem aut plures Emanuel, rex Lusitaniae. Vtriusque stirps in nepotibus defecit; eorumque regna alienigenae habent. Quid ipsa Hispania? cujus nunc maxime conspicuae sunt opes: non ne, amissis sanguinis sui regibus, Germanorum quartae jam successioni paret? Quatuor filiorum Henrici II. Galliae regis, tres patri in regno successerunt. Omnibus sterile conjugium contigit. Quartus, a Belgis ad regnum vocatus, antequam duceret uxorem, vita excessit. Ita regnum, per maximas Galliae turbas cladesque, ad Borboniam domum, quam omni studio Valesii reges depellere conati erant, pervenit. Britanniae e tot regibus una superest faemina, quae adhuc rerum potitur, eaque plane jam anus. Scotiae, Daniae, Suetiae eadem fortuna. Quod si vagari extra Europam velim, quas saeculi hujus regum strages, quas Imperiorum eversiones referre possim? Et, ut externis nostros adjiciamus, Aragoniorum regum Neapolis, quos parentes nostri florentissimos viderunt, quod vestigium extat? Idem, quod Sfortiae gentis Mediolani. Nuper ex Ferrariensium Principum ab ultima pene antiquitate repetita series in Alphonso interiit: Ferrariaque sub pristinum R. E. jus rediit: quod & Vrbinum facturum brevi videtur, sene jam Principe, & ad supremam solitudinem ex perpetua sterilitate redacto. Nec parva haec ad R. E. opes accessio futura videtur. Sed nos nostra videamus. Quadraginta capita virilis stirpis, me puero, in familia nostra, uno pene tempore, fuerunt. Parentis nostri sobolem

suscepit Pallantem & Joannem Baptistam: ex Jo. Baptista natus est Joannes Paullus: ex hoc Josephus, Pallas, Aloysius, Ant. Maria, Gregorius, ac quattuor faeminae. Josephus die 13 Octobr. an 1743. Tiferni (qua in urbe, jam inde a Caroli, Aloysii fil. aetate, qui die 16 Jan. an. 1607 Margaritam, unicam Octavii Pallantis filiam, sibi matrimonio adjunxit, constitutum familiae domicilium est) decessit Pallas, Presbyter Societatis Jesu, Pistorii die 7. Octobr. an. 1732. naturae concessit. Supersunt ex maribus, Aloysius ac Carolus Presbyteri spectatissimi, Gregorius Camaldulensis sanctissimus Eremicola, denique Antonius Maria Gratianus vir humanissimus, mihique amicissimus; qui ex Pichorum gente lectissimam faeminam uxorem duxit, ex qua nulli liberi ex diuturno conjugio procreati adhue sunt: ut valde verendum sit, ne hac aetate tandem id nobilissimae familiae contingat, quod Auctor noster de suis temporibus verebatur.

lem ſex filiorum memoravi: item Leonis, trium. Adde Benedicti, quatuor, Hieronvmum, Octavianum, Alexandrum, Federicum; & alterius Benedicti, quinque, Simeonem, Mevaniam nuncupatum, Galeotum, Jacontem, Joannem Baptiſtam, Diomedem; Scipionis, tres, Franciſcum, Aſtorrem, Perhieronvmum; Camilli, duos, Joannem Mariam & Baldinum; Pompeji, item duos, Alexandrum & Adrianum; Bartholomaei, quinque, Gratianum, Guidoguerram, Franciſcum, Carolum, Julium Caeſarem; Gratiani quoque ipſius, tres, Leonardum, Joachinum & Bernardinum. Horum pars maxima ferre arma poterat ferebatque: ut mirum non ſit, ſi tanta cohors alienis formidini, ſuis praeſidio erat. Omnis nunc ſpes propagandae prolis in duobus juvenibus, Camillo, genero tuo, & Aſtorre, Leonis nepote, & in duobus pueris, Carolo item tuo, & Franciſco Maria, Julii Caeſaris filio. Hos ſi ſpes fallat, & ſtirps & nomen familiae tranſactum eſt: etſi Alexandri quoque filios duos ſupereſſe audio [1].

1 Hoc libro Aloyſii fratris hiſtoriam Gratianus abſolvit, de ſe ſuiſque rebus deinceps reliquis octo libris dicturus. Locos hic mihi non alienus viſus eſt volgandi epitaphii, quod, ſepulcro ejuſdem Aloyſii inſcriptum, ad Gratianorum, in aede Burgi Sancti Sepulcri principe, Sacellum, viſitur: quo rerum, ſuperioribus libris de eo commemoratarum, ſomma capita idem Gratianus noſter, ut puto, complexus eſt.

„ Aloyſio Gratiano, Julii F. Viro „ beneficentiſſ. & omnibus humanitatis laudibus ſpectato: qui, peragrata Europa, viſa Africa Aſiaque, „ & tot populorum perſpectis moribus, cum, exculta magno uſu rerum prudentia, patriae ſe reddidiſſet, poſtremo plane ſenex Venetiis „ obiit, quo ad viſendum Antonium „ Mariam fratrem, Epiſcopum Amerinum, apud Venetorum Remp. „ Nuntium Apoſtolicum, venerat: Jolante & Carolus conjugi & parenti „ optimo, & ſuorum amantiſſimo, pleni lachrimarum PP. Corpus ejus „ pia fratris cura in patriam relatum, „ quo juxta Majorum ſuorum oſſa „ conderetur. Vixit ann. LXVIII. „ Deceſſit VIII. Cal. Feb. MDIIC. „



